

HERMANNUS

DE GR

TRACTATUS DC

U S L A N G E S . J .

RATIA

S DOGMATICUS

The University of Chicago
Libraries



64443

OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG
:LEIPZIG:

DE GRATIA

TRACTATUS DOGMATICUS

QUEM SCRIPSIT

HERMANNUS LANGE S.J.

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXIX

HERDER & CO.

TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

BT 761
L3

Imprimi potest

Coloniae, die 22 Februarii 1929.

I. LAUER S. J.
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 31 Iulii 1929.

DR. SESTER
Vic. Gen.



Riv.

939197

PRAEFATIO

Anno scholari 1913-14 tractatus de Gratia in Collegio Maximo S. Ignatii Valkenburgensi auditoribus scholasticis primum a me praelegendus erat, adhæbebamque librum textus Praelectionum dogmaticarum P. Christiani Pesch S. J. tomum V, cui auctori in cathedram dogmaticam successeram. Cum postea saepius eundem tractatum proponerem, divisio totius materiae atque modus explicandi et probandi theses magis magisque mutabatur. Quare iam anno scholari 1920-21 proprium tractatum elaboravi et autographice descriptum in manus auditorum dedi. In isto opere consi- cendo praeter librum P. Pesch alios similes tractatus consului, quos etiam in hac editione initio singularum thesium laudatos invenies, inter quos ob maiorem, quam attulit utilitatem, extol- lendum est insigne volumen P. Blasii Beraza S. J. Deinde currente anno scholari 1924-25 mensibusque sequentibus alteram editionem multo auctam et emendatam conscripsi, quam in privatum usum ad instar manuscripti typis imprimendam curavi. Itaque hic liber, qui nunc tandem publici iuris fit, revera iam est tertia aliqua editio, ope diuturnae experientiae iterum penitus retractata atque emendata. Imprimis autem nunc operam dedi, ut plurimae doctae pervestigaciones, quae ultimis temporibus in lucem prodierunt, ad excolendum hunc tractatum adhiberentur.

Praeter doctrinam de Gratia pressius sumptam etiam aliqua- tenus tractavi duo capita, quae a plerisque auctoribus alio loco absolvuntur. Et primo quidem cum thesibus de gratia habituali coniunxi doctrinam de virtutibus infusis in genere; meo enim iudicio prorsus hoc loco tractanda est; nam licet gratia sanctificans per excellentiam vocetur gratia habitualis, ista dona infusa revera etiam sunt gratiae habituales. Porro quandoquidem de distribu- tione gratiae et de explicatione gratiae efficacis agendum est, non putavi penitus abstinendum esse a quaestionibus de voluntate Dei salvifica et de praedestinatione, cum aliqua harum rerum notitia ad bene intellegenda dicta capita doctrinae de gratia mihi neces- saria videatur. Ceterum vidi unum alterumve modernum auctorem easdem quaestiones hisce locis tractare, e. g. G. van Noort, De Gratia Christi (Amstelodami 1911²).

Quamvis scholasticorum de Gratia tractatum sane non sit penuria, tamen a multis mihi persuasum est publicam mei operis editionem futuram non esse supervacaneam. Videtur enim hic tractatus a ceteris quibusdam notis distingui, quibus fiat, ut eum multis tam discentibus quam docentibus gratum acceptumque fore sperare liceat.

Nolui, sicut in plurimis huius generis libris, atque praesertim succinctioribus, fit, doctrinam, prout nunc magna ex parte perfecta atque definita praeiacet, fere ad modum catechismi simpliciter proponere et analytice explicare (exemplum huius methodi habes in Praenotandis n. 5, ubi ad ultimas animadversiones velim attendas); sed potius incipiendo ab iis, quae in S. Scriptura et antiquae Ecclesiae professione iam explicite habebantur, aliis dein accedentibus fontibus, totum huius tractatus aedificium modo synthetico construere conatus sum. Haec intentio divisionem quoque tractatus direxit. Sic e. g. non cum Pesch aliisque a quaestione speciali minusque certa, natura scil. gratiae actualis, exordium sumpsit, sed potius a necessitate gratiae generice intellectae, inter gratiam habituaem et actuaem nonnisi posterius distinguendo.

Cum hac methodo synthetica cohaeret indoles quaedam historica mei tractatus. Velim, ut quicumque hunc librum ad finem usque perlegerit, quantum pro hodierno statu investigationis historicae fieri potest, clare perspiciat, quomodo theologia de Gratia, duce Spiritu Sancto, invigilante Ecclesiae magisterio, per indefessum laborem Patrum et theologorum, ad depositum fidei humanam rationem cum reverentia scrutantem applicantium, inde ab initio usque ad praesens tempus paulatim evoluta sit et profecerit; velim, ut ex libro eluceat, quis fuerit variis aetatibus status doctrinalis harum quaestionum, quae causae progressum vel etiam retardationem effecerint, quid debeamus hac in re v. g. magnis Patribus graecis, S. Augustino, S. Thomae, diversis scholis theologorum, propulsatoribus Protestantismi, Iansenismi, Rationalismi. Ut huic fini inserviat, non solum conspectus historicos sectionibus praemisi, sed etiam argumenta ex fontibus saepe apte ordinavi atque speciminis gratia historiam unius alteriusve quaestionis fusiùs tractavi (v. g. n. 218—229).

Quod quidem per se patet, id tamen expressis verbis monere non pigebit: Nolo singulis argumentis ex singulis fontibus allatis adscribere vim ex se solis thesim respectivam cum certitudine probandi. Sic quae ex Patribus afferuntur, aliquoties ad id solum spectant, ut ostendatur, quae testimonia ex ista aetate in favorem alicuius thesisi existant. Sed ad veri nominis certumque argumentum ex Patribus, ut omnibus notum est, requiritur unanimes Patrum consensus, quem in multis quaestionibus theologicis non haberi ultro fatendum est, licet eadem quaestiones interim sortitae sint certam solutionem ab omnibus theologis ipsaque Ecclesia agnitam. Prudenti itaque lectoris iudicio aestimandum erit, quantum roboris singula suae thesi addant argumenta.

Sicut generalem tractatus evolutionem historicam adumbrare studui, ita etiam sat frequenter conatus sum ostendere, quas evolutiones, quas etiam mutationes nonnulla problemata maioris momenti in mente duorum coryphaeorum, SS. scil. Augustini et Thomae, in decursu vitae ipsorum subierint.

Attamen non obstante synthetica historicaque huius libri indole methodum scholasticam in penetranda materia, i. e. in explicatione conceptuum et definitionum, in rationali argumenta-

tionem, in dilucida obiectionum solutione, neglectam non esse confido. Etenim scopus mei libri est, ut, sicut ex praxi praelectionum et disputationum prodit, ita etiam praxi scholae praecipue inseruiat. Quare more scholasticis consueto materiam totam in theses, scholia etc. divisi atque singulas theses secundum aliquod schema uniforme et experientia probatum disposui. Hoc modo librum tam perspicuum redditum esse puto, ut, licet prolixior evaserit, sat facile ab auditoribus cursus theologiae scholasticae tamquam liber textus adhiberi possit, id quod etiam ex diuturna experientia iam constat.

Nonnulla de modo citandi fontes a me adhibito addam. Quando decisiones doctrinales vel textus patristici in notissimis Enchiridiis a Denzinger et Rouët de Journal editis exhibentur, alios fontes notare superfluum duxi, quippe qui in istis Enchiridiis facile inveniantur. Quoniam Denzinger ad indicandas definitiones ecclesiasticas fere semper sufficit, raro admodum citavi alterum recentius et sane optimum Enchiridion Ferdinandi Cavallera, cui titulus: Thesaurus doctrinae catholicae (Parisiis 1920). Patrologiam a Migne editam a plerisque lectoribus facilius adiri posse supponens, textus SS. Patrum plerumque ex ista collectione desumpsi, etiamsi meliores editiones berolinenses et vindobonenses iam praesto erant; haud raro tamen has recentiores editiones laudavi. Cum in Conspectu chronologico n. 20 ss accurate indicatum sit, quo loco varia S. Augustini de gratia scripta apud Migne inveniantur, postea textus ex his scriptis afferens designandis locis mignianis supersedi. Quae in citatis textibus, etiam modernorum auctorum, insigniuntur typis, plerumque a me, non ab ipsis auctoribus, hoc modo prae ceteris notata sunt. Auctores modernorum tractatum, qui adhibitis numeris marginalibus materiam in sectionunculas discernunt, secundum hos numeros, non secundum numeros paginarum, citavi. Tandem lectori commendo, ut ante usum libri inspiciat indicem abbreviationum p. XIII s praemissum.

Valkenburgi, e Collegio S. Ignatii, die 3 Iunii 1929.

CONSPECTUS

	<i>pag.</i>
PRAENOTANDA	1
Conspectus historicus evolutionis doctrinae de gratia	6

SECTIO I DE NECESSITATE GRATIAE

ARTICULUS I DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS SALUTARES

Conspectus chronologicus de Pelagianismo	13
Conspectus chronologicus de Semipelagianismo	18
Thesis 1. Gratia necessaria ad omnem actum salutarem	22
Thesis 2. Etiam initium fidei est donum gratiae	33

ARTICULUS II DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS NATURALITER HONESTOS

§ 1. QUID NATURA LAPSA POSSIT

Doctrina principalium adversariorum (Baii, Iansenii etc.)	41
Thesis 3. Opera peccatorum et infidelium	50
<i>Schol. 1.</i> Doctrina S. Augustini apparenter opposita	62
<i>Schol. 2.</i> De auctoritate « Doctoris gratiae »	67
Thesis 4. Actus naturaliter honesti sine gratia	70
<i>Schol.</i> De amore Dei super omnia	79

§ 2. QUID NATURA LAPSA NON POSSIT

Thesis 5. Lex naturalis diu servanda	79
<i>Schol.</i> De natura et gratuitate huius auxilii	94
<i>Assertum.</i> Peccata venialia vitanda	101
<i>Schol.</i> De perfectione iustitiae	105
Thesis 6. Potestas perseverandi in iustitia	106
<i>Coroll. sectionis I.</i> Vires morales et physicae	117
<i>Epilogus</i>	120

SECTIO II

DE GRATUITATE ET SUPERNATURALITATE GRATIAE

ARTICULUS I

DE GRATUITATE GRATIAE RELATE
AD OPERA HOMINIS LAPSI

De vocabulo et conceptu gratuitatis	121
Thesis 7. Excluditur meritum et impetratio	123
Thesis 8. Excluditur positiva, statuitur negativa dispositio	136

ARTICULUS II

DE SUPERNATURALITATE GRATIAE

Synopsis historica	166
De conceptu entis supernaturalis	169
Thesis 9. Dona simpliciter supernaturalia ordinis divini	173
<i>Coroll.</i> De merito, dispositione, impetratione	201
Thesis 10. Actus, habitus, auxilia entitative supernaturalia	202
<i>Schol.</i> De obiecto formali supernaturali	212

SECTIO III

DE GRATIA IUSTIFICATIONIS

ARTICULUS I

DE PROCESSU IUSTIFICATIONIS

De conceptu biblico iustitiae et iustificationis secundum Catholicos et Protestantas	221
Thesis 11. Dispositio per fidem aliosque actus	230
<i>Schol. 1.</i> De dispositione morali et physica	246
<i>Schol. 2.</i> S. Thomas de ultimo actu dispositivo	247
Thesis 12. Peccata delentur et homo renovatur	250
<i>Schol.</i> De duplici iustitia formali	260

ARTICULUS II

DE DONIS IN IUSTIFICATIONE DATIS

Conspectus historicus	262
Praenotanda de virtutibus infusis	264
Thesis 13. Gratia sanctificans et virtutes theologicae	266
<i>Schol. 1.</i> Quale ens sit gratia sanctificans	285
<i>Schol. 2.</i> Quale ens sit virtus infusa	287
<i>Schol. 3.</i> Habitus gratiae et caritatis	287
<i>Schol. 4.</i> De subiecto donorum infusorum	290
<i>Schol. 5.</i> De causa formali iustificationis	290

	<i>pag.</i>
<i>Schol.</i> 6. De numero virtutum theologicarum	291
<i>Schol.</i> 7. Quando infundantur fides et spes	293
<i>Schol.</i> 8 et 9. Quaestiunculae de donis infusis	296
Thesis 14. Consortium divinae naturae	296
Thesis 15. Filiatio adoptiva	313
<i>Schol.</i> 1. Enumerantur effectus formales	324
<i>Schol.</i> 2. De relatione inter gratiam et remissionem peccatorum	324
<i>Schol.</i> 3. De amicitia cum Deo	328
<i>Schol.</i> 4. Scholasticorum differentiae doctrinales	328
Thesis 16. Inhabitatio Spiritus Sancti	328
<i>Schol.</i> 1. De virtutibus moralibus infusis	343
<i>Schol.</i> 2. De donis Spiritus Sancti	345

ARTICULUS III

DE AMISSIONE ET AUGMENTO IUSTITIAE

Thesis 17. Amissibilitas iustitiae	348
<i>Schol.</i> 1. Habitus in altera vita	361
<i>Schol.</i> 2. De inaequalitate iustitiae	361
<i>Schol.</i> 3. De augmento gratiae et virtutum	362
<i>Schol.</i> 4. Num habitus infusi minuantur sive remittantur	365

SECTIO IV

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS

Conspectus historicus	367
Thesis 18. Illustrationes et inspirationes immediatae	369
<i>Coroll.</i> Qui actus intellectus et voluntatis	385
<i>Schol.</i> De divisionibus gratiae actualis	386
Thesis 19. Non entitas fluens, sed ipse actus vitalis	391
<i>Coroll.</i> De associatione causarum actus supernaturalis	402
<i>Schol.</i> De necessitate gratiae actualis pro iustis	403

SECTIO V

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI

Praenotanda (de historia)	409
-------------------------------------	-----

ARTICULUS I

DOCTRINA CATHOLICA

Thesis 20. Gratia vere et pure sufficiens; gratia efficax libertatem non laedens	410
Thesis 21. Gratia efficax et donum perseverantiae finalis	424
<i>Schol.</i> De confirmatione in gratia	443

ARTICULUS II

EXPLICATIO GRATIAE EFFICACIS
INTER CATHOLICOS CONTROVERSA

Conspectus chronologicus disputationum de efficacia gratiae	200. 445
Thesis 22. Systema praedeterminationis physicae	454
<i>Schol. 1.</i> Del Prado de gratia operante et cooperante	472
<i>Schol. 2.</i> S. Thomas adversarius praedeterminationis physicae actuum liberorum	475
Thesis 23. Quattuor alia systemata	481
<i>Schol. 1.</i> De aliis formis Syncretismi (Pecci)	494
<i>Schol. 2.</i> De doctrina S. Augustini	495
Thesis 24. Molinismus	498
<i>Schol. 1.</i> De Molinismo et Congruismo	510
<i>Schol. 2.</i> Decretum Claudii Aquavivae	521

SECTIO VI

DE DISTRIBUTIONE GRATIAE

Praenotanda (quaestiunculae de ordine supralapsario, parvulis, Vetere Testamento)	525
Thesis 25. Voluntas salvifica et gratia sufficiens, etiam pro obduratis et infidelibus	529
<i>Schol. 1.</i> Quomodo infidelibus negativis sufficienter provisum sit	548
<i>Schol. 2.</i> De inaequali gratiarum distributione	556

SECTIO VII

DE MERITO

Praenotanda	557
Thesis 26. Iustus vere meretur	557
<i>Schol. 1.</i> De obiectis meriti	574
<i>Schol. 2.</i> De condicionibus meriti	583
Appendix de gratiis gratis datis	590
Index scripturisticus	591
Index nominum et rerum	595

INDEX THESIUM

(Simul indicantur textus principales ex Summa theologica
S. Thomae Aquinatis.)

	<i>pag.</i>
1. Ad omnem actum salutarem interna gratia supernaturalis est absolute et physice necessaria (1, 2 q. 109 a. 5 6)	22
2. Etiam initium fidei est donum gratiae (2, 2 q. 6 a. 1 2)	33
3. Non omnia opera peccatorum et infidelium sunt peccata (2, 2 q. 23 a. 7; q. 10 a. 4)	50
4. Homo lapsus sine gratia simpliciter supernaturali et sine omni auxilio indebito potest facere et quandoque facit aliquos actus naturaliter honestos (1, 2 q. 109 a. 2)	70
5. Homo lapsus sine auxilio Dei speciali non habet potentiam moralem diu servandi totam legem naturalem quoad substantiam sive omnes tentationes graves honeste superandi (1, 2 q. 109 a. 4 8)	79
6. Iustus in accepta iustitia diu perseverare non potest sine auxilio Dei speciali, quod tamen nulli denegatur (1, 2 q. 109 a. 9)	106
7. Homo lapsus solis naturae viribus gratiam salutarem neque de condigno neque de congruo mereri neque precibus impetrare potest (1, 2 q. 114 a. 5; 2 q. 83 a. 15)	123
8. Per vires naturae homo lapsus nullo modo potest se positive disponere ad gratiam; asserenda tamen est dispositio mere negativa secundum principium: «Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam» (1, 2 q. 109 a. 6; q. 112 a. 3)	136
9. Quaedam dona gratiae transcendunt naturam, vires et exigentias naturales omnium creaturarum et intrinsicus pertinent ad eum ordinem divinum, cuius est visio Dei intuitiva (1, 2 q. 111 a. 1 ad 2; q. 112 a. 1; q. 114 a. 2)	173
10. Praeter gratiam habitualement etiam actus salutares et eorum principia, habitus infusi virtutum et actualia gratiae auxilia, sunt entitative et simpliciter supernaturalia (cf. 1, 2 q. 62 a. 1 3; q. 63 a. 3 4)	202
11. Ad iustificationem adultus debet se disponere per actus salutares, ad quos praeter alios pertinet fides dogmatica, non vero fides fiducialis Protestantium (1, 2 q. 112 a. 2 5; q. 113 a. 3—5)	230
12. In iustificatione peccata vere delentur et homo interne renovatur (1, 2 q. 113 a. 1 2 6; q. 109 a. 7)	250
13. Ad iustitiam inhaerentem adaequate sumptam saltem pertinent gratia sanctificans et virtutes infusae fidei, spei, caritatis, quae sunt dona creata et physice permanentia (1, 2 q. 110 a. 1 2; q. 62)	266
14. Gratiae sanctificantis effectus formalis primarius est in eo, ut animam vere et physice, licet analoge et accidentaliter, reddat divinae naturae formaliter consortem, i. e. ut in ea supernaturalem imaginem Dei exprimendo, eam assimilet naturae divinae intellectuali et morali (1, 2 q. 110 a. 3 4; 1 q. 93)	296

	<i>pag.</i>
15. Gratia sanctificans hominem formaliter constituit filium Dei adoptivum (3 q. 23 a. 1—3)	313
16. In iustificatione donum increatum datur Spiritus Sanctus, in anima tamquam in templo suo inhabitans. Haec nova relatio, cuius fundamentum est gratia creata, praecipue explicatur per essentialem ordinationem gratiae in Deum, uti est in se, tamquam obiectum cognitionis et amoris supernaturalis animae intime praesentem (1 q. 43 a. 3 5 6)	328
17. Iustitia adaequate sumpta potest amitti, etiam in perpetuum. Amittitur omni et solo peccato mortali gratia sanctificans cum omnibus donis infusus praeter habitus fidei et spei, qui non destruuntur nisi peccatis directe oppositis (2, 2 q. 24 a. 10—12; 1, 2 q. 65 a. 4)	348
18. Existunt auxilia actualia gratiae internae, quae a fontibus exhibentur tamquam illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis immediatae importantque actus vitales indeliberatos et deliberatos (1, 2 q. 109 a. 6 9)	369
19. Gratia actualis probabilius non consistit in fluente entitate non vitali, sed est ipse actus vitalis a facultate externe elevata elicitus atque in actum deliberatum et salutarem cum concursu Dei correspondente producendum etiam physice influens (cf. 1, 2 q. 110 a. 2)	391
20. Etiam in statu naturae lapsae datur gratia pure sufficientis, quae vere sufficit, et gratiae efficaci resisti potest (1 q. 62 a. 3 ad 2; 1, 2 q. 106 a. 2 ad 2)	410
21. Est gratia in actu primo infallibiliter efficax et qua talis a Deo praevisa ac decreta. Hinc omnia opera bona, maxime vero donum perseverantiae finalis, habent rationem specialis beneficii divini (1, 2 q. 112 a. 3; q. 109 a. 10)	424
22. Efficacia gratiae nequit explicari per praedeterminationem physicam, praesertim quod sic non satis servatur vera sufficientia gratiae pure sufficientis neque vera libertas arbitrii gratia efficaci moti (cf. 1, 2 q. 9 a. 3—6; q. 10 a. 4)	454
23. Efficacia gratiae non recte explicatur per praedeterminationem moralem vel delectationem vitricem neque per decretum Dei condeterminans neque per systema sorbonico-alfonsianum	481
24. Efficaciam gratiae Molinismus ope scientiae mediae recte explicat (cf. 1 q. 14 a. 13)	498
25. Deus ex voluntate salvifica universali omnibus adultis peccatoribus, etiam obduratis et infidelibus negativis, dat gratias saltem remote ad iustificationem sufficientes (2, 2 q. 20 a. 3; 3 q. 86 a. 1)	529
26. Homo iustus bonis operibus vere meretur apud Deum augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et gloriae caelestis augmentum (1, 2 q. 114 a. 1 2 8)	557

ABBREVIATIONES

- BB** = *Cl. Baemker*, Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters (Münster i. W. 1891 ss).
- Ber.** = *Blas. Beraza S. J.*, Tractatus de Gratia Christi (Bilbao 1916).
- BzFchrTh** = Beiträge zur Förderung christlicher Theologie. Herausgegeben von *A. Schlatter* und *H. Cremer* (Gütersloh 1897 ss).
- CL** = Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis (Parisiis-Friburgi Brig. 1875—1890).
- Cornely** = *Rud. Cornely S. J.*, Commentarii in S. Pauli epistulas maiores (Cursus Scripturae Sacrae, Parisiis 1890—1896).
- CR** = Corpus Reformatorum (1827 ss).
- CV** = Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum (Vindobonae 1866 ss).
- DdTh** = *A. Vacant - E. Mangenot (-E. Amann)*, Dictionnaire de Théologie catholique (Paris 1903 ss).
- Dict. Apol.** = Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique. 4^{me} éd., sous la direction de *A. d'Alès* (Paris 1911 ss).
- Div. Thom.** = Divus Thomas (nisi aliud notetur: Friburgi Helv. 1923 ss).
- Dz** = *H. Denzinger - Cl. Bannwart S. J. - I. Umberg S. J.*, Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 16 et 17 (Friburgi Brig. 1928).
- Ehses** = Concilium Tridentinum. Edidit Societas Goerresiana. Tom. V. Collegit, edidit, illustravit *Steph. Ehses* (Friburgi Brig. 1911).
- Ephem. Theol. Lovan.** = Ephemerides Theologicae Lovanienses (Lovanii-Brugis 1924 ss).
- Gregorianum** = Gregorianum. Commentarii de re theologica et philosophica (Romae 1920 ss).
- Kath.** = Der Katholik (Mainz 1821—1918).
- Knabenbauer** = *Ios. Knabenbauer S. J.*, Commentarii (Cursus Scripturae Sacrae, Parisiis 1886 ss).
- Lah.** = *Gust. Lahousse S. J.*, Tractatus de Gratia divina (Brugis 1902); — Tractatus de Virtutibus infusis (Brugis 1900).
- Mansi** = *I. D. Mansi*, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio (1759—1927).
- Mazz.** = *Cam. Mazzella S. J.*, De Gratia Christi praelectiones (Woodstock 1878; ed. 4.: Romae 1894).

- MG, ML** = *I. P. Migne*, Patrologiae cursus completus, series graeca (Parisiis 1857 ss); series latina (Parisiis 1841 ss).
- Müller, Bek.** = *E. F. Karl Müller*, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche (Leipzig 1903).
- Müller, Symb. B.** = *J. T. Müller*, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, deutsch und lateinisch. 11. Aufl. (Th. Kolde). (Gütersloh 1912).
- NouvRevThéol.** = Nouvelle Revue Théologique (Tournai 1869 ss).
- N. T.** = Novum Testamentum.
- P** = *Christ. Pesch S. J.*, Praelectiones dogmaticae (nisi aliud notetur: tom. V. De Gratia. Ed. 4 [Friburgi Brisg. 1916]).
- Palm.** = *Dom. Palmieri S. J.*, Tractatus de Gratia divina actuali (Galopiae 1885).
- PC** = *Christ. Pesch S. J.*, Compendium theologiae dogmaticae. Tom. 3. Ed. 3 (Friburgi Brisg. 1924).
- R** = *M. J. Rouët de Journal S. J.*, Enchiridion patristicum. Ed. 4 et 5 (Friburgi Brisg. 1922).
- RechScRel** = Recherches de Science religieuse (Paris 1910 ss).
- REprTh** = *J. J. Herzog-A. Hauck*, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche. 3. Aufl. (Leipzig 1896—1913).
- RevScPhTh** = Revue des Sciences philosophiques et théologiques (Le Saulchoir, Kain 1907 ss).
- RevThom** = Revue Thomiste (1893 ss).
- Sch.** = *M. Jos. Scheeben*, Handbuch der kath. Dogmatik. 3. Buch. Begründung der natürlichen und übernatürlichen Weltordnung; — 6. Buch. Verwirklichung des von Christus verdienten Heiles; — Fortsetzung von *L. Atzberger*. (Freiburg i. Br. 1878 1882 1898).
- Schiff.** = *S. Schiffini S. J.*, Tractatus de Gratia divina (Friburgi Brisg. 1901); — Tractatus de Virtutibus infusis (ibid. 1904).
- Scholastik** = Scholastik. Vierteljahresschrift für Theologie und Philosophie (Freiburg i. Br. 1926 ss).
- StML** = Stimmen aus Maria-Laach (Freiburg i. Br. 1871—1914).
- StdZ** = Stimmen der Zeit (Freiburg i. Br. 1915 ss).
- Th. Rev.** = Theologische Revue (Münster i. W. 1902 ss).
- ThQS** = Theologische Quartalschrift (Tübingen 1814 ss).
- TU** = Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausgegeben von *O. v. Gebhardt* und *Ad. Harnack* (Leipzig 1883 ss); — NF = Neue Folge (ibid. 1897 ss).
- V. T.** = Vetus Testamentum.
- ZkTh** = Zeitschrift für katholische Theologie (Innsbruck 1877 ss).
- Zor.** = *Franc. Zorell S. J.*, Novi Testamenti Lexicon Graecum (Parisiis 1911).

PRAENOTANDA

1. **Nexus.** Salutem supernaturalem, a Deo protoparentibus datam et ab iisdem peccato originali amissam, Christus opere redemptionis restituit. Consummatur *fine ultimo* visionis beatificae et inchoatur *donis viae* ad hunc finem ordinantibus. Praeter *revelationem* supernaturalem, qua ultimus finis *obiectivae* ostenditur, Deus hominibus viatoribus etiam *subiectiva dona et auxilia* ad hunc finem fructuose appetendum contulit. Sunt imprimis *gratia habitualis, virtutes infusae, actualia gratiae auxilia*. Donis creatis in tempore conferendis respondet ex parte ipsius Dei aeterna eius *voluntas salvifica*, qua ista dona gratiae et gloriae aeterno consilio *praedestinavit*.

2. Nomen et generalis notio gratiae.

Zorell, *Preuschen* aliorumque lexica. — R. Vömel, *Der Begriff der Gnade im Neuen Testament* (Gütersloh 1903). — Gillis P. Wetter, *Charis* (Leipzig 1913). — N. Glueck, *Das Wort hesed im atl Sprachgebrauche* (Giessen 1927).

Gratia idem est ac *χάρις*: 1) *venustas*, amabilitas (etiam personificata tamquam dea); 2) *favor*, benevolentia (*χάρον*, gratiā = in favorem, propter); 3) *donum*, beneficium; 4) *gratitudo*. Nobis considerandus est 2us et 3us sensus, quem vocamus *subiectivum* et *obiectivum*. De usu vocabuli extra religionem revelatam duo notatu digna affert Wetter: a) Beneficia ab *imperatoribus* concessa vocantur *χάριτες*; dicitur *χάρισμα* (donativum) pecunia, quae initio anni vel diē natali imperatoris militibus donabatur. Hic usus vocis ad notionem *benignitatis* addebat ideam *supremae cuiusdam independentiae* summi domini in conferendis beneficiis. — b) In scriptis *mysticis* et *magicis* temporis hellenistici *χάρις* significat aliquam internam vim supernaturaliter immissam, qua homo potens fit ad mira quaedam patrandā (vocatur etiam *δύναμις* vel *πνεῦμα*). Sic haec vox tempore hellenistico ad exprimendam ideam *auxilii interni* ad *supernaturaliter* agendum aptior facta est, quam tempore classico fuerat et correspondentia vocabula hebraica erant.

3. **Usus biblicus.** Vox *χάρις* in Mt et Mc non invenitur; in Lc 8 ×, in Act 17 ×, in Io 4 × (1, 14—17), in Apc 2 × adhibetur; apud S. Paulum 110 × (praesertim Rom, Cor, Eph, Hebr); in

1 Petr 12 x; in aliis epistulis raro. *Χάρισμα* non occurrit nisi apud S. Paulum (14 x) et S. Petrum (1 x). Apud Paulum et Lucam inveniuntur verba *χαρίζομαι* et *χαριτόω*, quae non restringuntur ad solam condonationem peccatorum (v. g. Lc 1, 30; 2, 40). Generatim exprimitur omnimoda *gratuitas* in oppositione ad mercedem operum; potest tamen ex significatione grati animi induci notio *recompensationis* cuiusdam (quare Lc 6, 32 *χάρις* idem est ac Mt 5, 46 *μισθός*). Tropice S. Paulus loquitur de gratia tamquam de aliqua *regione*, in qua versamur, vel de aliquo *elemento*, in quo vivimus (Rom 5, 2: *τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν εἰς τὴν χάριν ταύτην*. Gal 5, 4: *τῆς χάριτος ἐξεπέσατε*), et in Rom 5 ss tamquam de aliqua potentissima *regina*, quae dominatur in suo regno et inimicas *potestates*, *τὴν ἀμαρτίαν* scilicet eiusque satellites, *τὸν θάνατον*, *τὴν ἐπιθυμίαν*, *τὸν νόμον*, debellat atque triumphat.

4. **Hebraice** correspondet *חֵן* *chen* (cf. *Channah*, nomen proprium Anna) = venustas, favor, benevolentia (*maza' chen be'éné* = « invenire gratiam in oculis » Dei vel alicuius hominis). Frequentius est vocabulum *חֶסֶד* *chesed*, quod primitus significare videtur modum agendi conformem alicui societati (v. g. inter cognatos, amicos, foederatos, herum et famulos, regem et subditos); sed saltem in recentioribus libris V. T. habet etiam notionem benignitatis gratis praestitae (cf. *Glueck* et *Scholastik* 3 [1928] 299 s). Sept. illud reddunt per *ἔλεος* et aequivalentia vocabula, Vulg. per « misericordiam »; sed non necessario connotat miseriam amati. Saepe occurrit Dei « *chesed we'emeth* » (misericordia et veritas, rectius: benignitas et fidelitas, *Huld und Treue*); Io 1, 14 ad hunc terminum alludit.

Germanica vox: *ginada*, *Genade*, *Gnade* (cf. *nahe*, *sich neigen*, *nieder*) sensum et subiectivum et obiectivum habet. Valde exprimit gratuitam *demissionem* superioris ad inferiorem immeritum et facile innuit *condonationem* culpae vel poenae (*Begnadigung*).

5. **Divisiones** gratiae conceptum theologicum accuratius enucleant:

1. Gratia **dans** (subiectiva): favor sive benevolentia gratis dantis, et gratia **data** (obiectiva): beneficium seu donum gratis datum.

2. Gratia **humana** et **divina**.

3. Gratia **pura**: prorsus gratuita sive immerita, et gratia **mixta**: cui ratio meriti admiscetur (cf. *Trid.* s. 6 c. 16 [Dz 810]: «ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona»).

4. Gratia **naturalis** et **supernaturalis** (v. *Palm.* th. 2). Dona naturalia sunt gratuita: a) qua negative *indebita*; Deus enim non tenebatur ad nos creandos; b) etiam supposita creatione multa dona Dei sub multiplici respectu sunt positive *indebita*. Singula enim *individua* non possunt exigere, ne ullo bono per accidens priventur, quod speciei qua tali competit. Sic sani sensus, integra membra, rectus usus rationis evadunt gratiae naturales. Porro quoad *copiam* et *numerum* plurima debentur purae Dei liberalitati. In adducendis et removendis occasionibus boni et mali naturalis Dei providentia multa libere concedit vel denegat. In omnibus his manifestatur ἡ παντοκράτορος δωρεὰ Dei (Sap 16, 25). Quae gratia naturalis «merito gratia dici potest...: alia est tamen [scil. christiana sive supernaturalis], qua praedestinati vocamur, iustificamur, glorificamur». Sic S. *Augustinus* cum quattuor aliis episcopis ad Innocentium I (Epist. 177 n. 7 [R 1443]). Haec est multo magis gratuita, quia omni creaturae est simpliciter positive *indebita* eamque ad ordinem vere divinum elevat. Est donum pretiosius et maioris gratuitatis.

5. Gratia **Dei** (*tantum*): angelorum et protoparentum (ante lapsum), et gratia **Christi** (*Dei per Christum Redemptorem*): propter merita Christi data. Haec est entitative eadem ac gratia Dei, sed habentur inter utramque hae *differentiae*: Gratia Dei procedit simpliciter ex benignitate, confertur non dignis, quos elevat, sine merito proprio vel alieno; gratia vero Christi provenit ex misericordia, datur positive indignis per peccatum, quos sanat et elevat, supponitque merita Christi.

6. Gratia **elevans** dicit naturae purae elevationem sive ad perfectionem alicuius altioris creaturae (supernaturalis *secundum quid*), sive ad perfectionem solius Dei naturaliter propriam (supernaturalis *simpliciter*). Gratia **sanans** sive *medicinalis* naturae vulneratae vel infirmae medetur, i. e. hominem lapsum adversus concupiscentiam roborat. Potest simul elevare vel coniuncta esse cum gratia elevante.

7. Divisio gratiae **externae** et **internae** (cf. *Palm.* th. 4) generatim non relate ad totum hominem, sed ad animam superiorem intellegitur; hinc beneficia et auxilia, quae corpori et animae sensitivae dantur, potius gratiis externis accensentur. Omis-

sis bonis cogitationibus et volitionibus naturalibus nomen gratiae internae fere unice reservatur donis superioris animae *entitative supernaturalibus*. Gratiae *externa* e nonnisi ut obiecta cognita et volita in animam intrans vel animae ut media gratiae internae applicantur. Ad easdem pertinent revelatio divina, incarnatio, vita et mors Christi, Ecclesia, sacramenta, exempla sanctorum, praedicatio etc. Gratia interna est *praestantior*, magis necessaria et utilis quam externa, quae in eam ut in suum finem ordinatur, quamvis secundum perfectionem ontologicam aliqua gratia externa possit esse excellentior (incarnatio; eucharistia). Gratia externa *Legis* tamquam inferior opponitur gratiae internae Novi Testamenti (Io 1, 17; Gal; Rom; S. Augustinus contra Pelagianos).

8. Gratia (data) **increata**: Spiritus Sanctus et tota Trinitas inhabitans, Deus in patria immediate visus, et **creata**: gratuiti effectus a Deo producti.

9. Gratia **viae** et **patriae**.

10. Gratia ut **donum** (tantum): solus effectus gratuitus qua talis, et gratia ut **auxilium**: qua principium actuum salutarium (sive efficiens sive dignificans). In tractatu de gratia praevallet consideratio gratiae ut auxilii.

11. Gratia **gratis data** (tantum) et gratia (insuper) **gratum faciens** (v. *Palm.* th. 5). Totum hominem Deo gratum facit sola gratia sanctificans cum virtutibus caritate formatis; quare *veteres* fidem et spem informem atque attritionem numerabant inter gratias gratis datas. Sed *nunc* omnes gratiae, quae per se *in spiritualem utilitatem recipientis* ordinantur, etsi actus tantum aliquos Deo gratos reddant, vocantur gratum facientes, et gratias gratis datas vocamus cum S. Thoma eas, quae per se *in utilitatem aliorum* destinantur (charismata). Excellentior est gratia gratum faciens (Lc 10, 20; 1 Cor 12-14).

12. Gratia **habitualis** (*zuständliche*) et **actualis** (*wirkliche, tätige, helfende Gnade, Aktgnade, Gnade des Bestands*). Gratia habitualis est donum internum *permanens*, quo anima vel aliqua potentia animae in *statum* supernaturalem elevatur ideoque *principium vitae* supernaturalis evadit. Plerumque intellegitur solum *ultimum* principium, quod est quasi nova anima hominis regenerati: gratia sanctificans (*heiligmachende Gnade*) sive iustificans (*Rechtfertigungs-*

gnade). *Gratia actualis est transiens* auxilium sive aliqua *motio* divina (illuminans intellectum vel inspirans voluntatem) ad *actum* aliquem salutarem eliciendum.

13. *Gratiae habituales sunt gratia sanctificans, virtutes infusae* et (probabiliter) **bona Spiritus Sancti**.

14. *Gratia excitans et adiuvens, operans et cooperans, praeveniens, concomitans et subsequens, incipiens et perficiens*. Has et similes divisiones veteres maxime gratiae habituali, hodierni vero paene exclusive actuali applicant.

15. *Gratia sufficiens* dat posse, **efficax** dat agere.

Hae divisiones gratiae, quas initio tractatus per modum conspectus assertorie et quasi analytice statuimus, per decursum eiusdem tractatus modo magis synthetico e fontibus theologicis paulatim eruendae sunt. Nam non omnes hi conceptus a S. Scriptura aliisque primaevis revelationis fontibus explicite docentur, neque ex experientia de iis constat. Sine revelatione nihil sciremus de gratia supernaturali, atque ens simpliciter supernaturale est mysterium strictè dictum sicut visio Dei intuitiva (v. n. 287). Ratio autem fide illustrata sive ratio theologica potest aliquam mysteriorum intelligentiam assequi (*Vaticanum* s. 3 c. 4 [Dz 1796]). Iamvero cognitio, quae per multiplices gratiae divisiones modo prolatae exprimitur, est magna pars fructuum illius laboris theologici, qui per tot saecula impensus est ad ea, quae de gratia revelata sunt, ratione penetranda et in aliquod systema theologicum redigenda.

6. Definitiones (v. *Van der Meersch* n. 2 ss; *Beraza* n. 1 10; *Stan. Kolipinski*, *Le Don de l'Esprit Saint* [Fribourg 1924] Chap. I, *Du Don en général*).

1. *Gratia divina in genere intellegitur bonum aliquod a Deo gratis et ex benevolentia concessum. Bonum* sive beneficium (elementum materiale): *res alteri data vel actio* in alterius commodum facta. *Gratis et ex benevolentia* (elementum formale); *gratis*: non debitum, non meritis redditum, sed donatum (*donatio*: datio irredibilis, i. e. non intuitu retributionis data); *ex benevolentia*: non ex necessitate, iustitia, utilitate, amore concupiscentiae, sed ex amore benevolentiae; neque mere *cum benevolentia* (concomitante), sed *ex hoc* motivo, sive totali (*gratia pura*) sive partiali (*gratia mixta*).

2. *Gratia salutaris est donum supernaturale a Deo creaturae rationali gratis concessum in ordine ad vitam aeternam.*

CONSPECTUS HISTORICUS
EVOLUTIONIS DOCTRINAE DE GRATIA

7. Vetus Testamentum habet oeconomiam *Legis*, non gratiae (cf. n. 663). Pauca clare et explicitè de gratia docet, sed longe abest a superbia stoica et pelagiana. Celebrat benignitatem, liberalitatem, misericordiam Dei, beneficia pro libitu distribuentis, populum Israel eligentis, peccata condonantis. Ostendit a longe copiosiora et pretiosiora dona salutis messianae, quando Deus iam docebit interne (Ier 31, 31 ss) dabitque cor carneum, ut in praeceptis eius ambulent (Ez 11, 19; 36, 26 ss). A Deo petendum est cor mundum (Ps 50, 12). Ipse aliquo sensu malos indurat (Ex 9, 12; Is 6, 10). Tamen vita et mors a libera electione hominis pendent (Dt 30, 15 ss), qui etiam gratiae resistere potest (Is 5). Necessitas et supernaturalitas gratiae internae nondum adeo expresse revelatae erant.

8. Synoptici: Christus manifestat benignitatem Patris nostri coelestis, condonat peccata, promittit paradisum (Lc 23, 43). Regnum Dei est donum Patris, electis paratum a constitutione mundi (Mt 25, 34), sed est etiam merces bonorum operum. Quaedam gratiae per malitiam hominum fructu carent (Mt 11, 20ss; 23, 37). Deus liberrime gratias distribuit (Mt 20: operarii in vinea). Ex nobis servi inutiles sumus (Lc 17, 10). Christus interne revelatur a Patre (Mt 16, 17). Satis raro gratia clare apparet tamquam donum internum. — In **Actibus Apost.** clarius exhibetur ut interna vis divinitus infusa (6, 8: Stephanus est *πλήρης χάριτος και δυνάμεως*), sed difficiliter gratia gratum faciens distinguitur a charismatis. — **Io 1:** Logos-Christus illuminat omnes homines, dedit potestatem filios Dei fieri, est fons omnis gratiae; 3: regeneratio; 4 et 7: aqua viva; 6: panis vitae; Pater trahit; 14—16: missio S. Spiritus, inhabitatio; 15: vitis; 1 Io 3: filii Dei; Apc 3, 20: pulsat ad ostium. Sic apud S. Ioannem idea gratiae sub multis aliis vocibus invenitur: *ζωή αλώτιος, πνεῦμα, ἀλήθεια, φῶς, ὕδωρ ζωῆς, ἀργός τῆς ζωῆς* etc.

9. Principalis fons scripturisticus est S. Paulus. Occasione *polemicae* adversus iudaizantes Galatis gratuitam iustificationem per fidem caritate actuosam proposuit, quam doctrinam dein magis *theticè* Romanis explicavit (3 s: gratuitas; 5—8: victrix potentia gratiae adversus omnes inimicas pote-

states; 8: adoptio; 9—11: gratuita electio, obduratio). 1 Cor 3, 6 s: Deus incrementum dat; 3, 16 s; 6, 19: templum S: Spiritus; 12—14: charismata et virtutes theologicae; 2 Cor 3, 5: insufficientia ad cogitandum; Eph 1 et 2: in laudem gloriae gratiae; Phil 1, 6; 2, 13: Deus incipit et perficit opus bonum; 1 Tim 2, 1—6: Dei voluntas salvifica; Tit 3, 4—7: lavacrum regenerationis; Hebr 11: efficacia fidei.

Doctrina S. Pauli, quae monente S. Petro (2 Petr 3, 16) quaedam difficilia intellectu continet, completur doctrina **S. Iacobi** de fide, quae sine operibus mortua est (Iac 2). **1 Petr** saepius de gratia loquitur, **2 Petr** 1 docet consortium divinae naturae.

10. Ex Patribus apostolicis *Clemens Rom.* et *Ignatius* data occasione de gratia tractant, quae primis saeculis plerumque *πνεῦμα* sive *ἄγιον πνεῦμα* vocatur¹. — Apologetae et posteriores Patres graeci contra Gnosticos et Manichaeos bonitatem naturae et libertatem arbitrii inculcant; quare minus ad infirmitatem naturae lapsae et necessitatem gratiae sanantis attendunt. Nonnulli, inter quos *S. Ioannes Chrysostomus*, de initio salutis fere ad modum Semipelagianorum loquuntur; qui error theoreticus, si adest, praxi opposita Ecclesiae etiam graecae corrigitur. Graeci (*SS. Irenaeus, Athanasius, Cyrillus Alex.* aliique) plurima et pulcherrima disserunt de gratia elevante, scil. de deificatione naturae. Econtra Patres latini, inter quos eminent **S. Augustinus**, «Doctor gratiae», excoluerunt doctrinam de necessitate gratiae et proxime quidem gratiae sanantis, praesertim in impugnatione, «inimicorum gratiae», *Pelagianorum* et *Semipelagianorum*. In hac altera lite profundiores quoque quaestiones de efficacia gratiae, de dono perseverantiae et de praedestinatione discutiebantur, sed non sunt decisae a supremo magisterio. Doctrinam **Ecclesiae** exhibent canones concilii *Carthaginensis* (Dz 101 ss), «Auctoritates Sedis Apostolicae episcoporum», collectae in «*Indiculo Caelestini*» sic dicto (Dz 129 ss) et concilium *Arausicanum II* (Dz 174 ss).

11. Theologi. Saeculo IX *Godescalcus* monachus excitavit magnam controversiam de praedestinatione, in qua dirimenda multi theologi et concilia provincialia *Carisiacense* (Dz 316 ss)

¹ Cf. *J. A. Jungmann*, Die Gnadenlehre im Apostolischen Glaubensbekenntnis und Katechismus (ZkTh 50 [1926] 196—219).

et *Valentinum* (Dz 320 ss) insudaverunt. — *S. Anselmus* († 1109) scholasticam tractationem quaestionum de gratia, libero arbitrio, praedestinatione etc. feliciter inauguravit, sed iustitiam naturalem et supernaturalem non satis distinxit. — Dein libri *Sententiarum* et *Summae* ulteriorem doctrinae progressum introducunt; gratiam iustificantem sive gratum facientem maxime vident in virtutibus infusis fidei vivae et caritatis. *S. Bernardus* (De gratia et libero arbitrio) et *Hugo a S. Victore* magna auctoritate gaudebant.

Petrus Lombardus agit l. 1 d. 16—18 de missione S. Spiritus; d. 40 s de praedestinatione; d. 47 s de voluntate Dei circa hominem; l. 2 d. 4—7 de gratia angelorum etc.; d. 24—29 de gratia, virtute, libero arbitrio hominis; d. 38 ss de voluntate hominis, de peccato etc.; l. 3 d. 18 de merito Christi; d. 23—36 de *virtutibus* theologis et cardinalibus, de donis S. Spiritus; l. 4 d. 1 ss de sacramentis.

12. Philosophia aristotelica utiles conceptus praebuit, v. g. *habitus* (ἕξις), *motionis* (κίνησις), *dispositionis* (διάθεσις), *effectus formalis*. Natura humana abhinc considerabatur et abstracte in se et in variis concretis statibus. Sic distinguebantur dona *naturalia* et *superaddita*, habitus *acquisiti* et *infusi*, gratia *sanans* et *elevans*. Per Pseudo-Dionysium¹ et Ioannem Damascenum doctrina Graecorum de deificatione melius innotuit. Conceptus *libertatis* elaborabatur: *ἐκούσιον* (voluntarium), *ἐφ' ἑμὴν προαίρεσις* (electio), *ἀντεξουσίον* (liberum arbitrium), deliberatio, indifferentia iudicii, indeterminatio etc. Nomine gratiae fere unice intellegebatur gratia *sanctificans*; quare non satis attendebatur ad necessitatem auxilii supernaturalis in eliciendis actibus ad eandem disponentibus, donec ex consideratione *motionis* divinae *specialis* oriretur explicita distinctio duplicis gratiae, *habitualis* et *actualis*. Quoad sequelas peccati originalis rigidus Augustinismus communissime mitigabatur; clare docebatur universalitas voluntatis salvificae, sed satisfaciens concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci et praedestinatione adhuc desiderabatur.

13. Theologiam traditionalem cum nova philosophia in unum systema componere studuerunt *Alexander Halensis* (Summa theol.), *S. Bonaventura* (Comment. in 4 libros Sent.; Brevilo-

¹ Secundum *Jos. Stiglmayr* S. J. (Scholastik 3 [1928] 1 ss 161 ss) hic auctor est Severus Antiochenus, monophysita moderator († 538).

quium) et *Albertus Magnus* (In 4 libros Sent. et S. th.); sed synthesim multo perfectiorem debemus **S. Thomae**, qui in prioribus quidem operibus (*In 4 libros Sent.*, annis 1253—55 vel 54—56; *Quaestiones disput. de Veritate*, 1256—59) *philosophis*, praesertim *arabibus*, in rebus quoque theologicis nimis fudit et ideas semipelagianas non satis vitavit, in *Summa contra Gentiles* (1258—60 vel 61—64) rectius procedere coepit et in *Summa theologica* (1266—73) aliisque operibus posterioribus optimum exemplar iustae methodi theologicae factus est.

S. th. 1 q. 23 s de praedestinatione; q. 43 de missione S. Spiritus; q. 62 de gratia angelorum; q. 82 s de voluntate et libertate; q. 93 de imagine Dei; q. 95 de gratia primorum parentum; 1, 2 q. 1—5 de fine ultimo; q. 6 ss de voluntate eiusque actibus; q. 49 ss de habitibus; q. 55 ss de virtutibus (q. 62 theologicis, q. 63 infusis); q. 68 de donis; q. 82 s de peccato originali; q. 109—114 de *gratia*; 2, 2 q. 1—16 de fide; q. 17—22 de spe; q. 23—45 de caritate; q. 46 ss de virtutibus moralibus; q. 171—178 de gratiis gratis datis; 3, q. 7 de gratia Christi; q. 23 de adoptione; q. 24 de praedestinatione Christi; q. 27 de B. V. Mariae sanctificatione; q. 62 de gratia, sacramentorum effectus; q. 69 de effectibus baptismi; q. 86 ss de effectibus poenitentiae; *Suppl.* q. 1—5 de contritione. — Loci paralleli ex aliis operibus Aquinatis solent in editionibus *Summae th.* adnotari. — Doctrinam *principalium Scholasticorum* medii aevi invenies in Scholiis editionis operum *S. Bonaventurae Ad Claras Aquas (Quaracchi)* factae vel etiam apud *Dionysium Cartusianum* (In 4 libros Sent.; editionis Tornacensis t. 21—25).

14. *Scotus*, qui magis in voluntarismum inclinatur, conceptum libertatis optime explicat, sed contra S. Thomam multa potius a libera Dei voluntate quam a necessariis rerum essentiis derivat. Uterius in hanc partem procedunt duce *Guilelmo Occam* (Ockham) multi *Nominales*¹, viam sternentes Luthero, qui totam hominis iustitiam in mera imputatione Dei reponit. Idem cum *Durando* et nonnullis *Scotistis* non satis a Semipelagianis recedunt et conceptum entis supernaturalis obscurant. *Augustinenses* duce *Aegidio Romano* impotentiam virium naturae lapsae exaggerabant, sed *Gregorius Ariminensis* O. S. A. mirum eclecticismum e sententiis augustinianis et nominalisticis habet. — *Wicleff* et *Hus* haereticum fatalismum profitebantur (Dz 581 ss 627 ss).

¹ Non omnes; v. *K. Feckes*, Die Stellung der nominalistischen Schule zur aktuellen Gnade (Röm. Quartalschrift 32 [1924] 157—165) et eiusdem auctoris librum: Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel und ihre Stellung innerhalb der nomin. Schule (1925); cf. Scholastik 1 (1926) 305; 3 (1928) 109—111.

15. Novatores saeculi XVI, falso intelligentes S. Paulum et S. Augustinum, excogitaverunt systema, secundum quod natura, peccato penitus corrupta et libertate morali privata, cogitur ad peccandum, nisi gratia cogatur ad bonum. Iustificatio fit modo mere externo, eo quod peccata non iam imputantur et merita Christi sola fide apprehensa imputantur: *Calvinus* durissimum praedestinatianismum docuit. *Leo X* (Dz 741 ss) et concilium *Tridentinum* istas haereses damnaverunt. Documentum summi momenti pro catholica doctrina de iustificatione est decretum **Tridentinum sess. VI** (Dz 793 ss; acta huius sessionis v. in editione, quam *Steph. Eshes* ex mandato Societatis Goerresianae paravit: Conc. Trid. tom. V). Hanc doctrinam explicabant *Dom. Soto* O.P., *Andr. Vega* O.F.M. aliique. Inter controversistas eminent *B. Rob. Bellarminus* et *Thom. Stapleton*.

16. Mich. Baius, Lovanii extremum Augustinismum professus, a *Leonardo Lessio* et *B. Roberto Bellarmino* S. J. impugnatu atque a S. Pio V damnatus est (Dz 1001 ss). — «Concordia» Ludovici **Molina** S. J. (1588), ope scientiae mediae efficaciam gratiae cum libero arbitrio concilians, occasio magna controversiae fuit. «Congregationes de auxiliis» anno 1607 sine definitione papali finitae sunt (Dz 1090). — Cornelius **Iansenius** (+ 1638) opere postumo «Augustinus» errores baianos innovavit magnasque perturbaciones provocavit (Dz 1092—1099 1291 ss 1350; *Quesnel* 1351 ss; *Pistorienses* 1501 ss). Contra Iansenistas scripserunt *Honoratus Tournely* Sorbonnista, *Steph. Dechamps* S. J. et multi alii. Hisce controversiis praecipue doctrina de gratia *actuali* atque de eiusdem divisione in *sufficientem* et *efficacem exculpta* est. — Magnos commentarios theologicos scripserunt e Thomistis *Bañez*, *Alvarez*, *Lemos*; *Ledesma*, *Ioannes a S. Thoma*, *Salmanticenses* (O. Carm.); e Molinistis *Gregorius de Valentia*, *Suarez*, *Vasquez*, *Martinez de Ripalda* (De ente supernaturali). Inter Augustinenses recentiores eminent cardinalis *Henricus Noris*, *Bellelli* et *Berti*; inter Scotistas *Barthol. Mastrius*. — Theologiam positivam coluerunt ac praesertim doctrinam Patrum collegerunt *Dion. Petavius* S. J., *Isaac Habert*, *Lud. Thomasinus*, *Franc. Ant. Zaccaria* S. J.


17. Tempore «*Illuminationis*» (*Aufklärung*), quae dicitur, theologi etiam catholici infaustum influxum *rationalismi* perpassi sunt (*Bened. Stattler*). Solidam doctrinam retinuit *Henr.*

Kilber S. J. e Wirceburgensibus. — Saeculo XIX *Hermes* et *Günther* in multos errores semirationalisticos ceciderunt, neque *Kuhn* inter naturam et supernaturalia satis distinxit. *Clemens*, *Kleutgen* S. J., *Schrader* S. J., *Scheeben*, *von Schüzler* hos errores refutaverunt; eosdem proscripserunt Gregorius XVI et Pius IX (Dz 1618 ss 1642 ss 1666 ss). In concilio **Vaticano** e magno schemate dogmatico, quo tota doctrina catholica de ordine supernaturali continebatur, pauca tantum de revelatione et fine supernaturali atque de gratia fidei definita sunt (Dz 1785 s 1789—91 1808 1811. Acta habentur CL 7 et Mansi 49—53).

18. Ultimis decenniis theologia positiva multis monographiis de doctrina S. Scripturae, singulorum Patrum et Scholasticorum valde exulta est. Lis de efficacia gratiae revixit et de doctrina S. Thomae vehementer disputatum est (*Schneemann*, *Dummermuth*, *Frins*, *Del Prado*, *Stufler*, *Marin-Sola*). — Hodierni Protestantes magna ex parte omnem gratiam vere supernaturalem rationalisticè negant; alii omissa doctrina « Reformatorum » paulatim ad doctrinas catholicas magis minusve redierunt.

Tractatus de gratia multi ultimis decenniis editi sunt; qui in decursu nostri tractatus passim occurrunt. Eos libros, quos fere pro unaquaque thesi consului atque initio singularum thesium indicavi, simul invenies in Indice abbreviationum. Ampliorem *bibliographiam* inter alios dant *Beraza* et *Van der Meersch*.

19. Divisio tractatus. Incipimus a *necessitate* gratiae, quia de hac exstant primae definitiones Ecclesiae (**sectio I**). Indoles gratiae magis innotescit per eius *gratuitatem* et *supernaturalitatem* (**s. II**). Iam de singulis speciebus gratiae agendum est; ea vero, quae de gratia *habituali* dicenda sunt, opportune occurrent, ubi cum Tridentino de *iustificazione* agemus (**s. III**). Dein in specie agendum erit de natura gratiae *actualis* (**s. IV**). Haec subdividitur in gratiam *sufficientem* et *efficacem* (**s. V**). Nunc fundamenta posita sunt ad tractandum de divina oeconomia in *distributione* gratiae, imprimis de *voluntate Dei salvifica* (**s. VI**). Ultimo loco agetur de fructu gratiae, i. e. de *merito* (**s. VII**).



SECTIO PRIMA DE NECESSITATE GRATIAE

ARTICULUS I DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS SALUTARES

CONSPECTUS CHRONOLOGICUS DE PELAGIANISMO ET SEMIPELAGIANISMO

DE PELAGIANISMO

20. P n 73 ss. — *A. Bruckner*, Quellen zur Geschichte des pelagianischen Streites (1906). — *Varia scripta et monumenta ad Pelagianorum historiam pertinentia* (ML 45, 1679 ss). — *Opera S. Augustini adversus Pelagianos* (ML 44 et 45). — *Epistulae S. Augustini* (ML 33). — *Catalogum operum S. Augustini v. apud Portalii* in *Dict. de théol. cath.* I, 2311 ss. — *Vita S. Augustini a Maurinis composita* (ML 32, 65—578). — *Praefatio editorum in tomum XI* (ML 44, 9—108). — *Henr. Norisius*, *Historia pelagiana* (1673). — *I. Garnier S. J.*, *Dissertationes septem* (1673; ML 48, 255—698). — *D. Petavius S. J.*, *De Pelagianorum et Semipelagianorum dogmatum historia* (1643). — *Fr. Wörter*, *Der Pelagianismus* (1866; 2. ed. 1874). — *Franz Klasesen*, *Die innere Entwicklung des Pelagianismus* (1882). — *Idem*, *Pelagianische Kommentare zu den 13 Briefen des h. Paulus* (TQS 1885). — *Joh. Ernst*, *Pelagianische Studien* (*Der Katholik* [1884 II] 225 ss; [1885 I] 241 ss). — *Jos. Mausbach*, *Die Ethik des H. Augustinus* (1909). — *Fr. Loofs* in *REprTK* 15, 747 ss. — *A. Bruckner*, *Julian von Eclanum, Sein Leben und seine Lehre* (TU XV, 3 [1897]).

21. **S. Augustinus** a. 354 natus, 387 baptizatus, 391 presbyter, 395 vel 396 episcopus, 430 mortuus.

Pelagius monachus, ex Britannia vel Hibernia oriundus, circa a. 400 Romae degit; aegre fert verbum Confessionum S. Augustini (c. a. 400): «Da quod iubes»; praeter quosdam libros deperditos scribit breves *Commentarios in 13 epistulas paulinas* (Ps.-Hieronymus [ML 30, 646 ss])¹. Errores, quos Pelagius celabat vel in ore aliorum ponebat (cf. v. g. Rom 5), discipulus eius **Caelestius** palam spargebat.

¹ V. criticos labores factos ab *Heinr. Zimmer*, *Pelagius in Irland* (Berlin 1901) et *Alex. Souter*, *Pelagius's Expositions of 13 Epistles of St. Paul*, 1. Introduction. 2. Texts and Apparatus criticus, in *Texts and Studies*, vol. 9 (Cambridge 1922 et 1926); de qua editione v. *A. Merk* in *Scholastik* 2 (1927) 259—266.

22.

1. Origo litis in Africa.

410 Roma a Gothis expugnata Pelagius et Caelestius in Africam secedunt.

411 mense Maio Pelagius Carthagine Augustinum contra Donatistas disputantem obiter videt, mox in Palaestinam abit (v. Aug. Epist. 146 ad Pel.). — Caelestius **Carthagine** presbyteratum ambiens a Paulino diacono mediolanensi haeresis accusatur et 7 capitula (de peccato originali, baptismo parvulorum et impeccantia) nolens reicere ab Aurelio episcopo condemnatur. Neglecta appellatione, quam ad **Innocentium I** (401—417) fecerat, in Asiam profectus, Ephesi presbyter videtur esse ordinatus. — Tumultum in Africa excitatum Augustinus aliique episcopi colloquiis et sermonibus sedare conantur (Serm. Aug. 170 174 176 [ML 38]).

412 Augustinus a Marcellino comite rogatus scribit 2 libros *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum*, quibus tamquam 3um librum addit *Epistulam ad Marcellinum* (l. 1 de peccato originali, l. 2 de baptismo parvulorum, l. 3 de falsa interpretatione Rom 5). — Mox scribit *De spiritu et littera* ad eundem Marcellinum, in quo libror tractat de oppositione inter gratiam Novi Testamenti et Legem Veterem. — Epist. 140 seu *De gratia Novi Testamenti* libro Honoratum amicum carthaginensem monet, ut caveat periculosas doctrinas.

413 mense Iunio Augustinus Carthagine sermones contra Pelagianos habet (Sermo 293 s [ML 38]).

414 Augustinus per Hilarium quendam certior fit etiam in Sicilia errores pelagianos spargi (Epist. 156 s). — Augustinus scribit epistulam ad Iulianam viduam, matrem Demetriadis virginis, *De bono viduitatis* (ML 40, 443 ss). — Interim Pelagius scripserat *Epistulam ad Demetriadem* virginem (ML 33, 1099 ss) et librum *De natura*. Hoc libro a Timasio et Iacobo iuvenibus sibi transmissio Augustinus sibi persuadet etiam Pelagium revera haereticè sentire.

415 Libro *De natura et gratia* Augustinus Timasio et Iacobo exponit naturam peccato originali vitiatam indigere gratia. — Eutropio et Paulo episcopis in libro *De perfectione iustitiae hominis* confutat *Definitiones Caelestii*, docens ne a Sanctis quidem hac in terra plenam impeccantiam attingi.

23. **2. Res in Palaestina gestae.**

415 Augustinus per Orosium presbyterum hispanicum Hieronymum interrogat de origine animae et de perfecta iustitia secundum Iac 2, 10 (Epist. 166 et 167). Qui breviter respondens Augustino (Epist. 172), fusius de hoc argumento disserit *ad Ctesiphontem* (Hier. Epist. 133), et in *Dialogis adversus pelagianos* (ML 23) reicit istam impeccantiam. — Mense Iulio **Ierosolymis** «in consessu presbyterorum» Pelagius contra Orosium se defendit. Ioannes episcopus utrique parti silentium indicit, donec res a Romano Pontifice decisa sit. Orosius scribit *Librum apologeticum contra Pelagium* (ML 31, 1173 ss; 45, 1697 ss). Heros et Lazarus, exsules episcopi galli, Pelagium denuo accusant apud Eulogium episcopum caesariensem; quare mense Decembri **Diospoli** (Lyddae) fit synodus 14 episcoporum. Pelagius sententias Caelestii anathematizat, suas callide interpretatur, a synodo orthodoxus agnoscitur.

24. **3. Res in Africa et Romae gestae.**

416 Autumno, audita Pelagii absoluteione, concilia provincialia **Carthaginense** (63 episcopi) et **Milevitanum** (60 episcopi) errores principales pelagianos damnant et **Innocentio I** litteras dant (Epist. 175 et 176); insuper Augustinus cum 4 episcopis «litteras familiares» ad Innocentium mittit (Epist. 177).

417 mense Ianuario Innocentius re examinata iudicium diospolitano interim nec culpare nec approbare vult, africana autem concilia rata habet, Pelagium et Caelestium, donec resipiscant, excommunicatos declarat (Epist. 181—183). — Augustino «*causa finita est*» (Sermo 131). Postquam a Ioanne ierosolymitano acta synodi diospolitanae obtinuit (Epist. 179), in opere *De gestis Pelagii* Aurelio carthaginensi episcopo ostendit Pelagium patres diospolitanos fefellisse. S. Paulinum Nolanum monet, ut dolos Pelagianorum caveat (Epist. 186).

Zosimo, Romano Pontifici (inde a mense Martio), Caelestius, qui Epheso Constantinopolim profectus indeque expulsus erat, *Libellum fidei* tradit, in quo subiectionem sub iudicio Apostolicae Sedis promittit. Quamquam errores suos non satis retractaverat, a synodo romana orthodoxus recipitur. Item Pelagius suos 4 libros *De libero arbitrio* cum *Libello fidei* et litteris commendaticiiis

- Praylii, novi episcopi ierosolymitani, ad Innocentium interim mortuum miserat. Quibus acceptis Zosimus etiam Pelagium absolvit et Africanis utrumque factum annuntiat (ML 45, 1721 ss). Hi statim pontificem dedocent et Paulinus diaconus denuo Caelestium libello accusat (ML 45, 1724 s).
- 418 mense Martio Zosimus respondet hucusque nihil decisum esse (ML 45, 1725 s). — 30 Aprilis urgentibus Africanis Ravennae editur *Sacrum Rescriptum* Honorii imperatoris, quo Pelagius et Caelestius Roma pelli, asseclae eorum iudicari et exsilio puniri iubentur (ML 45, 1726 ss). — Die 1 Mai **Carthagine** praesentibus legatis romanis, qui Zosimi epistolam modo attulerant, celebratur totius Africae universale **concilium** a plus 200 episcopis. Pelagianismus 8 vel 9 canonibus sollemniter condemnatur (Dz 101 ss). — Zosimus, postquam Caelestius ab ipso citatus Roma aufugit, utrumque haeresiarcham excommunicat et **Epistulam tractoriam** ab omnibus episcopis subscribendam emittit. (v. Dz 134 s 3025). — Augustinus (Epist. 191 et 194) *Sixto* presbytero romano, postea Pontifici, doctrinam de gratuitate gratiae exponit. Albinæ, Piniano et Melaniae 2 libris *De gratia Christi et de peccato originali* errores et fallacias Pelagii detegit. — De Pelagio nihil amplius auditur.
- 419 Epistula imperatorum (inter epistulas Augustini 201) et S. Hieronymi (ibid. 202) ostendunt magnam auctoritatem S. Augustini.
- 420 30 Septembris mors S. Hieronymi.

25.

4. Iulianus Aeclanensis.

De familia et persona Iuliani v. Aug. Epist. 101.

- 418 Episcopi Italiae 18 Tractoriae Zosimi subscribere recusant. Quorum dux Iulianus, aeclanensis episcopus, libellum fidei et epistulas ad Zosimum dirigit, qui brevi ante suam mortem (26 Decembris) istos episcopos excommunicat.
- 419 Episcopi illi in exsiliu[m] relegantur. — Augustinus, qui a Pelagianis apud Valerium comitem ravennatem tamquam «damnator nuptiarum» traductus erat, eidem librum ium *De nuptiis et concupiscentia* mittit. Contra quem librum Iulianus statim 4 libros *Ad Turbantium* episcopum scribit¹.

¹ Opus ex scriptis Augustini reconstruxit A. Bruckner, Die vier Bücher Iulians von Aeclanum an Turbantius, in *Neue Studien zur Gesch. d. Theol. u. Kirche*, 8 (1910).

Augustinus, ubi primum per Alypium ex Italia reversum excerpta quaedam huius operis accepit, statim libro 2° *De nuptiis et concupiscentia* a probro Manichaeismi se purgat (420). — Versus finem a. 419 scribit 4 libros *De anima et eius origine*, in quibus inter Creatianismum et mitiorem Generatianismum anceps haeret.

420 Augustinus, qui anno priore per Alypium duas epistulas Iuliani ad amicos italicos et ad Rufum episcopum thessalonicensem datas a **Bonifacio I** papa (418—422) acceperat refutandas, scribit eidem papae 4 libros *Contra duas epistulas Pelagianorum*, in quibus doctrinam catholicam a manichaica distinguit et tres principales errores Pelagianorum assignat: Negant peccatum originale et gratuitatem gratiae, asserunt impeccantiam.

421 Augustinus, postquam integrum opus Iuliani *Ad Turbantium* accepit, illud diligentius confutat 6 libris *Contra Iulianum* (agit praesertim de peccato originali; l. 4° de virtutibus infidelium). — In *Enchiridio ad Laurentium seu de fide, spe et caritate* (ML 40) fidem catholicam positive exponit.

Iulianus, hospes Theodori Mopsuesteni, qui et ipse peccatum originale negabat, celeriter perficit 8 libros *Ad Florum* episcopum contra 2um librum Augustini *De nuptiis et concupiscentia*. Exponit totum systema pelagianum, praesertim de peccato originali, libero arbitrio et gratia agens.

429 Augustinus libris Iuliani *Ad Florum* tandem acceptis singulas pericopas ad verbum descriptas refellere incipit.

430 28 Augusti absolutis 6 libris *Operis imperfecti contra Iulianum* Augustinus moritur.

26.

5. Finis sectae.

428ss Iulianus aliique exsules Constantinopoli apud Theodosium imperatorem suam restitutionem urgent. *Nestorius* episcopus hac de re cum **Caelestino** papa (422—432) agit (ML 48, 173 ss; 45, 1754 ss). Etiam Caelestius ibidem degit.

429 Marius Mercator *Commonitorio super nomine Caelestii* graece scripto imperatorem et orientales de haeresi pelagiana instruit.

431s Idem suum *Commonitorium* in latinam linguam vertit et alterum *Commonitorium adversus haeresim Pelagii et Caelestii vel etiam scripta Iuliani* edit (ML 48).

Iulianus, Caelestius aliique, iam a. 430 Constantinopoli expulsi, a concilio oecumenico **Ephesino** simul cum Nestorio damnantur (Dz 126 s; ML 45, 1760).

439 Circa hunc annum **Sixto III** Summo Pontifice (432—440) Iulianus, sedem suam episcopalem recuperare satagens, praesertim a **Leone** prohibetur, qui 440—461 Summus Pontifex « contrivit Pelagianos et maxime Iulianum » (Ps.-Prosper [ML 51, 843]; v. Leonis Epist. 1 et 2 [ML 54, 993 ss]). — Ante 455 Iulianus moritur. Reliquiae Pelagianorum in Britannia et alibi paulatim evanescent¹. — **Gelasius I** (492 ad 496) scribit brevem tractatum *Adversus pelagianam haeresim* (ML 59, 116 ss).

DE SEMIPELAGIANISMO

27. Opera S. *Augustini* (praesertim ML 44 et 45), *Ioannis Cassiani* (ML 49), *Prosperi* (ML 51), *Fausti* (ML 58), *Fulgentii* (ML 65). — *Fr. Wörter*, Beiträge zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus (Paderborn 1898). — *Idem*, Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus (Kirchengesch. Studien V, 2, Münster 1899). — *K. Kolb*, Menschliche Freiheit und göttliches Vorherwissen nach Augustin (Freiburg 1908). — *Alexander Hoch*, Lehre des Johannes Cassianus von Natur und Gnade (Freiburg 1895). — *A. C. Cooper-Marsdin*, The History of the Islands of the Lerins (Cambridge 1913). — *Ant. Koch*, Der hl. Faustus, Bischof von Riez (Mergentheim 1895). — *Dr. Ludw. Wrzol*, Die Psychologie des Joh. Cassianus (Divus Thomas 1918 1920 1922—24; praesertim 1920, 70—96).

28.

1. Augustinus.

Ante episcopatum ipse de initio fidei et bonae voluntatis fere idem ac postea Semipelagiani senserat; v. praesertim:

388—395 *De libero arbitrio* (contra Manichaeos [ML 32, 1221 ss]).

389—396 *De diversis quaestionibus 83* (praes. q. 68 [ML 40, 70 ss]).

393—396 *Expositio quarundam propositionum ex epist. ad Rom.* (praes. prop. 60—64 [ML 35, 2078 ss]). — Cf. *Retractiones* de his scriptis (ML 32, 583 ss).

396—397 Factus episcopus in scribendis 2 libris *De diversis quaestionibus ad Simplicianum*, successorem S. Ambrosii,

¹ Cf. scripta quaedam pelagiana a C. P. Caspari edita: Briefe, Abhandlungen und Predigten (Christiania 1890) et *Hans von Schubert*, Der sogenannte Praedestinatus (1903) TU(NF) IX, 4.

maxime ex 1 Cor 4, 7 absolutam gratuitatem et praevenientiam gratiae intellexit (l. 1 q. 2 [ML 40, 110 ss]).

400 in *Confessionibus* omnia prorsus bona Deo attribuit (ML 32, 659 ss).

408—409 In Epist. 102 (Sex quaestiones *contra paganos*, q. 2 [ML 33, 373 ss]) absolutam gratuitatem gratiae aliquo modo celat (v. Epist. 226 n.3; *De praedest. Sanctorum* 9, 17 s; *De dono persev.* 9, 23 s).

412 ss prioribus scriptis adversus Pelagianos crassiores potius errores oppugnat; sed

417 Epist. 186 *ad Paulinum Nolanum* (cf. Epist. 149 ad eundem c. a. 414) et

418 Epist. 194 *ad Sixtum* presbyterum romanum clarissime docet gratiam prorsus gratuitam omne humanum meritum praevenire. — Quae epistula postea monachos hadrumetinos commovet, quasi Augustinus liberum arbitrium et correptionem malorum tollat.

426—427 Augustinus Epist. 214 et 215 et libro *De gratia et libero arbitrio* ad Valentinum abbatem hadrumetinum eiusque monachos (ML 44, 881 ss) caute has quaestiones tractat. Epistula (216) abbatis de bono successu certior factus, novo opere *De correptione et gratia* detrinam satis difficilem et duram de gratia, perseverantia, praedestinatione monachis exponit (cap. 10—12 adiutorium sine quo non et quo). — Circa idem tempus sua opera *retractat* (ML 32).

427 (vel antea) Epist. 217 *ad Vitalem* carthaginiensem docet initium fidei esse donum Dei et (c. 5 n. 16) duodecim sententias ad fidem catholicam pertinentes proponit (R 1456).

428—429 *Ioannes Cassianus*, abbas S. Victoris Massiliae, qui (Collatione 13 [ML 49, 897 ss]) conatus quosdam nostrae voluntatis gratiam praevenire docebat, porro monachi *massilienses* et *lerinenses*, inter quos *Vincentius*, auctor Commonitoriorum, *Hilarius* episcopus arelatensis aliique Galli istis Augustini doctrinis sese opponunt. Duo laici galli, *Tiro Prosper* Aquitanus et *Hilarius* de eorum sententiis Augustino scribunt (Epist. 225 et 226). Qui suam de initio fidei, gratuitate gratiae, perseverantia et praedestinatione doctrinam defendit et excolit libro (nunc in duos diviso) *De praedestinatione Sanctorum* et *De dono perseverantiae* (ML 44, 959 ss; 45, 993 ss).

29.

2. Prosper.

- 430 Augustino defuncto Prosper Massilienses impugnare pergit (429—430 Carmen de ingratis [ML 51, 91 ss]).
- 431 a **Caelestino** papa impetrat epistolam ad episcopos Galliae, qua Augustinus commendatur ipsique monentur, ut inquietos presbyteros coerceant (Dz 128; ML 45, 1755 ss). — Mox varia opuscula edit: *Pro Augustino* ad excerpta Genuensium; ad capitula obiectionum Gallorum calumniantium; obiectionum vincentianarum; De gratia Dei et libero arbitrio *contra Collatorem* etc. (ML 51).
- 434 *Commonitoria* Vincentii Lirinensis (ML 50, 637 ss) quasdam allusiones contra Augustinum continent.
- 440 Prosper S. *Leonem* electum papam sequitur Romam; ibidem circa a.
- 450 edit *Sententias*, ex operibus S. Augustini delibatas et *Epigrammata* ex sententiis S. Augustini (ML 51, 427 ss 497 ss).
- 463 Prosper obit.

Hoc fere tempore *De gratia Dei Indiculus* (Dz 129—142), antea ab auctore ignoto (a Prospero vel Leone nondum Pontifice?) compositus, incipit haberi authenticum fidei Ecclesiae romanae documentum.

30.

3. Faustus.

- 473—474 Lucidus presbyter falsum praedestinarianismum docet, quem synodi *Arelatensis* et *Lugdunensis* reiciunt (Dz 3026). Hunc errorem Faustus episcopus *reiensis* opere *De gratia Dei et libero arbitrio* refutat, quod Semipelagianismum sapit (ML 58, 783 ss). — Etiam *Gennadius* Massiliensis favet Semipelagianis (*De viris illustribus* [ML 58, 1059 ss])¹. Anonyma opera catholica huius temporis sunt *De vocatione omnium gentium* (ML 17, 1073 ss et 51, 647 ss)² et 6 libri *Hypomnesticon* (Hypognosticon) contra Pelagianos et Caelestianos (ML 45, 1611 ss), qui diu S. Augustino attribuebantur.

¹ Cf. A. Feder, Der Semipelagianismus im Schriftstellerkatalog des Gennadius von Marseille (Scholastik 2 [1927] 481—514).

² M. Cappuyns (Revue Bénédictine 39 [1927] 198—226) plurimis rationibus probare studet Prosperum esse auctorem huius operis.

31.

4. **Fulgentius.**

519—520 Monachi scythici Constantinopoli cum *Possessore* episcopo africano, dein Romae cum **Hormisda** papa de orthodoxia Fausti agunt. Hormisdas Possessori scribens Faustum reicit et Augustini ultima opera commendat (ML 45, 1771 ss). Orientalibus illis, qui etiam episcopos africanos a Vandalis in Sardiniam relegatos interpellaverant, nomine eorum *S. Fulgentius* episcopus *ruspensis* respondet (ML 45, 1772 ss; 65, 442 ss). Idem varia opera contra Semipelagianos scribit (ML 65): *De fide ad Petrum*, *De veritate praedestinationis*, 7 libros deperditos *Contra Faustum*, in omnibus rigore sequens S. Augustinum.

32.

5. **Caesarius.**

528—529 Caesarius episcopus *arelatensis*, qui, sicut antea Avitus episcopus *viennensis* († 518), doctrinam S. Augustini defenderat, propterea a synodo *Valentina* semipelagiane sentiente impugnatur. A **Felice III** papa *Sententias Prosperi* et *Auctoritates Romanorum Pontificum* accipit.

529 die 3 Iulii synodus **Arausicana II**, occasione ecclesiae dedicandae congregata, Caesario praesidente 8 canones, 17 sententias et symbolum adversus doctrinam semipelagianam, praesertim de initio fidei, promulgat (Dz 174—200).

530 **Bonifacius II** hoc concilium approbat (ML 45, 1790 ss; Dz 3038 s). Abhinc haec pars controversiae tamquam ab Ecclesia decisa habetur.

Thesis 1. Ad omnem actum salutarem interna gratia supernaturalis est absolute et physice necessaria.

33. P pr. 7. — Palm. th. 22 24 26. — Mazz. pr. 7. — Lah. th. 1. — Schiff. th. 5 6. — Ber. n. 190 208 210.

St. qu. 1. Nexus a) *tractatus* de gratia cum aliis partibus theologiae v. n. 1; b) *sectionis I* ad ceteras v. n. 19; c) *articuli I ad II*: Prius de actibus *salutaribus* agimus, quia de his maxime erat quaestio in antiquis controversiis de gratia; dein de actibus *naturaliter honestis*, de quibus posteriore tempore magis litigabatur; d) intra hunc articulum prius *generaliter* de omni actu salutari (th. 1), dein *specialiter* de quibusdam actibus *initialibus* (th. 2).

34. 2. **Sensus.** a) Ad omnem generaliter actum, sive mere internum, sive cum externo opere coniunctum; salutarem, i. e. *positive*, non mere negative (non impediendo) *conducentem ad salutem animae*, sive immediate meretur *consummatam* salutem beatitudinis caelestis, sive saltem disponit ad *inchoatam* salutem iustificationis. Talis actus necessario est deliberatus, liber, honestus. Hic non agitur de concursu Dei generali, qui ad omnes omnino actiones nostras, etiam ad malas, requiritur neque ob merita Christi datur.

b) Gratia sensu *obiectivo*: donum gratis et ex benevolentia datum (n. 6); interna: ipsi animae spirituali eiusque potentiis superioribus directe immissa, *non solum externa* ut praedicatio, admonitio, lectio, applicatio ritus (n. 5, 7); supernaturalis: interim *vago sensu* intellecta tamquam neque ex principiis naturae procedens neque ab eadem exacta, sed naturae libere superaddita, vires eius augens, propter merita Christi a S. Spiritu collata. Accuratio determinatio huius supernaturalitatis postea sequetur (th. 9). Neque nunc distinguimus inter gratiam *habitualement* et *actualement* (cf. n. 531 ss).

c) **Necessaria**: agimus de necessitate gratiae; absolute, non *hypothetice*, i. e. supposito hoc ordine salutis, utique non absolute necessario, actus salutaris nulla sub conditione fieri potest sine tali gratia. Ab hoc ordine naturae humanae lapsae et a Christo reparatae postea facile illatio fieri potest ad primos parentes et angelos (th. 9); physice, non *moraliter* tantum, i. e. vires physicae naturae non solum propter maximam *difficultatem* rarissime in actum reducuntur, sed simpliciter non sufficiunt ad talem actum, quae igitur impotentia etiam omnibus obstaculis remotis et omnibus moralibus adminiculis adhibitis non cessat.

35. 3. Adversarii (v. *Lah.* n. 9). a) Multi *philosophi* gentiles, praesertim *Stoici*, putabant homines virtutem et beatam vitam solo proprio labore sibi comparare posse. — b) *Iudaei* et *iudaeizantes* christiani gratiam Christi prae lege mosaica parvi pendebant. — c) Nonnulli *Gnostici* peccatum originale et necessitatem gratiae negabant. — d) **Pelagiani** docebant: Ad vitam aeternam actibus salutaribus promerendam sufficit gratia *possibilitatis*, i. e. natura a Deo creata et libero arbitrio dotata. Peccatores (personales; nam originale peccatum negabant) insuper indigent gratia *remissionis* peccatorum per Christum. *Utile* iuvamen voluntatis et actionis praebent *externae* gratiae legis, revelationis, doctrinae et exempli Christi, quibus *facilius* impletur, quod sola natura minus facile peragit. Videntur tandem etiam aliquam *internam* gratiam *illustrationis* ut utilem admisisse (v. *August.* De grat. Chr. 7, 8 [ML 44, 364]; *Opus imperf.* 3, 106 114 [ML 45, 1291 1296]). Sed omnem *internam* gratiam *voluntatis* vehementer negabant: «Destruitur enim voluntas, quae alterius ope indiget» (*Caelestius*). Voluntas, «si praevenitur, interit». Libertate arbitrii «a Deo *emancipatus* homo est» (*Iulianus*). — V. doctrinas haeresiarcharum apud R 1413—1416 1855. — e) Moderni **Rationalistae**, quorum praecursores aliquo modo fuerunt *Sociniani* et *Arminiani*, opinantur «hominem ex se ipso ad omnia tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere» (Vaticanum s. 3 can. 3 de revelatione [Dz 1808]).

4. Qualificatio. De *fide definita* (verba: «*absolute et physice*» sunt *certa explicatio* definiti dogmatis).

36. Prob. I. Ecclesia. 1. Priores damnationes Pelagianismi magis versabantur circa peccatum originale et impecantiam. — *Diospoli* (415) Pelagius debuit reicere sententiam Caelestii: «gratiam Dei et adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege et doctrina» (*Augustinus* De gestis Pel. 14, 30 [ML 44, 337 s]). — *Concilium Carthaginense* (418) can. 3 4 5 (Dz 103 ss) clare postulat internam gratiam Christi ad cognoscendum, volendum et agendum bonum; sed non satis clare distinguit inter bonum quocumque modo et bonum salutariter factum. — *Zosimus* (Epist. tractoria, a. 418 [Dz 135]) sine dubio intellegit de interna gratia Christi: «In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi natura humana praesumat.» — *Concilium Ephesinum* (a. 431 [Dz 126 s]) singulos errores non exprimit, sed certe etiam hic error fuit causa damnationis.

37. 2. In documentis adversus Semipelagianos directis impotentia naturae et necessitas gratiae magis determinatur. *Indiculus Caelestini* cap. 9 initio (Dz 135): «Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.» — *Clausula* post cap. 12 (Dz 141): «omnium bonorum affectuum atque operum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri». — Cf. cap. 4 5 7 8. — Concilium **Arausicanum II** (529) multis canonibus et sententiis omnia bona gratiae Dei adscribit. Nota imprimis: **can. 6** (Dz 179) «ut haec omnia, *sicut oportet*¹, agere valeamus, per infusionem et inspirationem S. Spiritus in nobis fieri»; **can. 7** (Dz 180): Nemo potest «*per naturae vigorem* bonum aliquid, quod ad *salutem* pertinet vitae aeternae, cogitare, *ut expedit*, aut eligere . . . absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti». Ergo talis gratia interna et supernaturalis absolute necessaria est ad omnia, quae ad salutem animae pertinent, et vigor naturae nullo modo sufficit. Eiusmodi necessitas est absoluta et physica. — Cf. can. 9 12 16 20—24 et initium epilogi ad modum symboli (Dz 199).

38. 3. Concilium **Tridentinum**, exaggerationes *Protestantium* damnans, nihilominus cum Arausicano necessitatem gratiae ad omnes actus salutares docet: **s. 6 cap. 5** (Dz 797): Iustificationis exordium est a praeveniente gratia. Deus tangit cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem. Homo sine gratia Dei movere se ad iustitiam non potest; — **cap. 6** (Dz 798): Disponuntur excitati divina gratia et adiuti; — **cap. 16** (Dz 809): Virtus, quam Christus in iustificatos iugiter influit, bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur; sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; — **can. 1 2 3** (Dz 811 ss): Absque gratia Christi homo non potest iustificari; ne aegre quidem et difficulter iuste vivere ac vitam aeternam promereri potest; actus ad iustificationem disponentes non fiunt, sicut oportet; — **can. 32** (Dz 842): Opera meritoria a iustificato per Dei gratiam et Iesu Christi meritum fiunt. — Ergo cum ad actus, quibus peccatores se disponunt ad iustifi-

¹ Verba «sicut oportet» sunt biblica. Rom 8, 26: «Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet (καθὸ δέεσι), nescimus.»

ationem, tum ad actus, quibus iusti merentur vitam aeternam, interna gratia supernaturalis est absolute nec moraliter tantum necessaria.

39. 4. Concilium **Vaticanum s. 3** can. 3. de revel. (Dz 1808) *Rationalismum* damnat; — **cap. 3** (Dz 1797) adhibitis verbis Arausicani docet contra *Hermes* fidei etiam informis actum esse opus ad salutem pertinens nec posse sine gratia S. Spiritus fieri sicut oportet ad salutem consequendam. — In *schemate* Vaticano proposito erat *can. 5 capituli 5* (Coll. Lac. 7 566): «Si quis dixerit naturae rationalis facultatem sine divina per Iesum Christum gratia sufficere ad aliquod opus bonum, quod ad iustitiam et vitam aeternam disponat: A. S.».

Hinc conciliis *Arausicano* et *Tridentino*, saltem simul sumptis, tota thesis quoad rem definita est.

40. II. S. Scriptura (P 92 — Lah. 12).

1. *Universaliter* probat **Io 15, 1 ss** parabola *vitis et palmitum*, maxime **v. 5**: *χωρίς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν* «*sine me nihil potestis facere.*» — Agitur:

a) de omni et solo actu salutari; de solo: *facere* in hoc contextu est fructum ferre in eo ordine, in quo Christus est vitis (v. 1 5) et discipulos a malo mundo elegit (v. 16 19), in quo Pater ut agricola (v. 1) aut purgabit aut tollet palmitem (v. 2), qui in ignem mittitur et ardet (v. 6). Ergo est sermo de operatione ad *salutem animae* consequendam, non vero de *generali concursu* Dei ad omnia opera creaturarum (de quo *S. Thomas* saepius, v. gr. *In 2 Sent.* d. 28 q. 1 a. 1 ad 1, hunc versum intellegit), neque de *apostolatu tamquam gratia gratis data*; — de omni: nam etsi contextus ostendat maxime agi de fructuosa operatione eorum, qui *dilectione* iam sunt *perfecte coniuncti* cum Christo (v. 9), tamen ipse v. 5 est omnino *universalis* et tam universaliter sumi debet, quam *natura parabolae* admittit. Atqui palmes a vite separatus non solum non potest fructus maturos et perfectos producere, sed *ne imperfecta quidem eorum primordia* ut gemmas et flores. Sic homines sine Christi in eos influxu *nihil* prorsus in ordine salutis facere possunt (v. *Knabenbauer* in hunc textum et *August.* In *Io tr.* 81 n. 3 [ML 35, 1841; P 92; R 1835]).

b) de interna gratia supernaturali; gratia: donum gratuitum: e servis electi in amicos (v. 15 s); — supernaturali ex a) constat; — interna ex *indole parabolae*: Externa adiumenta ut terra, sol, pluvia, vinitores non sufficiunt, si pal-

mes non est coniunctus cum vite, quae internam vim vitalem iugiter administrat. Ergo cogitandum est de dono creato interno, quod est auxilium ad edendos fructus salutare.

c) de auxilio absolute et physice necessario: *sicut palmiti* influxus vitis est absolute et physice necessarius (v. 4).

Quoad canonem externum v. *Carth.* can. 5 (Dz 105), *Indic.* cap. 10 (Dz 138), *Araus.* can. 7 (Dz 180), can. 24 (Dz 197), *Trid.* s. 6 cap. 16 (Dz 809), *August.* saepe (v. gr. R 1793 1835 1855), *Leo I* (R 2200).

41. 2. De salutari cogitatione agit probabiliter 2 Cor 3, 5.

Contextus: Adversarii Paulum superbiae et arrogantiae accusaverant. Ipse ostendit, *unde suam confidentiam* hauserit: Constitutus a Christo apostolus, hoc *munere bene functus* est, i. e. non solum utiliter pro aliis, sed etiam *salutariter pro se ipso*; 1, 12: testimonium conscientiae, in gratia Dei; 2, 15: Christi bonus odor; 2, 17: non sicut pseudapostoli adulterans verbum Dei, sed sincere, sicut ex Deo. 3, 1—3: Haec non scribit, ut se commendet; nam pater apud filios non indiget commendatione; v. 4: *neque ex superbia* tam confidenter loquitur; *confidentiam* enim apostolatus bene administrati *non ex se ipso* habet, sed «*per Christum ad Deum*»; v. 5: tota eius *idoneitas a Deo* est; ex se ne ad cogitandum quidem est idoneus; v. 6: Deus quoque fecit eum idoneum apostolum.

Textus 3, 5: οὐχ ὅτι ἀπ' ἑαυτῶν ἱκανοί ἐσμεν λογισασθαι τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ — «non quod a nobis ut ex nobis [tamquam unico et ultimo fonte] idonei simus cogitare [iudicare, deliberare, aestimare] aliquid; sed idoneitas nostra ex Deo est».

Argumentum: Apostolus probabiliter vult dicere se ad quamlibet cogitationem salutarem absoluta et physica necessitate indigere aliquo speciali auxilio interno Dei. Loquitur enim:

a) de omni et sola cogitatione salutari: non de *concurso generali*, qui ad omnem omnino cogitationem requiritur, etiam ad malam; totus enim *contextus* respicit ordinem supernaturalem; neque, ut «haud pauci antiqui et moderni» (v. *Cornely*) volunt, de ea sola cogitatione et aestimatione, qua *argumentum fructuosae praedicationis* invenitur seu viae et rationes excogitantur, quibus praedicatio efficax reddatur; nam: 1. Antea compluries de exercitio apostolatus *sibi salutari* locutus est; hinc obvius est sensus: ne *cogitationem* quidem *salutarem* ex me ipso habere possum. 2. Quae spectant ad

apostolatum fructuose *pro aliis* gerendum, v. 6 tamquam aliquid *aliud* adduntur: « qui et (*καί*) idoneos nos fecit ministros novi testamenti ».

b) de auxilio Dei gratuito et interno; gratuito, quia talem fiduciam et proinde omnem istam idoneitatem, de qua loquitur, habet *per Christum* (v. 4); atqui per Christum habemus dona *gratiae*, non naturae; — interno, quia si ista cogitatio solummodo ex defectu alicuius requisiti *externi* fieri non posset, apostolus non apte negaret *suam idoneitatem*. Quae idoneitas potius eo modo obtinenda est, ut mens apostoli, ex se non idonea ad istam cogitationem, dono interno divinitus accepto confortetur et perficiatur (v. *Palm.*) — Cf. 1 Cor 3, 7, ubi *externae* operationi *hominum* insufficienti (plantare, rigare) opponitur *interna Dei* opitulatio (incrementum dare).

c) de auxilio absolute et physice necessario, quia intellectus ex intrinsicis suis principiis non est idoneus ad eiusmodi cogitationem.

Canon externus: *Araus. can. 7* (Dz 180), *August.* (R 1938 1980; P 93).

42. 3. De salutari volitione et operatione agit **Phil 2, 12 s:** *μετὰ φόβον καὶ τρόμον τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε · θεὸς γὰρ ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.* In operanda nostra salute prorsus *dependemus* a Deo; est enim nobis omnino necessaria aliqua *cooperatio* divina, quam Deus ad exsequendum suum gratiosum propositum sive *gratuito* confert, quae tam efficax est, ut Deus recte dicatur *in nobis* (interne) operari nostrum velle et operari. Quare etiam ex nostra parte summo studio laborandum est, ut negotium nostrae salutis ad bonum finem perducatur (Cf. *Zorell, εὐδονία*, et *F. Prat, Th. de S. Paul, II*⁷ 99).

Can. ext.: *Indic. cap. 12* (Dz 141), *Araus. can. 4* (Dz 177), *August.* (R 1556 1572 1854 1889).

43. 4. Secundum *generalem doctrinam S. Pauli* omnes homines per peccatum sunt spiritualiter mortui et per gratiam Christi debent vivificari, resuscitari, denuo creari, renasci: **Eph 2, 1—10.** V. 1 5: mortui peccatis; v. 3: omnes (cf. Rom 3, 9; 5, 12ss; Gal 3, 22); v. 4—6: Deus nos convivificavit et conresuscitavit in Christo per gratiam; v. 10: per salutem acceptam sumus Dei factura, creatura (*ποίημα*), creati in Christo Iesu (cf. 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15) ad opera bona facienda (*ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς*), quae Deus antea paravit (*προητοίμασεν*).

Figurae creationis et resurrectionis ostendunt hominem ex se et sine gratuito auxilio non posse quidquam conferre ad hanc novam vitam accipiendam. Si igitur ad perfectam vivificationem peccatoris adulti aliqua *praeparatio* positiva per proprios actus praerequiratur, neque hi actus praevis fieri possunt sine auxilio gratiae, quae illam vivificationem inchoet.

44. Confirmari potest ex Iac 1, 17: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum »; 1 Cor 3, 7: « Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus »; Phil 1, 6: « qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu ». — Patres solent applicare 1 Cor 12, 3: « nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto », ubi tamen non agitur de salutari affirmatione dominationis Christi et multo minus de salutari pronuntiatione nominis Iesu, sed de criterio dignoscendi charismatis. — 1 Cor. 15, 10: « Gratia autem Dei sum id, quod sum », in contextu intellegendum est de gratia gratis data muneris apostolici; Rom 8, 26: « quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus », agit de obiecto, quod convenienter sive secundum voluntatem Dei petamus.

III. Patres.

45. *Is. Habert*, Theologia graecorum Patrum vindicata circa universam materiam gratiae (Paris. 1647). — *Friedr. Wörter*, Die christl. Lehre über das Verhältnis von Gnade und Freiheit von den apost. Zeiten bis auf Augustin (Freiburg 1856—60). — *Theod. Rütther*, Die Lehre von der Erbsünde bei Clemens v. Alex. (Freib. Theol. Stud. Heft 28 [1922]). — *Herm. Sträter*, Die Erlösungslehre des hl. Athanasius (1894). — *G. A. Pell*, Die Lehre des hl. Athan. von der Sünde und Erlösung (1888). — *Eug. Scholl*, Die Lehre des hl. Basilii von der Gnade (1881). — *Fr. K. Hümmel*, Des hl. Gregor v. Naz. Lehre von der Gnade (1890). — *Franz Hilt*, Des hl. Gregor v. Nyssa. Lehre vom Menschen (1890). — *J. B. Aufhauser*, Die Heilslehre des hl. Gregor v. Nyssa (1910). — *Ed. Weigl*, Die Heilslehre des hl. Cyrillus v. Alex. (Forschungen zur chr. Lit.- u. Dogmengesch. von Ehrhard-Kirsch V, 2—3 [1905]).

46. 1. *Ante Pelagium*, cum vix existeret haeresis necessitatem gratiae negans et *potius bonitas naturae et libertas arbitrii* adversus Gnosticos et Manichaeos inculcanda esset, Patres *gratiam* cooperantem et a fortiori praeventientem *minus frequenter* efferebant et interdum *minus caute* de operatione salutari hominis loquebantur. Sed multa testimonia probant *omnes* Patres maioris momenti *de dogmate huius thesis recte sensisse*.

Patres apostolici docent virtutes a Deo dari: **Clemens Rom.** 1 Cor. 50, 2 (caritas); 38, 2 (continentia). — **Ignatius Ant. Smyrn.** 4, 2 (Christus roborat ad sustinendum).

47. Apologetae absolutam necessitatem gratiae ad operandam salutem asserunt. **Iustinus**, *Dial. cum Tryphone* c. 102 (Otto 2, 364 s): A solo Deo salutem et auxilium quaerere oportet; — c. 119 (2, 424): gratia intellegendi Scripturas; — *Apol.* 1, 65 (1, 176): Christiani orant, ut ii, qui veritatem didicerunt, etiam bona opera faciant et mandata observent. — **Irenaeus**, *Adv. haer.* 3, 17, 2 (R 220): Gratia S. Spiritus tamquam superna pluvia necessaria est, ut nos, lignum aridum, fructificemus vitam. — **Clemens Alex.**, *Strom.* 5, 13, 83, 1 (Stählin II, 381): Sine eximia gratia anima alas non accipit nec surgit ad superna. — 7, 7, 38, 4 (Stählin III, 29 s): Orandum est, ut Deus vera animae bona tribuat et conservet. — **Origenes**, *De princ.* 3, 1, 18 (MG 11, 289 s): Volitio et cursus hominum non sufficit ad accipiendum bravium; Deo enim auxiliante hoc perficitur. Nostra perfectio non a nobis consummatur, sed Deus potioem partem eius operatur.

48. Graeci saeculi IV iam multa de necessitate gratiae ad omnia opera bona dicunt: **Athanasius**, *Orat. de Incarn.* 31 (MG 25, 149): Quotidie Christus trahit ad pietatem, persuadet ad virtutem, ad desiderium caelestium inflamat, Patris cognitionem revelat, vim adversus mortem inspirat. — **Basilii**, *Hom. in Ps. 28* n. 5 (MG 29, 296): Antea steriles et ad comburendum apti, ubi Christum velut induerunt, per ipsius gratiam sterilitatem suae vitae contegunt. — **Gregorius Nazianz.**, *Orat.* 37, 13 (R 1003): Etiam ipsum rectum velle ($\tau\acute{o}$ βούλεσθαι καλῶς) divino auxilio indiget; electio recti est donum divinae benignitatis. — **Gregorius Nyss.**, *De propos. sec. Deum* (MG 46, 289): Humanae virtutis vis ex se non sufficit, ut ad vitae formam elevet animas gratiae expertes. — **Ioannes Chrysostomus**, *In Gen. hom.* 58, 5 (MG 54, 513): Licet decies millies enitatur, nihil tamen unquam recte agere ($\kappa\alpha\tau\omicron\rho\theta\acute{\omega}\sigma\alpha\iota$) possumus, nisi superno auxilio ($\zeta\omicron\pi\ \eta\varsigma$ = momento, *entscheidender Einfluss*) fruente.

49. Latini inde ab initio necessitatem gratiae magis urgent, sed praecipue sanantis: **Tertullianus**, *De anima* 21 (R 348): Vis divinae gratiae est potentior natura; subiectam sibi habet liberi arbitrii potestatem. — **Cyprianus**, *De domin. orat.* 18 (R 558; cf. *August. Epist.* 217, 2 ss): Ut fiat in nobis voluntas Dei, opus est ope eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est. — *Epist. ad Donatum* 4 (CV 3, 1 p. 6): miros effectus gratiae baptismalis in se expertus est; «Dei est omne, quod possumus.» — *Testim.* 3, 4 (ibid. p. 116 s): «In nullo gloriandum,

quando nostrum nihil est» (a S. Augustino saepe citatur). — **Pontius** diaconus, *Vita Cypr.* 2 (CV 3, 3 p. XCI): «Hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est. Fuerint licet studia, et bonae artes devotum pectus imbuerint, tamen illa praetereo. Nondum enim ad utilitatem nisi saeculi pertinebant.» — **Arnobius**, *Adv. gentes* 2, 33 (ML 5, 861 s; CV 4, 75): «Nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, . . . nec in nostra ducimus esse positum potestate res supernas petere.» — **Hilarius**, *In Ps* 118, 5 lit. 1 n. 12 (ML 9, 509): «Adiuvandi per gratiam eius dirigendique sumus, ut praeceptorum ordinem iustificationum consequamur.» — **Ambrosius**, *In Lc* 2, 84 (R 1302): «ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare . . . , custodire . . . , quidquam incipere sine Domino». — **Ambrosiaster**, *In Ep. ad Titum* 3, 4—7 (ML 17, 502 s): Spiritus Sancti gratia renati, eum accepimus abunde, ut bonis operibus inniti possimus, ipso nos in omnibus adiuvante. — Marius **Victorinus** Afer, *In Ep. ad Phil.* 2, 12 s (ML 8, 1212): Operatio a Deo est; et «quia ipsum velle a Deo nobis operatur, fit, ut ex Deo et operationem et voluntatem habeamus».

50. Augustinus mox post conversionem in *Soliloquiis* (initio a. 387) omnia bona a Deo exspectat; v. gr. 1, 1, 5 (ML 32, 872): «Iube quaeso atque impera, quidquid vis, sed sana et aperi aures meas, . . . oculos meos . . . Si fide te inveniunt, qui ad te refugiunt, fidem da; si virtute, virtutem; si scientia, scientiam. Auge in me fidem, auge spem, auge caritatem.» Etiam in iis scriptis, ad quae postea *Semipelagiani* iure provocabant, ab haeresi *pelagiana* omnino alienus erat; v. *Retract.* 1, 9, 4—6; 1, 23. — In *De div. quaest. ad Simpl.* (396 s) cognovit etiam fidem et prima exordia bonae voluntatis a gratia praeveniri; hanc gratiam necessario debere esse *internam* tunc temporis nondum videtur satis perspexisse (l. 1 q. 2 n. 2 14) — In *Confessionibus* (400) saepe orat: «Da, quod iubes, et iube, quod vis» (l. 10 c. 29 31).

Fides antiquorum Patrum etiam ex **praxi Ecclesiae orantis** elucet. Hoc argumentum adhibetur saepe a *S. Augustino*, porro a *Concilio Carthaginensi a. 416* in Epist. ad Innoc. I pontificem (Aug. Epist. 175 n. 5) et in *Indiculo* cap. 11 (Dz 139): «legem credendi lex statuat supplicandi».

51. Haec igitur est fides veteris Ecclesiae: 1. Nemo potest salutem operari sine *gratia Christi*. — 2. Ista gratia est *speciale* aliquod *auxilium*, diversum a natura, libero arbitrio, lege,

doctrina et exemplo Christi. — 3. Est auxilium *internum*; interne enim datur S. Spiritus, illuminatur intellectus, roboratur voluntas. — Etsi nondum tam praecise et determinate quam postea asserebatur ad omnem omnino actum quomodo-cumque salutarem internam gratiam absolute requiri, tamen fides antiqua prorsus adversa erat dogmati pelagiano.

52. 2. Pelagianismo iam orto: Orosius et Hieronymus magis attendebant ad alios errores (impeccantiam), et Hieronymus adiutorium *speciale* ad actus salutare a *generali* ad omnes actus requisito non satis distinxisse videtur (*Dial. adv. Pelag.* 1, 2 [R 1403]). — **S. Augustinus** vero statim cognovit pessimos errores versari circa gratiam. Nostram thesim saepissime adversus Pelagianos propugnat: Anno 412: *De pecc. mer. et rem.* 1, 9, 10 (R 1715); 2, 5, 5 (R 1719). — *De spir. et litt.*: Gratia Novi Testamenti sive S. Spiritus, quo fit in animo delectatio dilectioque summi Boni tamquam adiutorium voluntatis ad faciendam iustitiam, valde distingui debet a littera legis *forinsecus* sonante, et haec gratia *interna* absolute necessaria est ad bona opera facienda (3, 5; 4, 6; 16, 30; 21, 36; 25, 42 etc.). — A. 415: *De nat. et grat.* internam et *supernaturalem* gratiam Christi a natura distinguit (R 1791 ss). — A. 417: *De gestis Pel.* fallacias Pelagii detegit; gratiam esse adiutorium *absolute necessarium* clarissime docet 1, 3 (R 1850). — A. 418: *De grat. Chr.* 29, 30 (R 1855): non mere ad *facilius* implenda mandata. — In scriptis adversus Semipelagianos tota thesis aper-tissime docetur, v. gr. a. 426—427 *De grat. et lib. arb.* 5, 12 (R 1936); *De corr. et grat.* 11, 31 (R 1954). — V. etiam *Epist.* 194 (*ad Sixtum*) 3, 15; — *De praed. Sanct.* 3, 7.

53. Ipsi Semipelagiani nostram thesim generalem admittunt: **Vincentius Lirin.**, *Commonit.* c. 24 (ML 50, 670): «Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adiuvandum necessariam Dei gratiam non putaret?» — A fortiori alii doctores consentiunt: **Leo M.**, *Serm.* 83, 3 (R 2200) distinguit opera salutaria auxilio gratiae facta a mere humanis; similiter *Serm.* 45, 3 (R 2202). — **Fulgentius**, *Epist.* 17, 24, 47 (R 2243) gratiam animae comparat, quae carni vitam tribuit et potestatem operandi; cf. *De fide ad Petrum* 32, 73 (R 2272) et *Epist. Episcoporum exsulum* 5 (R 2276).

Posteriores Graeci: **Cyrillus Alex.**, *In Lc* 13, 23 (MG 72, 776) exigit vocationem divinam ad sancte vivendum. —

Ioannes Damasc., *De fide orth.* 2, 30 (R 2359): « Deus est omnis boni principium et causa, et sine eius cooperatione et adiutorio impossibile est nos bonum velle vel facere. »

IV. Theologi.

54. S. Anselmus, agens *De concordia gratiae et liberi arbitrii* (ML 158, 521 ss), ostendit rectitudinem, qua salutem consequimur, non nisi per gratiam obtineri (cap. 3) et conservari (cap. 4); verbum Dei non posse suscipi nisi gratia dirigente voluntates (cap. 7). — **S. Bernardus**: Liberi arbitrii « conatus ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adiuventur, et nulli, si non excitentur ». « Ipsa [gratia] excitat liberum arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum; servat, ne sentiat defectum » (*De grat. et lib. arb.* 13, 42; 14, 47 [ML 182, 1024 1026]). — Veteres Scholastici sub nomine gratiae gratum facientis solam gratiam *habitualement* seu sanctificantem intellegunt. Consequenter tamquam *salutares* fere unice considerant actus *meritorios* iustorum, et sic unanimiter docent secundum fidem catholicam requiri gratiam, ut homo « bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium » (*S. Thomas*, S. th. 1, 2 q. 109 a. 2). Quid de iis actibus docuerint, quibus homo ad gratiam habendam *se praeparat*, infra (th. 8) videndum erit. **S. Thomas** (S. th. 1, 2 q. 109 a. 6): « Ad hoc autem, quod praeparet se homo ad susceptionem huius doni, ... oportet praesupponi aliquod *auxilium gratuitum Dei interiorius animam moventis* sive inspirantis bonum propositum. » — **S. Bonaventura** (*In 2 d.* 28 a. 2 q. 1): « Ideo liberum arbitrium numquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo a sursum excitetur et per aliquod donum *gratiae gratis datae*, quod tenet *quasi medium* inter donum gratiae gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis », quam gratiam gratis datam antea ut donum *internum* descripserat¹. — **Post Trid.** certe nulla iam est ambiguitas apud catholicos auctores, neque quoad actus mere dispositivos; v. v. gr. *Suarez*, *De grat.* l. 2 *De necessit. gratiae ad actus divini ordinis eliciendos* (Paris. t. 7 p. 584 ss).

¹ De aliis Scholasticis v. *novam edit. S. Bonaventurae* tom. 2 (Scholia editorum p. 632 et 683s); de Scoto *Parth. Minges* O. F. M., *Die Gnadenlehre des Duns Scotus auf ihren angeblichen Pelagianismus und Semipelagianismus geprüft* (1906) et *Jos. Klein* in *Franziskanische Studien*, maxime 8 (1921) 260-282.

55. V. Ratio theologica. *Finis* ultimus hominis est simpliciter supernaturalis et ordinis divini. Ad eiusmodi vero finem nullus actus mere humanus ullam *proportionem* habet, neque ratione *meriti* neque ratione *positivae dispositionis*. Ergo actus ad illum finem positive conducens sive actus salutaris non potest fieri, nisi facultates hominis, intellectus et voluntas, *elevantur* ad istum ordinem divinum. Atqui ad hoc requiritur auxilium internum supernaturale, quod post lapsum originalem non datur nisi propter merita Christi. (Haec data opera fuse ostendentur in sect. II.)

Thesis 2. Etiam initium fidei est donum gratiae.

P pr. 8. — Palm. th. 23. — Mazz. pr. 9. — Lah. th. 2. — Schiff. th. 6. — Ber. n. 194 ss.

56. St. qu. 1. Nexus. Thesis praecedens *generalis* nunc ex historicis rationibus ad *specialem* casum applicatur.

2. Sensus. Agitur de *eadem gratia interna et supernaturali* atque de *eadem necessitate absoluta et physica*, de qua in th. 1. Ostendendum est ab hac universali necessitate non eximi actus, quibus via salutis *inchoatur*, qui ex historica ratione vocantur initium fidei.

a) Nomen desumptum est ex **Cant 4, 8** sec. *Septuaginta* et *Italiam*: *ἐλεύση καὶ διελύση ἀπ' ἀρχῆς πίστεως* — «venies et pertransies ab initio fidei». *Vulg.*: «Veni, coronaberis de capite Amanae». *Kautzsch* vertit textum *hebr.*: «*Wandre herab von Amanas Gipfel*». *Sept.* nomen proprium montis falso intellexerunt «fidem» et consequenter *rosch 'amanah* «initium fidei» (v. *August.* De perf. iust. 19, 41; De gestis Pel. 14, 34; *Epist.* 194, 3, 9).

b) Sensus eruitur e scriptis S. Augustini et doctrina Semipelagianorum. Apud Augustinum significat primam fidei susceptionem tamquam initium salutis, a quo incipit bona vita, quae terminatur beatitudine caelesti. Utrumque terminum indicat *Epist.* 140, 26, 63: «ab initio fidei usque ad finem speciei». *Enchir.* c. 5 tria distinguit: inchoari fide, tendere ad finem bene vivendo, perfici specie; hoc loco loquitur de «initio fidei, quae per dilectionem operatur». Item in *Expos. ep. ad Gal.* n. 38 (ML 35, 2132) initium fidei iam renatorum, sed adhuc infirmorum opponit robori et perfectioni. Econtra *Ad Simpl.* 1, 2, 2 «inchoationes fidei conceptionibus similes», quales sunt in catechumenis nec sufficiunt ad vitam aeternam,

opponit perfectae nativitati fidei. Ergo Augustinus videtur distinguere *duplex* initium fidei: initium fidei *formatae* in iustificatione et initium fidei *informis* per actus quosdam ad eandem remote disponentes. Sed postea in lite semipelagiana ex utraque parte de *solis actibus iustificationi praevis* sermo erat. Minime autem veteres voce «initii fidei» voluerunt ad modum posteriorum theologorum distinguere inter *praeambula fidei*, quibus adnumeratur «pius credulitatis affectus», et ipsum *actum formalem* et perfectum fidei theologicae. Ad «initium fidei» veterum praeter ipsam *fidem theologicam* pertinere videntur etiam *spes, timor, attritio, oratio* et huiusmodi actus, qui iustificationem et opera meritoria praecedere solent.

57. 3. Adversarii sunt Semipelagiani¹.

a) Occasio huius doctrinae: Orta est tamquam aliqua *reactio adversus nonnullas sententias S. Augustini*, quae videbantur esse nimis durae et rigidae. Aliquando Augustinus, ut contra Manichaeos omnia mala ex mala voluntate provenire ostenderet (*De lib. arb.*, a. 388—395; *De duabus anim.*, a. 391—392) et iustitiam Dei, secundum Rom 9, 10 ss pro libitu alios eligentis, alios obdurantis, vindicaret (*De div. qq.* 83 q. 68, a. 389—396; *Expos. quar. prop. ex ep. ad Rom*, a. 393 ad 396), ipse docuerat in massa peccatorum praecedere aliquam diversitatem bona vel mala voluntate hominum inductam, qua singuli misericordia vel obduratione digni fierent; Deo credentes et opem eius implorantes gratiam S. Spiritus ad bene operandum accipere, incredulos autem et impios a Deo desereri et sic indurari. Sed initio episcopatus sui (a. 396—397), cum scriberet *Ad Simpl.* 1. 1 q. 2 (de Rom 9, 10—29), Deo, ut putat, revelante, praecipue ex textu 1 Cor 4, 7 didicit gratiam nullis praecedentibus meritis dari, hinc iam initium fidei et omnem nutum bonae voluntatis, omne petere, quaerere, pulsare, dolere de tepida oratione etc. (v. n. 22) hominibus gratis a gratia donari (cf. *Retract.* 1, 23; 2, 1; *De praedest. Sanct.* 4, 8; *De dono persev.* 20. 52). Cum hac doctrina absolutae gratui-

¹ Apud veteres vocantur «*reliquiae Pelagianorum*», «*Galli*», «*Massilienses*». Circa a. 1600, in lite de doctrina Molinae, coepti sunt vocari «*Semipelagiani*». M. Jacquin O. P. hoc nomen primo invenit in censura archiepiscopi segoviensis ex a. 1594, dein in relatione H. Henriquez S. J. ex a. 1597 et in adnotationibus Dominicanorum ex a. 1600. G. Vazquez († 1604) in opere postumo a. 1608 edito iam dicit: «*vulgo Semipelagiani nuncupantur*». — V. Rev Sc Ph Th 1 (1907) 506—508.

tatis et praevenientiae gratiae iam *ad Simplicianum* scribens verba sat dura de praedestinatione et similibus quaestionibus usque ad nostra tempora controversis coniunxit (v. gr. n. 16). Discussionem eiusmodi difficilium quaestionum, quam postea diu declinaverat (v. gr. *Epist.* 102 q. 2, a. 408—409; *De spir. et litt.* 33, 57; 34, 60, a. 412), denuo coepit *Epist.* 149 et 186 *ad Paulinum* (a. 414 et 417), *Epist.* 194 *ad Sixtum* (a. 418), atque nunc etiam infallibilem gratiae efficaciam eo modo urgebat, ut monachis hadrumetinis liberum arbitrium destruere videretur. Libro *De corr. et grat.* (a. 426—427) oppositio Casiani aliorumque Gallorum provocata est.

58. Disputationes igitur S. Augustini de sequelis peccati originalis, de infallibili efficacia gratiae, de perseverantia, de voluntate salvifica et praedestinatione, quibus postea abutebantur *Praedestinatiani*, *Protestantes*, *Iansenistae* ad suas haereses fulciendas, iam tunc temporis *Semipelagianis*, qui maxime id intendebant, ut iustitiam, bonitatem seriamque voluntatem salvificam Dei necnon humanam libertatem in tuto collocarent, fuerunt occasio, ut doctrinas «*Doctoris gratiae*», quae cum istis veritatibus aegre conciliari posse videbantur, vehementer impugnarent. *Admittentes* itaque, quaecumque de peccato originali et de necessitate gratiae ad singulos actus salutares a conciliis et pontificibus definita erant, *reiciebant* tamen, quidquid Augustinus «*de vocatione electorum secundum Dei propositum*» disputavit, ut minime necessarium et praesertim ut in praxi vitae religiosae periculosum (*Epist.* 225 n. 2). Hinc imprimis non agnoscebant *specialiora illa beneficia divina*, quae in collatione gratiae efficaci, praedestinatione et perseverantia finali consistunt. Deinde, quoniam Augustinus rigidiores doctrinas ex principio omnimodae gratuitatis gratiae, omnia hominis merita et ipsum initium fidei praevenientis, deducere solebat, nonnulli ex istis Gallis asserebant hoc *initium ex sola libera voluntate hominum* provenire et esse *rationem*, cur alii prae aliis gratiam acciperent.

59. b) Doctrinam ipsam Semipelagianorum breviter et bene complectunt **Prosper** et **Hilarius** in suis ad Augustinum epistulis (*Epist.* 225 et 226): Deus non est acceptor personarum; quare *indifferenter* vult salutem omnium eamque omnibus aequaliter offert. Exceptis paucis vasis electionis, quibus Deus non obstante eorum mala voluntate gratiam confert, *omnis discretio provenit ex libera hominum voluntate* bona vel mala. Hinc etiam ratio, cur ad quosdam praedicatio evangelii non

perveniat, est eorum *incredulitas a Deo praevisa*. Similiter *parvuli* aut baptismo salvantur aut sine baptismo pereunt, prout Deus eorum, si diutius viverent, bonam aut malam fore voluntatem praevidet. — Quia secundum catholicam fidem *totum opus salutis gratiae Dei adscribendum est, discretio* per diversum usum libertatis facienda non potest locum habere nisi in quibusdam actibus, qui *praerequiruntur*, ut salvatio incipere possit, sed ad ipsum opus salvationis nondum videntur pertinere. *Aegrotus*, de periculo suo timens et dolens, fidens se posse a medico sanari, opem eiusdem implorans et medicinam admittens, potest sanari; tamen tota sanatio fit per medicum virtute medicinae (*Epist.* 226, 2). Similiter Christus Salvator noster plerumque expectat aliquod initium ex parte hominis sive aliquem conatum bonae voluntatis. Si homo bono naturae, i. e. « *initiali gratia* », bene utitur, accipit « *salvantem gratiam* » (*Epist.* 225, 4). Secus sua culpa non salvatur, quamvis Deus eius salutem serio velit. — *Initium fidei* sive salutis ab homine primum suis viribus praestandum hoc modo describunt: dolere de miseria sua, horrere periculum mortis aeternae, velle purgari, desiderare salutem, pio affectu credere et confidere Christo Salvatore, orare, implorare, petere, quaerere, pulsare, consentire, conari etc. (cf. *Araus.* can. 6). — Breviter: Ex parte hominis salvandi *generatim praerequitur* initium fidei, i. e. a) *desiderium salutis*, b) *pius credulitatis affectus*, c) *imploratio divini auxilii*. Dein gratia iustificans perducit hominem ad *perfectam* fidem, quae per caritatem operatur, ad *augmentum fidei* per bona opera, et, si homo suo libero arbitrio perseverat, ad *consummationem fidei*, i. e. ad felicem finem (cf. etiam *De praedest. Sanct.* 4, 8 [ML 44, 965 s]).

4. Qualificatio. De fide definita.

60. Prob. I. Ecclesia. Caelestinus I (a. 431) commendat Augustinum eumque a detrectationibus Semipelagianorum defendit (Dz 128).

Indiculus secundum cap. 3 (Dz 129) adversus eos, qui « cum Pelagium atque Caelestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur », colligit, quid rectores Romanae Ecclesiae de gratia Dei sentiendum esse censuerint. — Cap. 7 (Dz 133) generaliter dicitur: « Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio »; cap. 8 (Dz 134): « nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit »; cap. 9 (Dz 135):

«sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus honae voluntatis ex Deo» est. Inde colligit **cap. 11** (Dz 139) etiam «*bonae voluntatis exordia*» ad Christi gratiam esse referenda et *ex lege supplicandi* in omni Ecclesia catholica uniformiter observata deducit *legem credendi: totum divini operis esse*, etiam fidem, depositionem erroris, poenitentiam. — Tandem **cap. 12** (Dz 141) ex omnibus allatis documentis hoc sequi affirmat, «ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus *ab initio fidei* ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominum merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere».

Hormisdas papa (a. 520) scribit ad *Possessorem* episcopum (Dz 3027): «De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quid romana, hoc est catholica, sequatur et servet ecclesia, licet et variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum [*De praed. Sanct. et De dono persev.*], abunde possit agnosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula [*Indiculus* vel *capitula* postea a Felice III *ad Caesarium* Arelatensem *transmissa*] continentur.»

61. Arausicanum II (a. 529) omnibus fere canonibus et sententiis hanc thesim inculcat (Dz 176 ss): Requirit gratiam Dei per Spiritus Sancti infusionem et operationem (can. 4) vel inspirationem (can. 5) ad *invocationem* gratiae (**can. 3**), ad *voluntatem, ut a peccato purgemur* (**can. 4**), ad *initium fidei* ipsumque *credulitatis affectum* (**can. 5**), ad conatus varios obtinendi Dei misericordiam (**can. 6**), ad bonum aliquid salutare *cogitandum, ut expedit*, aut *eligendum* sive evangelicae praedicationi *consentiendum* (**can. 7**), ut quis ad gratiam baptismi possit venire (**can. 8**). — E sequentibus sententiis cf. 9 11 12 14—16 18 20 22 23.

Bonifacius II approbans Araus. II: «ut nulli ulterius deberet esse ambiguum fidem quoque ipsam venire de gratia» (ML 45, 1790 s; Dz 3038 s).

62. Tridentinum s. 6 cap. 5: Iustificationis exordium a Dei praeveniente gratia, nullis eorum existentibus meritis; — **cap. 6:** Gratia excitat ad fidem et omnes actus dispositivos; — **can. 3:** credere, sperare, diligere, poenitere (Dz 797 s 813).

Vaticanum s. 3 cap. 3 (Dz 1789 1791): Fides est virtus supernaturalis, qua Dei aspirante gratia credimus. Illuminatio et inspiratio S. Spiritus etiam ad actum fidei informis requi-

perveniat, est eorum *incredulitas a Deo praevisa*. Similiter *parvuli* aut baptismo salvantur aut sine baptismo pereunt, prout Deus eorum, si diutius viverent, bonam aut malam fore voluntatem praevidet. — Quia secundum catholicam fidem *totum opus salutis gratiae Dei adscribendum est, discretio* per diversum usum libertatis facienda non potest locum habere nisi in quibusdam actibus, qui *praerequiruntur*, ut salvatio incipere possit, sed ad ipsum opus salvationis nondum videntur pertinere. *Aegrotus*, de periculo suo timens et dolens, fidens se posse a medico sanari, opem eiusdem implorans et medicinam admittens, potest sanari; tamen tota sanatio fit per medicum virtute medicinae (*Epist.* 226, 2). Similiter Christus Salvator noster plerumque exspectat aliquod initium ex parte hominis sive aliquem conatum bonae voluntatis. Si homo bono naturae, i. e. «*initiali gratia*», bene utitur, accipit «*salvantem gratiam*» (*Epist.* 225, 4). Secus sua culpa non salvatur, quamvis Deus eius salutem serio velit. — *Initium fidei* sive salutis ab homine primum suis viribus praestandum hoc modo describunt: dolere de miseria sua, horrere periculum mortis aeternae, velle purgari, desiderare salutem, pio affectu credere et confidere Christo Salvatori, orare, implorare, petere, quaerere, pulsare, consentire, conari etc. (cf. *Araus.* can. 6). — Breviter: Ex parte hominis salvandi *generatim praerequiritur* initium fidei, i. e. a) *desiderium salutis*, b) *pious credulitatis affectus*, c) *imploratio divini auxilii*. Dein gratia iustificans perducit hominem ad *perfectam* fidem, quae per caritatem operatur, ad *augmentum fidei* per bona opera, et, si homo suo libero arbitrio perseverat, ad *consummationem fidei*, i. e. ad felicem finem (cf. etiam *De praedest. Sanct.* 4, 8 [ML 44, 965 s]).

4. Qualificatio. De fide definita.

60. Prob. I. Ecclesia. Caelestinus I (a. 431) commendat Augustinum eumque a detrectationibus Semipelagianorum defendit (Dz 128).

Indiculus secundum cap. 3 (Dz 129) adversus eos, qui «cum Pelagium atque Caelestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur», colligit, quid rectores Romanae Ecclesiae de gratia Dei sentiendum esse censuerint. — Cap. 7 (Dz 133) generaliter dicitur: «Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio»; cap. 8 (Dz 134): «nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit»; cap. 9 (Dz 135):

«sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus honae voluntatis ex Deo» est. Inde colligit **cap. 11** (Dz 139) etiam «*bonae voluntatis exordia*» ad Christi gratiam esse referenda et *ex lege supplicandi* in omni Ecclesia catholica uniformiter observata deducit *legem credendi: totum divini operis esse*, etiam fidem, depositionem erroris, poenitentiam. — Tandem **cap. 12** (Dz 141) ex omnibus allatis documentis hoc sequi affirmat, «ut omnium honorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus *ab initio fidei* ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominum merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere».

Hormisdas papa (a. 520) scribit ad *Possessorem* episcopum (Dz 3027): «De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quid romana, hoc est catholica, sequatur et servet ecclesia, licet et variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum [*De praed. Sanct. et De dono persev.*], abunde possit agnosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula [*Indiculus* vel *capitula* postea a Felice III *ad Caesarium* Arelatensem *transmissa*] continentur.»

61. Arausicanum II (a. 529) omnibus fere canonibus et sententiis hanc thesim inculcat (Dz 176 ss): Requirit gratiam Dei per Spiritus Sancti infusionem et operationem (**can. 4**) vel inspirationem (**can. 5**) ad *invocationem* gratiae (**can. 3**), ad *voluntatem*, ut a peccato *purgemur* (**can. 4**), ad *initium fidei* ipsumque *credulitatis affectum* (**can. 5**), ad conatus varios obtinendi Dei misericordiam (**can. 6**), ad bonum aliquid salutare *cogitandum*, ut *expedit*, aut *eligendum* sive evangelicae praedicationi *consentiendum* (**can. 7**), ut quis ad gratiam baptismi possit venire (**can. 8**). — E sequentibus sententiis cf. 9 11 12 14—16 18 20 22 23.

Bonifacius II approbans Araus. II: «ut nulli ulterius deberet esse ambiguum fidem quoque ipsam venire de gratia» (ML 45, 1790 s; Dz 3038 s).

62. Tridentinum s. 6 cap. 5: Iustificationis exordium a Dei praeviente gratia, nullis eorum existentibus meritis; — **cap. 6**: Gratia excitat ad fidem et omnes actus dispositivos; — **can. 3**: credere, sperare, diligere, poenitere (Dz 797 s 813).

Vaticanum s. 3 cap. 3 (Dz 1789 1791): Fides est virtus supernaturalis, qua Dei aspirante gratia credimus. Illuminatio et inspiratio S. Spiritus etiam ad actum fidei informis requi-

ritur, qui actus est opus ad salutem pertinens; — **can. 5** (Dz 1814): Non ad solam fidem vivam gratia Dei necessaria est (contra Hermes).

63. II. S. Scriptura. 1. Textus th. 1 etiam hanc thesim probant: **Io 15, 5**: «*Sine me nihil potestis facere.*» Atqui *incipere* Christo Salvatore *credere*, salutem desiderare, implorare Dei auxilium iam *est aliquid* in ordine salutis, idque eo maioris momenti, quod teste S. Paulo in hoc ordine *non ex operibus, sed ex fide iustificamur*. Ergo neque hoc opus salutare possumus sine Christo facere. Verbum «*facere*» omnino generaliter dictum sane non est restringendum ad opera externa neque, ut th. 1 (n. 40 a) ostensum est, ad solos actus caritate formatos. — **2 Cor 3, 5**: Neque ad *cogitationem salutarem*, quae versatur *circa fidem* Salvatoris, desiderium salutis et implorationem divinae clementiae, *ex nobis idonei* sumus¹. — **Phil 2, 12**: Deus operatur in nobis *velle*, ergo etiam *velle salvari*, velle credere, velle quaerere medicum animarum; — **1, 6**: «*qui coepit* in vobis opus bonum». — **Eph 2, 1—10** et similes textus ostendunt exemplum *aegroti* medicum advocantis non satis aptum esse, cum peccator salvandus ab Apostolo potius comparetur *mortuo*, qui nihil potest ad suam resuscitationem conferre, et munus gratiae aequiperetur *novae creationi et generationi*, ad quam creandus vel generandus ex se non potest se praeparare².

64. 2. Io 6, 44: *Οὐδείς δύναται ἔλθειν πρὸς με, ἐὰν μὴ ὁ πατήρ ὁ πέμψας με ἐλκύσῃ αὐτόν.* — Hic affirmatur: a) Ad fidem: v. 65 s: «*Sed sunt quidam ex vobis, qui non cre-*

¹ V. argumentationem S. Augustini, *De praed. Sanctorum* 2, 5 (ML 44, 962 s; R 1980): «*Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum... Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem..., si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis..., profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus.*»

² V. 8 «*Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est*», non dicit expresse, *fidem*, sed potius: *esse salvatos per fidem* esse donum Dei. Neque exinde certo deduci posse videtur fidem necessario a Deo dari; nam ratio *gratiae* potest in hoc cerni, quod Deus eam oeconomiam salutis instituerit, in qua *iustificatio non redditur ut merces operum*, sed *donatur credenti* in iustificantem Deum. Per hanc «*legem fidei*» loco «*legis factorum*» a Deo statutam gloriatio humana exclusa est (Rom 3, 27). — Aliter hunc verum explicant *Prat*, Th. de S. Paul, II 7 289 s; *Wilh. Reinhard*, Das Wirken des Hl. Geistes im Menschen nach den Briefen des Ap. Paulus (1918), 10 ss et A. *Lemonnyer*, DdTh 8, 2066 s.

*dunt... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo»; — b) gratia interna: Praedicatio et miracula Christi non sufficiunt, ut veniatur ad Christum per fidem, nisi insuper Pater «trahit», id quod aperte exprimit internam gratiam externis addendam; — c) est absolute necessaria: Non dicit: «nemo potest facile venire», sed *simpliciter et absolute*: «nemo potest venire». — **Confirm. Mt 16, 17:** Pater revelavit Petro, quod caro et sanguis non poterant.*

65. Textus celeberrimus 1 Cor 4, 7: «Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?» (cf. *Araus. Dz 179 199; Augustinus [R 1446 1469 1734 1981 s]; Hilar. [R 2022]; Cyr. Alex. [R 2071]; Fulg. [R 2253]*) ab hodiernis exegetis aliter explicatur (v. *Cornely*): «Quis te discernit?», i. e. quis te praestantiorum aliis esse iudicat? Respondendum est secundum *Chrysostomum*: «Homines, quorum iudicium fallax est», secundum *Cornely*: «Nemo iure me discernit aliisque praefert.» Si quis nihilominus praestantiam quandam in scientia, eloquentia etc. prae aliis habere sibi videtur, altera Apostoli interrogatione monetur se omnia accepisse a Deo et proinde non esse causam gloriandi. Quia igitur in contextu dona etiam *naturalia* (scientia, eloquentia etc.) includuntur, textus non praebet argumentum pro *speciali donatione supernaturalium*. Idem dicendum est de Rom 11, 35: «Quis prior dedit illi?» — Sed hi textus de bonis supernaturalibus a fortiori veri sunt; quare ad nostram materiam recte applicantur. — Abstineatur etiam ab argumentis ex Io 6, 28 s: «Hoc est opus Dei, ut credatis», i. e. opus, quod *Deus exigit*; Eph 1, 19; Col 2, 12; Act 17, 31, secundum quos textus Deus operatur fidem Christianorum eo, quod resuscitatione Christi *praebet motivum credibilitatis*; Phil 1, 29: Colossensibus donatum est, ut in Christum credant et pro illo patiantur, per divinam providentiam; Rom 1, 8: non *initium fidei* est illa fides Romanorum in universo mundo annuntiata, pro qua Apostolus Deo gratias agit.

66. Textus a Semipelagianis adduci soliti (Act 16, 31 «Crede... et salvus eris»; Zach 1, 3 «Convertimini ad me, et ego convertar ad vos»; Eph 5, 14 «Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus»; Mt 7, 7 «Petite, et dabitur vobis» etc.) necnon *exempla Zachaei, boni latronis, Cornelii non negant gratiam praevenientem, sed ea tacite supposita* efferunt necessitatem *cooperandi* per liberum arbitrium, ut ad *ulteriores gratias* et ad salutem perveniatur. Etiam hodierni scriptores et concionatores saepe eiusmodi verba et exempla afferunt, quin ullo modo necessitatem gratiae praevenientis negare velint.

67. III. Patres. 1. Ante Pelagium ad hanc specialem quaestionem non solent attendere. Nonnulli adeo *universaliter omnia* in ordine salutis Deo adscribunt, ut initium fidei dicen-

dum sit includi; v. gr. **Cyprianus**: «In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est» (v. n. 49). — Ambrosius negat hominem quidquam *incipere* posse sine Domino (ibid.) — Origenes, *C. Celsum* 8, 43 (Koetschau II 257, 22—24): Post Christi passionem gentiles, qui procul a veritate erant, divina quadam virtute eam amplexi sunt. — **Basilius** (?), *In Psalm.* hom. 115, 1 (R 963): «*fides*, quae non necessariis geometriae illationibus, sed *Spiritus Sancti opera* gignitur».

Hi Patres, si quando *ante gratiam* aliquem *bonum motum liberi arbitrii* postulant, plerumque sicut textus S. Scripturae (n. 66) explicari posse videntur; v. g. Cyrillus Hieros., *Catech.* 1 cap. 3 (Dz 808). Sed cum Sancti *Ioannes Cassianus*, *Vincentius Lirinensis*, *Faustus Reiensis* et ipse *S. Augustinus iunior* hac in re erraverint, facile idem de nonnullis aliis Patribus concedi potest, v. g. de *S. Chrysostomo*, magistro Cassiani. Disputatur de eius sententia (v. P n. 99). Textus, ubi docet fidem a Deo debere donari, absolute de *externa* vocatione et providentia explicari possunt, et aliis locis opinari videtur exercitium propriae virtutis praecedere gratiam internam (v. g. *In Gen.* hom. 42, 1 [R 1155]).

68. 2. **Augustinus** (v. n. 28 et 50), **discipuli** eius et **sequentes Patres** clare et expresse pro initio fidei internam gratiam supernaturalem postulant. — *Augustinus*: a. 387 *Soliloquia* (n. 50); — a. 396 s *Ad Simplicianum* (R 1569 1571); — a. 400 *Confessiones* (n. 28 et 50); — a. 412 *De spiritu et littera* (R 1734 1736); — a. 417 *Epist.* 186 *ad Paulinum* 3, 10 (R 1446); — a. 418 *Epist.* 194 *ad Sixtum* 3, 9 (R 1450); — a. 426 s *De grat. et lib. arb.* (R 1936 1940); — a. 426 s *Retract.* 1, 9, 2 (R 1968). — Ex professo contra Semipelagianos agit de initio fidei: a. 427 (?) *Epist.* 217 *ad Vitalem* (R 1456 1458); — a. 428 s *De praedest. Sanct.* (R 1978—1984); — *De dono persev.* (R 2004—2006).

Prosper *Contra Collatorem* 3, 1 (R 2034); — De vocat. omn. gent. 1, 24 (R 2045); — Fulgentius, *Epist.* (R 2243 2246 2278).

69. IV. **Theologi**. Nonnulli veteres aliquam *positivam dispositionem* ad gratiam habitualement ex viribus naturalibus admiserunt (v. infra th. 8), et inter hos actus etiam «*fidem acquisitam*» esse erronee putaverunt. — **S. Thomas** saltem in *posterioribus* scriptis necessitatem *internae* gratiae ad omnem dispositionem docuit (v. th. 1 n. 54); *fidem* vero etiam informem esse *supernaturale* quid neque sine gratia fieri posse iam in *primis* operibus clare dixit. *In 3 d.* 23 q. 3 a. 2: «Nulla autem potentia secundum suam naturam determinatur ad illa,

quae sunt *supra naturam* rationis nostrae, quorum est *fides*; et ideo ad hunc actum indigemus habitu, qui non est acquisitus» (sed infusus). — *S. th.* 2, 2 q. 6 a. 1: Causa *exterius* inducens ad fidem non est sufficiens; «oportet ponere aliam causam *interiorem*, quae movet hominem interius ad assentiendum his, quae sunt fidei. Hanc autem causam *Pelagiani* [i. e. *Semipelagiani*] ponebant *solum liberum arbitrium* hominis, et propter hoc dicebant, quod *initium fidei* est ex nobis... Sed hoc est falsum; quia cum homo assentiendo his, quae sunt fidei, *elevetur* supra naturam suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus. Et ideo *fides* quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, *est a Deo interius movente per gratiam.*» — a. 2: Informitas fidei non pertinet ad rationem speciei ipsius fidei; hinc *Deus*, qui est *causa fidei* simpliciter dictae, *etiam* est causa fidei *informis*. — 1, 2 q. 114 a. 5 ad 1: «*Augustinus*... aliquando in hoc fuit deceptus, quod credidit *initium fidei* esse ex nobis, sed consummationem nobis dari ex Deo... Sed... *fidei veritas* habet, quod initium fidei sit in nobis a Deo.» — Cf. q. 113 a. 4.

ARTICULUS II

DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS NATURALITER HONESTOS

§ 1 QUID NATURA LAPSA POSSIT

70. DOCTRINA PRINCIPALIU ADVERSARIORUM

I. DOCTRINA PROTESTANTIUM

De hac doctrina in thesi 3 et postea variis occasionibus (v. Indicem s. v. Protestantas, Luther etc.) sufficienter tractabitur; v. praesertim *Heinr. Denifle* O. P., *Luther und Luthertum* in ihrer ersten Entwicklung, 2. Aufl. (1904—9). — *Hartm. Grisar* S. J., *Luther* (1911 s). — *J. T. Müller*, *Die symbolischen Bücher der evang.-luth. Kirche*, deutsch u. lateinisch, 11. Aufl. (Gütersloh 1912). — *G. F. Karl Müller*, *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche* (Leipzig 1903).

II. DOCTRINA MICHAELIS BAII (DE BAY)

71. Propositiones damnatas v. Dz 1001—1080. — *Opuscula Baii* enumerat P 115. — Contra eum vel de eo scripserunt inter alios *B. Rob. Bellarminus*, *Sententiae D. M. Baii*, doctoris lovaniensis, a duobus pontificibus damnatae et a Rob. Bellarm. refutatae (edi-

tae a X.-M. *Le Bachelet* S. J. in: *Auctarium Bellarminianum* [Paris 1913] p. 314—338; etiam in *Controversiis* Bellarmini omnia fere continentur). — *Martinez de Ripalda*, Adversus Baium et Baianos (Appendix operis *De ente supernaturali*, in edit. paris. 1870 tom. 3). — *Suarez*, De gratia Dei, Prolegomenum VI. cap. 2 (edit. paris. tom. 7, p. 283—293). — *Mart. Steyaert*, In propositiones damnatas annotationes (apud *Zaccaria*, Thesaurus theologicus tom. IV. Adenda [Venetiis 1762] p. 1145—1192. — *F. X. Linsenmann*, Mich. Baius und die Grundlegung des Jansenismus (Tübingen 1867). — *F. X. Jansen S. J.*, Baius et le Baianisme. Essai théologique (Louvain 1927). — X.-M. *Le Bachelet* S. J., art. Baius in *DdTh* II, 38—111. Hic diligenter omnes propos. damnatas explicat et col. 41—47 conspectum totius systematis baiani in hunc fere modum exhibet:

72. Baius hominem secundum triplicem statum considerat:

1. **Status iustitiae originalis** sive naturae innocentis (Opusc. *De prima hominis iustitia*; prop. damn. 21—24; cf. 55 78 s). Deus hominem fecit *rectum*, perfecte iustum, omnibus virtutibus ornatum. Anima primi hominis, Spiritu Sancto vivificata, Deo intime coniuncta et plene subiecta erat; inferiores autem vires animae et corporis rationi et voluntati perfecte submittebantur. Sed status primitivus nihil continebat supernaturalis sive naturae innocenti indebitum et creatoris munificentia liberaliter adiectum. Deus enim non potuit creare naturam nostram privatam ullis bonis, « sine quibus aut omnino esse non possumus aut malo non caremus ». Ergo debuit dare S. Spiritum, qui est vera vita animae, et omnia dona, sine quibus natura humana non potest carere miseria nec potest pervenire ad finem suum, qui in summa beatitudine et intima unione cum Deo consistit. Secundum *S. Scripturam* et antiquos *Patres*, inter quos eminent *S. Augustinus*, omnia dona, quae Adam acceperat, erant *naturalia* sive ad integritatem naturae spectantia. Reicienda est vana et otiosa distinctio donorum naturalium et supernaturalium a posterioribus Theologis statuta, quae simillima est pelagianae distinctioni vitae aeternae et regni caelorum. Ista dona utique non resultant ex principiis naturae eiusque vires transcendunt; quare a Deo immediate produci debuerunt. — Postea dixit Baius se noluisse statuere absolutam impossibilitatem creandi hominem his donis carentem, sed solum summam inconvenientiam et violentiam talis status.

73. Logice ex his assertis sequitur doctrina baiana de meritis status primitivi (Opusc. *De meritis operum*; prop. 1—20). Deus in creatione statuit hanc legem naturalem: Homo, si per

dona naturalia legem divinam implet, meretur beatitudinem, per inoboedientiam vero meretur damnationem. Quod bona opera sunt *meritoria* vitae aeternae, ex hoc solo provenit, quod sunt *impletio legis, non ex aliqua superiore dignitate*, quam habeant ex adoptione divina vel ex inhabitatione S. Spiritus. Ergo merita status primitivi et vita aeterna, eorum merces, *non recte vocantur gratia*.

74. 2. Status naturae lapsae (Opusc. *De peccato originis*; prop. 46—55). Per peccatum Adami natura humana S. Spiritum et totam illam rectitudinem primitivam amisit. Peccatum originale consistit in *habituali concupiscentia*, quae inde ab initio dominatur in hominem et ubi primum usus rationis accedit, in actuales effectus malos erumpit. Ex ea secundum prop. 49 (quae non in operibus ipsius Baii invenitur) in parvulis sine baptismo defunctis post mortem actuale odium Dei et blasphemiae oriuntur. Concupiscentia, etsi ratio non consentiat, est *verum peccatum* contra divinum praeceptum: « Non concupisces » (cf. prop. 74—76). Sic peccatum originale in singulis ratione sui qua inoboedientia legis, sine respectu ad voluntatem Adami, est verum peccatum (prop. 47).

75. Tales errores supponunt in Baio falsum conceptum libertatis (Opusc. *De hominis arbitrio et de eius potestate*; prop. 39—41; cf. 65—68). Philosophi secundum ipsum considerant libertatem *a necessitate*, quae est potestas eligendi inter plura. Haec libertas quoad electionem inter bonum et malum morale peccato originali amissa est et nunc unice versatur circa diversa obiecta mala et circa indifferentia sive pure temporaliter bona, ut agros colere, manducare et bibere. S. *Scriptura* et S. *Augustinus* sub nomine libertatis solam libertatem *a peccato* vel *a servitute* intellegunt, quae violentiam quidem seu captivitatem involuntariam sub aliqua inimica potestate, sed non internam determinationem ad unum excludit. — *Scholastici* igitur (secundum opusc. *De virtutibus impiorum* et *De caritate*; prop. 25—30; 34—38; cf. 61—65) turpiter errant, quatenus *cum philosophis et Pelagianis* opera moraliter bona in infidelibus admittunt. Secundum ipsos philosophos « *officia* » virtutum, ut sint actus vere virtuosii, ex bono quoque *fine* debent peragi. Atqui unicus et obligatorius finis omnium actionum humanarum est *Deus*; prout est *obiectum fidei et caritatis*. Nam testibus S. *Scriptura* et S. *Augustino* omne, quod non est ex fide, quae per caritatem operatur, peccatum

est. Ergo omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia virtutem imitantia, quae non solum non iuvant ad salutem, sed etiam damnant. Tota igitur hominis lapsi voluntas est vitiosa cupiditas, qua dominante in omnibus actionibus necessario peccat.

76. 3. Status naturae reparatae. Peccato originali homo donis status primitivi *positive indignus* factus erat. Quare omnia, quae ex gratia redemptrice Christi habet, etiam opera bona et vita aeterna, nunc vere sunt dona gratiae. Ratio autem *meritorii* honorum operum secundum Baium *non est ex meritis Christi et gratia sanctificante*, sed iterum mere est illa lege Dei, quae oboedientibus vitam aeternam ut praemium proponit. Gratia Christi reddit possibilitatem implendi legem sive bene agendi, sed non confert operibus ullam sublimiorem dignitatem (*De meritis operum*; prop. 8 9 11—15 17). Deus plenam integritatem liberi arbitrii restituere noluit neque omnibus dat potestatem credendi, castitatem servandi etc. (*De hominis arbitrio* c. 12; cf. prop. 54). Involuntarii motus concupiscentiae etiam in iustis sunt vera transgressio legis, sed non imputantur ut peccata, quia in iis non concupiscentia habitualiter dominatur, sed Spiritus Sanctus, gratia seu caritas (*De peccato originis*; cf. prop. 51).

77. Iustitia est identica vel saltem inseparabiliter coniuncta cum caritate (Opusc. *De caritate*; prop. 31—38). Hanc Baius intellegit *actualem*; an sit etiam *habituale* donum caritatis, incertum relinquit. Reicienda est scholastica distinctio *duplicis amoris Dei, naturalis* scil. et *supernaturalis*. Nam secundum 1 Io 2, 15s et S. Augustinum omnis amor rationalis creaturae aut est *mala cupiditas* aut *divina caritas* per S. Spiritum in corda diffusa. Sic explicatur, cur omnia opera extra caritatem facta saltem propter finem malae cupiditatis peccata sint. Caritas admittit gradus, initium, augmentum, perfectionem. *Perfecta iustitia* (Opusc. *De iustitia*; prop. 42—44), quae integram legem implet, hac in terra non fuit nisi in solo Christo. Iustitia, i. e. oboedientia legis, exercitium virtutum, caritas, non necessario cohaeret cum *remissione peccatorum*. Catechumeni et peccatores possunt quidem ex caritate per S. Spiritum diffusa multa optima opera facere et hoc modo iustificati esse, tamen remissionem peccatorum extra casum necessitatis non accipiunt nisi *per sacramenta* baptismi vel poenitentiae. Iustificationem (Opusc. *De iustificatione*) Deus ordinarie *gradatim* ope-

ratur. Primo inspirat *timorem servilem*, qui tamen, si sine caritate manet, potius ad desperationem et damnationem ducit. Verum principium iustitiae est *fides cum initio caritatis*¹.

78. Secundum *Le Bachelet* error fundamentalis Baii in hoc est, ut naturalem bonitatem creaturae rationalis exaggeret et consequenter etiam malitiam status naturae lapsae. Quia secundum eius opinionem *natura rationalis exigit ea dona*, quae Deus initio dedit, debuit indolem *supernaturalem* status primitivi *negare*, neque aliud principium moralitatis quam caritatem infusam agnoscere potuit. — Ad suos errores praesertim ex eo pervenit, quod *formalis S. Augustini*, cuius operibus paene exclusive studebat, eum sensum determinatum tribuit, quem eiusmodi termini nonnisi in posteriori theologia nacti sunt. Sic valde accessit ad haereses *Protestantium* et neglectis doctrinis *Tridentini* multa statuit, quae cum dogmate catholico conciliari non poterant.

III. DOCTRINA CORNELII IANSENII

79. *Cornelii Iansenii* episcopi iprensis Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina, adversus Pelagianos et Massilienses (Lovanii 1640). — *Ant. Arnauld* (Arnaldus), *Oeuvres*, ed. crit., 43 tomi (Paris et Lausanne, 1775—83). — *Steph. Dechamps* S. J., *De haeresi ianseniana*, opus ante annos novem sub *Antonii Ricardi* nomine inchoatum (Paris. 1654). — *Fr. Annat* S. J., *La doctrine de Jansénius contraire à la doctrine de l'Eglise et à celle de S. Augustin* (Paris 1654) et multa alia scripta P. Annati et aliorum, v. g. *Petavii* S. J., et *Isaaci Habert*. — *Louis de Montalte* (*Blaise Pascal*), *Lettres à un Provincial* (1656 s). — *Dominicus Viva* S. J., *Damnatae theses... ad theol. trutinam revocatae* (Neapoli 1708). — *A. Schill*, *Die offizielle Relation des römischen Officiums über die Verurteilung des Jansenismus* (*Kath.* 1883 II p. 282—299 474—494). — *J. Paquier*, *Le Jansénisme* (Paris 1909). — *Aug. Gazier*, *Histoire générale du mouvement janséniste* (Paris 1922; est amicus Jansenistarum; v. *Etudes* t. 175 [1923] p. 98 ss). — *Alb. de Meyer*, *Les premières controverses jansénistes en France* (1640—49), (Louvain 1917). — *Jean Laporte*, *La doctrine de Port-Royal* (Paris 1923 ss). — *A. de Becdelièvre*, art. *Jansénisme* in *Dict. Apolog.*, 2, 1153—1192 (a Baio usque ad Pisto-

¹ De praedestinatione Baius in suis opusculis non tractat, sed postea (a. 1587) adversarius *Lessii* exstitit (v. n. 574). — *Kuhn* et *Linsenmann* ei immerito aliquem falsum dualismum et mysticismum imputaverunt. Baius non derivat totam vitam rationalem hominis a Spiritu Sancto, sed admittit etiam in homine lapso necdum iustificato voluntatem rationalem et in ordine physico liberam.

rienses, cum ubere bibliographia). — *J. Carreyre*, art. Jansénisme in *DdTh* 8, 476—529 (usque ad pacem clementinam, cum accurata expositione doctrinae «*Augustini*» et «*5 propositionum*» et cum uberrima bibliographia). — *Yves de la Brière*, Le Jansénisme de Jansénius, Etude critique sur les 5 propositions (*RechScRel* 6 et 7 [1916] p. 270—301). — *Henri Bremond*, Histoire littéraire du Sentiment religieux en France, t. IV (Paris 1920). — P 116—119. — *Ber.* 505—517.

80. Iansenius *eandem methodum* ac Baius secutus *easdem fere doctrinas* apud S. Augustinum se invenisse putavit. A paucis principiis omnes derivando eas *in unum systema* logice bene cohaerens redegit:

1. **Status iustitiae originalis.** Clavis doctrinae S. Augustini est distinctio duorum adiutoriorum, scil. «*adiutorii sine quo non*» in statu supralapsario et «*adiutorii quo*» in statu infralapsario (*De corr. et grat.* c. 10—12). Necessesse est, ut adiutoria statuum naturae innocentis et lapsae valde diversa sint, quia libera voluntas hominis per peccatum originale in condicionem omnino aliam pervenit. Libertas voluntatis essentialiter consistit in libertate *ab externa coactione* sive violentia, quam voluntas nequit amittere. Sed quoad libertatem *a necessitate interna*, praesertim relate ad electionem boni et mali, voluntas in diversis statibus modo valde diverso se habet. Deus enim et beati non possunt velle nisi *bonum*, damnati non nisi *malum*, Primorum hominum voluntas ante peccatum erat in pleno aequilibrio, in *indifferentia activa* relate ad bonum et malum. Hinc indigebant quidem «*adiutorio sine quo non*», ut possent visionem beatificam mereri; qui finis ultimus simul cum necessariis mediis necnon cum immunitate a concupiscentia, a necessitate moriendi, a dolore etc. creaturae rationali innocenti necessario dandus erat. Possibilitas *status naturae purae* est figmentum Scholasticorum. Gratia status primitivi, adiutorium scil. sine quo non, *voluntati* hominis non dominabatur, sed potius ei *subiecta* erat, quae pro libitu eam sequi vel reicere potuit. *Dono perseverantiae* et *gratuitae praedestinationi* in hoc statu non erat locus. Plena igitur libertate electionis fruens neque ulla tractus delectatione Adam primum peccatum commisit.

81. 2. **Status naturae lapsae.** Peccato Adami tota naturae humanae condicio *quam maxime mutata* est carnali concupiscentia, quae mediante semine corrupto in omnes posteror: peccatum ad modum morborum corporalium transfundit. Vo-

luntas, antea active indifferens, nunc subiacet legi, ut interna necessitate semper *a maiore delectatione trahatur* ad consensum; nam «*quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*» (Augustinus, *Expos. ep. ad Gal.* n. 49 [ML 35, 135; R 1568]). Delectationem Baius intellegit *motum vitalem indeliberatum*. Accedente deliberatione rationis voluntas necessario et infallibiliter ei obiecto *consentit*, quod actu causat maiorem delectationem. Ultimus finis hominis lapsi manet *Deus caritate diligendus*, estque homo sub gravi obligatus, ut omnes suas actiones in hunc finem referat. Sed sine gratia Christi non potest habere caritatem. Ergo ex se *omnibus suis actibus graviter peccat*. Possunt quidem esse «*officia*» virtutum, i. e. actiones, quae mere qua tales spectatae sunt virtutes, sed ubi primum consideratur *finis*, ob quem fiunt, iam dicenda sunt peccata. Homo lapsus potest castitatem coniugalem servare, sed nequit hoc facere ex amore Dei; ergo sive adulterat sive castus est, in omni casu peccat. *Scholastici*, neglegentes S. Scripturam et traditionem Patrum nimisque fidentes philosophis, falso statuerunt aliquem amorem Dei naturalem, et sic cum Iuliano Pelagiano distinxerunt opera *salutariter et steriliter bona*. Sed secundum veram doctrinam S. Augustini quidquid non est *caelestis caritas*, est *vitiosa cupiditas*. Praeter amorem caritatis in Creatorem non datur nisi inordinatus et peccaminosus amor creaturae. Impossibilitas non peccandi hominem lapsum non excusat a peccato formali; quia a primo homine cum plena libertate inducta est tam fatalis impossibilitas; Adami delicto totum genus humanum iure factum est massa damnationis. Homo non externa violentia coactus, sed cum voluntate et voluptate adhaeret peccato; *ad merendum autem et demerendum* in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed *sufficit libertas a coactione* (v. **prop. 3** [Dz 1094]).

82. 3. Status naturae reparatae. Christus hominibus lapsis gratia meruit, sed voluntati pristinam libertatem non restituit. Gratia actualis consistit in delectatione caelestis caritatis a Spiritu Sancto in corde diffusae. Manet autem ista lex psychologica naturae lapsae, ut voluntas necessario consentiat maiori delectationi. Hinc ad bonum faciendum requiritur adiutorium, quo ipse actus bonus donatur. Si gratia excitat delectationem *minorem* praesenti delectatione cupiditatis, voluntas consentiet malae cupiditati et «*gratia parva*» nihil producet nisi *steriles affectus* et inefficacia desideria. Sed quoties gratia

maiores delectationem boni producit, toties qua « gratia [relative] magnā sive victrix » et qua verum « adiutorium quo » necessario obtinebit consensum voluntatis opusque bonum. Voluntas humana in statu naturae lapsae interiori gratiae numquam resistit (v. prop. 2 4 [Dz 1093 1095]), sed passive semper agi se sinit a maiore delectatione.

83. Quod ad **distributionem gratiae** attinet, Deus plurimos homines *omnino* in massa perditionis *relinquit*, quoniam *Christus non pro omnibus mortuus* est (v. **prop. 5** [Dz 1096]). Aliis Deus solas gratias *parvas* confert, alios ducit ad *fidem*, alios insuper ad *iustificationem* per gratiam sanctificantem. Sed ne omnibus iustis quidem dat semper *gratias vere sufficientes*, ut iustitiam servare et peccata mortalia vitare possint. Sic « aliqua Dei praecepta *aliquibus* iustis volentibus et conantibus *invalidè et imperfectè* secundum praesentes, quas habent vires, *parvas scil. et infirmas*, . . . impossibilia sunt *proxime et complete*, seu ab illis adimpleri proxime non possunt. Deest quoque illis gratia *efficax*, qua praecepta illis *proxime* possibilia fiant », et consequenter necessario peccant et gratiam amittunt. Sic ipsi *Jansenistae* sensum **propos. 1** (Dz 1092) explicabant (v. *DdTh* 8, 482). Definitive et plene a massa perditionis discretus est solus parvus numerus electorum, a Deo ex pura misericordia ad beatitudinem praedestinatus. *Christus* sanguinem suum fudit, ut *eas gratias* omnes et solas mereretur, *quas Deus reapse praedestinavit*; quae gratiae omnes *necessario attingunt eum effectum*, ad quem Deus singulas destinavit, sive meras *velleitates* boni, sive *fidem*, sive *iustitiam temporariam*, sive *perseverantiam finalem* in fide et caritate cum beatitudine aeterna.

IV. DOCTRINA PASCHASII QUESNELLI (QUESNEL)

84. P. Quesnel, *Le Nouveau Testament en françois avec des Réflexions morales* (inde ab a. 1668 sub variis titulis; 1692–95 sub titulo definitivo). — *Domin. Viva*, S. J., *Quesnellianae theses* a Clemente XI confixae ad theol. trutinam revocatae (Neap. 1716). — *Iac. de la Fontaine* S. J., *Constitutio Unigenitus* theologice propugnata (Romae 1717–24). — *Honoratus Tournely*, *Praelect. theol. de gratia* (Parisiis 1725); cf. *Jos. Hild*, *Honoré Tournely und seine Stellung zum Jansenismus*, in *Freib. Theol. Stud.*, 5. Heft (1911). — *Henr. Kilber* S. J., (*Wirceburgenses*), *De gratia* n. 236 ss. — *Andr. Schill*, *Die Constitution Unigenitus* (Freiburg 1876). — *Dict. Apolog.* 2, 1172 ss 1189 s.

85. Quesnellus errores Baii et Iansenii *paulum modificatos* propugnat eosque ad scientiam moralem et disciplinam ecclesiasticam applicat. Secundum ipsum infideles omni gratia carent neque in Vetere Testamento dabatur ulla veri nominis gratia. Christiani gratia destituti non pertinent ad Novum Testamentum. Gratia proprie est *voluntas omnipotens Dei*, hominibus extrinseca et soli Christo intrinseca. Nulla datur gratia *extra Ecclesiam*, quae est *coetus electorum* tantum, sicut Christus non est salvator nisi electorum. Prima gratia est *fides*, quae semper cum spe, caritate et remissione peccatorum coniuncta est. Timor poenae est malus, et peccatoris oratio est novum peccatum. — E 101 thesibus Constitutione dogmatica *Unigenitus* Clementis XI damnatis (Dz 1351 ss) th. 1—43 agunt de gratia; 44—71 de virtutibus theologicis et timore poenae; 72—101 de Ecclesia.

V. DOCTRINA SYNODI PISTORIENSIS

86. Scipio Ricci, episcopus pistoriensis (Pistoia in Toscana), in synodo dioecesana 1786 habita renovavit errores Baii, Iansenii et Quesnelli de gratia, sacramentis et disciplina ecclesiastica. Pius VI Constitutione *Auctorem fidei* a. 1794 propositiones 85, singulas accurate qualificando, damnavit (Dz 1501 ss).

VI. DOCTRINA AUGUSTINENSII

87. E. Portalie S. J., art. *Augustinianisme* in *DdTh* 1, 2485 ss. — X. Le Bachelet S. J., in art. *Baius*, ibid. 2, 62 73 s 85 s. — *Ber.* 329 s. — P 143.

Veterum Augustinensium princeps Aegidius Romanus († 1316) magis sequitur S. Thomam. Gregorius Ariminensis († 1358), «tortor infantium», rigidiorum Augustinensium cum doctrinis *occamisticis* miro *eclecticismo* coniunxit. — Recentioris scholae augustinensis duces habentur Henr. cardinalis de Noris († 1704 — *Historia pelagiana; Vindiciae augustinianae*), Fulgent. Bellelli († 1742 — *Mens Augustini de statu ante peccatum, — de modo reparationis*), Laurent. Berti († 1766 — *De theologicis disciplinis; Augustinianum systema vindicatum*).

Opera horum auctorum compluries a *Sede Apostolica* examinata, numquam damnata, a *Benedicto XIV* laudata sunt (cf. Dz 1090 not. 3). Tamen doctrina Augustinensium sententia damnata est valde similis neque alio modo quam ex *defectu*

consequentiae damnationem fugere videtur. Secundum eos Deus in se ipso visus et possessus adeo est *finis naturalis* omnis creaturae rationalis, ut eadem *naturali desiderio* in ipsum feratur eoque non obtento *miserrima* evadat. Quare « *ex decentia creatoris* » sive « *attenta suprema lege providentiae suae* » Deus homini innocenti saltem ea actualia auxilia debet, quibus vitam isto fine dignam agere possit. Status naturae *purae*, etsi secundum potentiam absolutam institui possit, potentiae tamen ordinatae, i. e. si praeter meram potentiam etiam sapientia, bonitas aliaque Dei attributa respiciuntur, repugnare dicendus est. Ordini *supralapsario* competebat adiutorium sine quo non, quod solum posse dabat et qua gratia *versatilis* reici poterat. Gratia vero nostri ordinis *infra-lapsarii*, in quo homo *infallibiliter*, licet *libere* semper *maior*em *delectationem* sequitur, propria est adiutorium quo, sive victrix delectatio caritatis, quae voluntatem moraliter praedeterminans, ipsum velle et perficere donat. Suis viribus relictus homo lapsus *in omni opere* saltem ex eo *peccat*, quod illud *per fidem et caritatem non ordinat ad Deum* finem ultimum. Etiam de voluntate salvifica, distributione gratiae sufficientis, praedestinatione, numero electorum, sorte parvulorum limbi Augustinenses sequuntur severiores opiniones.

Thesis 3. Non omnia opera peccatorum et infidelium sunt peccata.

88. P pr. 11. — Ber. n. 310—328. — Schiff. n. 108—114. — Lah. th. 1. — Palm. th. 21.

St. qu. 1. Nexus a) *art. II ad I v. n. 33 c)*; b) *intra art. II: § 1 contra eos, qui doctrinam S. Augustini antipelagianam exaggeraverunt*, ostendemus, quid natura lapsa adhuc valeat relate ad actus licet non salutare, tamen moraliter honestos. Dein § 2 *contra sententias pelagianas* defendemus vulnerationem, quam natura lapsa etiam in hac re perpessa est. c) *Omittimus* quaestionem de viribus intellectus post lapsum residuis, quia de his in tract. *de Deo uno* et in *theol. fundamentali* contra Scepticos, Fideistas, Traditionalistas et ex altera parte contra Rationalistas satis agitur¹. d) Quid liberum arbitrium hominis lapsi adhuc valeat circa actus moraliter honestos, examinabimus 4 gradibus: a) quid

¹ V. Vat. s. 3 cap. 2 (Dz 1785 s). — Palm. th. 19, pag. 85 ss. — Ber. n. 266—272.

valeat sine gratia *iustificante* sive in statu peccati; β) quid sine gratia *fidei* sive in statu infidelitatis; γ) quid sine *omni gratia ordinis simpliciter supernaturalis*; δ) quid sine *omni omnino auxilio non naturaliter debito* sive ex solis viribus propriis cum concursu generali et providentia debita. Thesis 3 agit de a) et β), thesis 4 de γ) et δ).

89. 2. Sensus. a) Non omnia sunt, ergo aliqua non sunt; — opera: i. e. actus humani, moralitatis capaces, sive externi, sive interni; — sunt, agitur proxime de *quaestione facti*, an revera fiant eiusmodi opera, consequenter de *quaestione iuris* sive *possibilitatis*, an opera eo ipso, quod sunt peccatorum aut infidelium, sint peccata; — peccata vere et proprie dicta, formalia et personaliter imputabilia, ita ut augeant reatum poenae ex peccato originali debitae, sive mortalia sive saltem venialia. Aliis verbis: aliqua horum operum sunt *honestae* vel saltem *indifferentiae*, non solum in abstracto sumpta, sed prout *concrete* fiunt, ita ut is, qui ea facit, iis non peccet nec poenam mereatur.

b) Opera 1. peccatorum, i. e. eorum, qui sunt *in statu peccati mortalis*, sive originalis sive personalis sive utriusque, qui proinde gratia habituali et caritate infusa carent, habent autem veram fidem supernaturalem; — 2. infidelium, i. e. eorum, qui sunt *in statu infidelitatis*, sive *positivae*, i. e. culpabilis, sive *negativae*, i. e. inculpabilis, sive *unum verum Deum agnoscunt*, ut haeretici, Iudaei et nonnulli pagani, sive *non agnoscunt*, ut idololatrae et athei, qui igitur carent virtute infusa et actibus fidei theologicae. Influxum autem aliarum gratiarum, etiam ordinis simpliciter supernaturalis, non excludimus. Haec thesis stare, etsi nullus actus honestus sine aliquo auxilio simpliciter supernaturali fieret vel etiam fieri posset.

90. 3. Adversarii. a) **Protestantes:** Natura humana cum omnibus suis viribus peccato originali intrinsecus corrupta est neque, quando fide fiduciali iustificatur, interne renovatur. Omnia opera talis naturae *mala concupiscentia inficiuntur* et sunt peccata, quamvis fidelibus sive iustificatis non qua peccata imputentur. Omnes conatus peccatoris ad iustificationem se disponendi et in specie metus gehennae et attritio sunt actus peccaminosi (testimonia *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Calvini* v. *Ber.* 311).

b) **Baiani et Iansenistae:** Baius non agnoscit amorem naturaliter honestum. Omnes actiones eorum, qui fide et cari-

tate (saltem initiali) carent, mala cupiditate in ipsis dominante intrinsicus corrumpuntur. Hinc *infidelis* in omni opere peccat, et *peccator*, quamdiu non habet eam caritatem, quae eius cupiditatem superet. — Iansenius: Homo lapsus semper sequitur maiorem delectationem. *Infidelibus* autem nulla delectatio caelestis infunditur; quare in omni opere aguntur delectatione mundanae cupiditatis, quod iis imputatur ad peccatum, quia in hoc statu ad demerendum non requiritur libertas a necessitate. In *peccatoribus* Iansenius clarius quam Baius admittit actus bonos ex caritate imperfecta procedentes. — Quesnellus vero, asserendo fidem semper cum spe et caritate et peccatorum remissione coniungi, satis aperte *etiam omnes peccatores* in omni opere peccare affirmat, id quod de oratione impiorum explicite dicit. — Pistorienses eandem haeresim insinuant.

c) **Augustinenses** ad doctrinam damnatam valde accedunt: Opera infidelium non sunt peccata eo sensu, quod ex natura corrupta vel ex regnante cupiditate intrinsicus vitentur; tamen practice loquendo infidelis omni opere saltem venialiter peccat. Obligamur enim, ut omnes nostros actus implicite saltem *ad Deum propter se dilectum referamus*. Ad hoc requiritur gratia caritatis saltem imperfectae, quam Deus *numquam* concedit infidelibus, qui eum ignorant, *neque communiter* iis infidelibus, qui verum Deum agnoscunt. Ergo licet opera sint bona ratione *obiecti, finis operis et proximi finis operantis*, tamen infideles Deum ignorantes semper, et Deum agnoscentes plerumque ratione *finis ultimi* saltem peccatum omissionis committunt (cf. n. 119).

91. 4. **Qualificatio.** a) Quoad *peccatores* de fide definita; b) quoad *infideles*: contra *Iansenistarum* sententiam theologice certa, — contra *Augustinenses*: certa.

92. **Prob. I. Ecclesia.** 1. Quoad peccatores: Concilium Constantiense reiecerat errorem 16 *Ioannis Hus*: « vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi » (Dz 642).

Per **can. 7 sess. 6 concilii Tridentini** est definitum contra **Protestantes**: Non omnia opera, quae ante iustificationem (ergo in statu peccati) fiunt, quacunque ratione facta sint (v. g. cum auxilio gratiae actualis vel habituum informium), sunt vere peccata (ergo ad summum sensu aliquo

minus proprio) vel odium Dei merentur; neque quo vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius peccat (Dz 817). Tales actus, si per excitantem et adiuvantem gratiam fiunt, secundum c. 5 et 6 (Dz 797 s) potius sunt *iustificationis exordium* et *dispositio* ad ipsam iustitiam; atque etiam divinae iustitiae *timore* utiliter concutiuntur peccatores. Gehennae metus, debitis vestitus qualitatibus, iuxta **can. 8** (Dz 818) non est peccatum nec peccatores peiores facit. Attritio secundum **sess. 14 cap. 4** (Dz 897) non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, sed est donum Dei et Spiritus Sancti impulsus, viam ad iustitiam parans.

Vat. s. 3 cap. 3 (Dz 1791): Actus *fidei* etiam per caritatem non operantis (ergo *in statu peccati*) est opus ad salutem pertinens (ergo certe non novum peccatum).

93. Quatenus **Baius** urget omnes omnino actus *aut ex caritate aut ex cupiditate* dominante procedere, sequuntur propositiones *haereticæ* 35 et 40 (Dz 1035 1040). Sed studuit anathema Tridentini evadere declarando sub voce caritatis comprehendi etiam caritatem *imperfectam*, ex qua peccator possit quaedam opera non mala facere. — Item offendunt contra dogma propositiones **Iansenistarum** ab Alexandro VIII damnatae 7 et 11 (Dz 1297 1301), quatenus dilectio et caritas sensu consueto de *caritate iustorum* sumitur. — **Quesnel** principium duplicis amoris prop. 45 (Dz 1395) universaliter enuntiat ex eoque ad conclusiones Luthero dignas pervenit: Prop. 59 (Dz 1409): «*Oratio* impiorum est novum peccatum»; prop. 60—77 (Dz 1410 ss) contra *timorem poenae*. Cum infidelitas et peccatum secundum ipsum semper simul tollantur (prop. 27 s 51—58), omnis peccator etiam est infidelis et qua talis in omni opere peccat. — **Pistorienses** ita loquuntur de *duplici amore*, ut *insinuent* hominem in statu peccati propter dominantem cupiditatem in omnibus operibus ante iustificationem peccare; quae doctrina *falsa* et *perniciosa inducit in haeresim* a Tridentino et iterum in Baio (art. 40) damnatam (prop. 23 [Dz 1523]).

94. 2. Quoad infideles: **Baii** prop. 25 (Dz 1025) «Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes [de quibus in philosophia morali agunt] sunt vitia.» — **Iansenistarum** prop. 8 (Dz 1298): «Necesse est infidelem in omni opere peccare»; cf. prop. 11. — **Quesnel**: *Absque gratia* Christi nihil boni fit nec fieri potest (prop. 2 [Dz 1352]; cf. prop. 1 39—41). *Prima* autem gratia est *fides* (prop. 26 s [Dz 1376 s]).

Ergo fide carens nihil boni facere potest, sed in omni opere peccat, id quod explicite dicitur prop. 48 (Dz 1398): sine fidei lumine nihil aliud esse possumus nisi tenebrae, aberratio, peccatum; et prop. 42 (Dz 1392): sine sacrificio fidei nihil nisi impuritas et indignitas.

95. Augustinenses suis restrictionibus et distinctionibus obtinuerunt, ne his damnationibus feriantur. Sed res per eorum explicationem haud multum mutatur. Manet enim hoc, quod infideles verum Deum ignorantes saltem practice omni opere peccent, et minoris momenti esse videtur, unde ratio peccati proveniat. Alexander VIII universaliter damnavit prop. 8 (Dz 1298): «Necesse est infidelem in omni opere peccare.» — Magis autem adversantur Augustinenses sequenti thesi.

96. II. Scriptura. 1. Rom 2, 12—16, maxime v. 14, ponitur casus: «*Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt*». Hic agitur:

a) de casu non irreali, sed saepius verificato. Coniunctio *ὅταν* adhibetur «in sententiis generalibus de re non semel certo tempore eveniente, sed quae *vel revera saepius fit*, ubi tempus et occasio fert, *vel saepius fieri potest*, = quandocunque, si quando, quotiens, si» (Zorell).

b) de operibus, quae non sunt peccata et quae faciendo homo non peccat: *τὰ τοῦ νόμου* — «*ea, quae legis sunt*»; «*opus legis scriptum in cordibus*», in conscientia naturae rationalis, quae boni et mali normam exhibet. Ergo est sermo de operibus, quae *normae moralitatis conformia* sunt. *Testimonium*, quod conscientia de his operibus reddit, certe consistit in *cogitationibus defendentibus* in die iudicii (v. 15s).

c) de gentibus infidelibus, *non de conversis* ad fidem christianam. Hoc certo probatur ex contextu. *Cap. 1^o* est sermo de infidelibus gentibus. *Cap. 2^o* contenditur etiam Iudaeos esse peccatores. Non sufficit *habere* legem scriptam, sed oportet legem *implere*, sive sit *scripta lex mosaica*, sive ea, quam gentes habent scriptam *in cordibus*. Non *auditores*, sed *factores* legis in iudicio *iustificabuntur*, i. e. absolventur, non condemnabuntur. In hoc contextu Apostolus loquitur de gentibus, quae *φύσει*, i. e. *natura duce et magistra*, in oppositione ad Iudaeos lege divina *positive revelata* institutos, faciunt ea, quae legis sunt. Eiusmodi non sunt gentes ad fidem christianam *conversae*;

nam hae sunt *participes revelationis* positivae et scriptae; quare non possunt dici *sola natura docente* facere, quae legis sunt¹.

Inveniuntur quidem Rom 7s textus, qui apparenter dicunt in conflictu inter spiritum et carnem spiritum hominis non redempti ita superari a carne, ut numquam a voluntate inefficaci ad actionem honestam procedat (cf. Rom 7, 14s 18s 23 25; 8, 7s). Tamen, ne aperta contradictio ad Rom 2, 14 habeatur, hi textus intellegendi sunt de *totali et perfecta* observatione legis, quae homini carnali impossibilis est (cf. Gal 3, 10: «Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit *in omnibus*, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea»; de Rom 7 v. th. 5 n. 143ss et W. Schauf, Sarx [Münster 1924] 190 s).

97. 2. a) Scriptura laudat quaedam opera a peccatoribus ante iustificationem vel etiam ab infidelibus et idololatriis facta, et ea Deo excitanti adscribit. 2 Paral 33, 11—13 laudatur oratio *Manassis*, regis impii; — Esth 15, 11: «Convertitque Deus spiritum regis [*Assueri*] in mansuetudinem.»

b) Scriptura admonet peccatores et infideles *ad orationem, poenitentiam, eleemosynas*. Eccli 21, 1: «Fili, peccasti, non adicias iterum, sed et de pristinis deprecare.» — Ez 18, 30: «Convertimini et agite poenitentiam.» — Dan 4, 24 Daniel ad regem Nabuchodonosor: «peccata tua eleemosynis redime.» Cf. th. 11 de dispositione ad iustificationem (n. 333—337).

98. III. Patres. 1. Doctrina **Graecorum omnium et Latinorum ante Augustinum** est manifesta. Secundum **Apologetas**, ideam *Stoicorum* applicantes, *Logos* totum mundum pervadit, omnem hominem illuminans et ubique aliqua *germina* (*σπέρματα*) *veri et boni* diffundens. Sicut Iudaeis lex, sic Graecis *philosophia* a Deo data est paedagogus ad Christum; v. Iustinus, *Apol.* 1, 46 (Otto 1, 128); 2, 8 (ibid. 220); Clemens Alex., *Strom.* 1, 5 (MG 8, 717; Stählin II 17); 6, 17 (MG 9, 380ss, praes. 392; Stählin II 508ss, praes. 513s); *Cohort.* 6, 59 (MG 8, 173; Stählin I 52). — **Tertullianus** est

¹ Sic intellegunt textum *Patres graeci et antiquiores latini*, item *multi iuniores exegetae et hodierni fere unanimiter*. Latini, qui explicationem de gentibus conversis solam vel simul cum altera proponunt, auctoritate S. Augustini moti sunt, qui hunc textum, ne *Pelagiani* eo abuterentur, de *ethnicochristianis* intellegere maluit. Sed adhuc a. 412 in l. *De spir. et litt.* 27, 48 (R 1733), in quo acriter disputavit contra inimicos gratiae Dei (Retr. 2, 37), et iterum a. 421 C. *Iul.* 4, 3, 25 (R 1905) alteram explicationem saltem *permittit*. Ecclesia vetuit, ne nostrae explicationi nota Pelagianismi inureretur (*Baii* prop. 22 [Dz 1022]).

quidem acerrimus adversarius philosophiae, sed agnoscit «*testimonium animae naturaliter christianae*» (Apol. 17 [ML 1, 377]; cf. *De test. animae* [ML 1, 608 ss]). — Secundum **Basilium**, *De op. 6 dierum hom.* 9, 4 (MG 29, 196) homini secundum naturam insunt virtutes et fuga vitii. — **Gregorius Naz.**, *Oratione 18, funebri* in patrem (R 982), laudat virtutes sui patris nondum fidelis qui ante fidem iam fuerit christianus, sicut *multi fidem moribus antevertant*. — **Chrysostomus**, *In Io* hom. 27, 2 (R 1162) *virtutes naturales* gentilium laudat et concedit inter eos esse, qui *recte vivant*, licet hoc raro contingat. — **Hieronymus**, *Comm. in Gal* 1, 15 (ML 26, 351): «Multi absque fide et evangelio Christi vel *sapienter* faciunt aliqua vel *sancte*, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.»

99. 2. S. Augustinus¹. a) **Peccatores**: Non peccat omni actu, qui nondum renatus est nec caritatem habet in corde diffusam: A. 396 s *Ad Simpl.* 1. 1 q. 2 n. 2 (ML 40, 111 s): *Gratia fidei in Cornelio et catechumenis* causat eleemosynas et orationem, sed nondum sufficit ad obtinendum regnum caelorum. — 416 s *In Io* 44, 13 (R 1827): *Et peccatores exaudit Deus*; publicani confessio meruit iustificationem. — 418 *Epist.* 194 *ad Sixtum* 4, 18: Spiritus Sanctus nondum inhabitans adiuvat, ut sint fideles. — 420 *Contra mend.* 15, 32 (ML 40, 540): Deus remuneravit non quidem mendacium, sed misericordiam *Rahab* meretricis. — 426 s *Retract.* 1, 15, 4 (R 1973): «Quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si *pia* est, ut *oret* auxilium?» Ergo Augustinus *oppositionem inter cupiditatem et caritatem* non tam exclusive intellegit, ut praeter actiones ex caritate iustis infusa procedentes nihil agnoscat nisi actiones mala cupiditate infectas. — Etiam cum Semipelagianis disputabat de *bonis actibus initialibus* nondum iustificatorum (v. n. 56 b). Saepe dicit fidem impetrare vel aliquo modo mereri iustificationem (cf. n. 339), v. g. *De fide et oper.* 21, 39 (ML 40, 222); *Enarr. in Ps.* 72, 6 (ML 36, 917 s): *Cultum Iudaeorum* propter temporalia bona Deo servientium *non malum*, sed *imperfectum* habet eosque et ab impiis, qui haec a daemoniis quaerunt, et a spiritualibus intellectoibus regni caelestis aeterni distinguit. Similiter *De civ. Dei* 10, 14 (ML 41, 292).

¹ V. *Joh. Ernst*, Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin (Freiburg 1871) p. 38 ss.

100. b) Etiam in **infidelibus** quaedam recte facta admittit: A. 412 **De spir. et litt.** 27 s, 48 s (P 136 122; R 1733). Augustinus quidem ipse textum *Rom 2, 14* de gentibus conversis explicat; tamen admittit etiam impios nec Deum verum veraciter iusteque colentes recte dici naturaliter quae legis sunt facere; nam, inquit, eorum quoque quaedam facta novimus, quae secundum iustitiae regulam non vituperio, sed laude digna sunt (ergo bona secundum *obiectum et finem operis*); «quamquam si discutiantur, quo *fine* [*operantis*] fiant, *vix* [ergo tamen *aliquoties*] inveniuntur, quae iustitiae debitam laudem defensionemve mereantur». Ratio est, «quia non usque adeo in anima humana *imago Dei* terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut *lineamenta extrema* remanserint». In Novo Testamento scribitur in corde fidelium per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem; «nam remanserat utique id, quod *anima* hominis nisi *rationalis* esse non potest». Etiam *Iudaei* «homines erant, et *vis illa naturae* inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit, sed *pietas*, quae in *aliam vitam* transfert beatam et aeternam», aliam legem habet et exigit gratiam Christi. Sicut iustus propter *peccata venialia* non excluditur a vita aeterna, «sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio *aliqua bona opera*, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis ducitur». Talia opera infidelibus proderunt «forte, ut mitius puniantur». Ulterius disserit de intentione Apostoli, «si non illi sunt intellegendi, qui pertinent ad gratiam Mediatoris, sed illi potius, qui cum Deum verum vera pietate non colant, habent tamen *quaedam opera bona in vita impia*». — Haec omnia dicit in opere, quo Pelagianos impugnat, *nullis restrictionibus et cautelis additis* (ut postea in alia quaestione eiusdem libri n. 58 initio et n. 60 in fine, de qua re infra in th. 20 n. 547 549). Nihil retractat, immo in *Retract.* 1, 26 et 2, 24, 2 notat dicta quaedam in *De div. quaest.* 83 et *De gen. ad litt.* non ita esse accipienda, «quasi *totum* amiserit homo, quod habebat *imaginis Dei*». Ergo S. Augustinus *usque ad finem vitae* censuisse videtur infideles, qui verum Deum non colunt, vi animae rationalis posse aliqua bona opera, ex laudabili quoque fine, velle et facere. Si igitur saepe hanc antithesim ponit: aut ex caelesti caritate aut ex mala cupiditate, *rhetorice* loquitur et possunt applicari verba S. Bonaventurae, quae profert ad benigne interpretandam Augustini sententiam de sorte parvulorum limbi (*In 2 dist. 33 a. 3 q. 1 ad 1. 2*): «Et hoc *valde abundanter* exprimit, *plus dicens et minus volens intellegi.*»

101. Sermo 349, 1 2 7 (P 136; R 1528) tres species caritatis distinguit: 1. divinam, 2. humanam licitam, qua diliguntur coniuges, filii, amici, cives, 3. humanam illicitam, qua meretrix vel aliena uxor amatur. *Secunda* potest esse *et impiorum*, i. e. paganorum, Iudaeorum, haereticorum, et simile quid habetur in bestiis. Fideles studeant, ut eam ad divinam elevent, in propinquis nonnisi Christum diligendo. Sed si ad hanc puram dilectionem secundum Christum non ascendant, saltem «*saeculariter*» filios et coniuges ament. Ergo hic amor saecularis licitus est; neque fideles neque infideles sic amando peccant. — Pius VI Pistoriensibus utrumque textum S. Augustini obicit (prop. 24 [Dz 1524]).

De pecc. mēr. et rem. 1, 22, 31 (P 136) proponitur exemplum hominis notitia Evangelii carentis nec credituri, tamen optima indole praediti, multa peccata vitantis, multa honesta facientis. — *Epist.* 138 *ad Marcellinum* 3, 17 distinguit iterum tria: 1. pessima vitia *nunc* grassantia, 2. virtutes civiles, quibus *primi Romani* constituerunt auxeruntque rempublicam, 3. veram pietatem erga Deum verum, quae in aeternam civitatem perducit. Deus in praeclaro Romanorum imperio ostendit, «quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intellexeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas». Nota veram religionem addi naturaliter honestis, non simpliciter omnia priora pelli tamquam mundana cupiditate vitiata. — *De civ. Dei* 2, 29, 1 (ML 41, 77): «Si quid in te [o indoles romana] laudabile naturaliter eminet, nonnisi vera pietate purgatur atque perficitur, impietate autem disperditur et punitur»; *ibid.* 8, 8 et 10, 1 laudat *Platonicos*, quod finem hominis cognoverint esse fruitionem Dei. — *Epist.* 144, 2: Olim Polemo audiens Xenocratem philosophum disserentem de temperantia *ad continentiam conversus* est. Quod melius in ipso factum est, Augustinus non humano, sed *divino operi tribuit*. Si insuper verum Deum «abiectis superstitionibus gentium pie coleret, non solum *continens*, sed etiam *veraciter sapiens et salubriter religiosus* existeret; quod ei non tantum ad praesentis vitae honestatem, verum et ad futurae immortalitem valeret». Quod Deus isti infideli dedit, ex mente Augustini certe non erat vitium et peccatum. — *Confess.* 6, 7—10 multa laudabilia de Alypio adhuc Manichaeo narrat. — *Sermo* 141 n. 4 (ML 38, 777 s) loquens de verbis Christi: «Ego sum via», dicit: «Invenies homines *bene viventes et non christianos*. Bene currunt, sed in via non currunt.»

Discipuli Augustini eodem modo de hac re loquuntur: Prosper, *Contra Coll.* n. 36 (P 122). — Fulgentius, *Epist.* 17, 26 s, 51 s (P 122; R 2244 s). — Hypomnesticon 3, 4, 5 (ML 45, 1623).

102. IV. Theologi moraliter omnes sine ulla haesitatione in peccatoribus fidelibus admittunt opera, quae nullo modo sunt peccata; v. g. actus, quibus peccator se *disponit ad iustificationem*. Tamen verba Augustini apparenter opposita non solum *Augustinensibus* stricte dictis, sed etiam *nonnullis aliis ex antiquioribus theologis* scrupulum iniecerunt quoad infideles. **Magister Sent.** 1. 2 dist. 41 *duplicem* proponit *sententiam*: 1. «ubi non est *fides*, nec *intentio bona* nec *bonum opus* esse videtur; quod a quibusdam *non irrationabiliter* adstruitur.» 2. Alii trifariam distinctionem actuum faciunt in malos, naturaliter bonos et remunerabiles ad vitam. Dicunt «opera cuncta, quae ad naturae subsidium fiunt, semper bona esse». Si Iudaeus vel malus christianus «naturali pietate ductus» necessitati proximi succurrit, «*bonum fecit et bona fuit voluntas*, qua illud fecit»; iuxta hos theologos *Augustinus solum remunerabile ad vitam dicit bonum*. — Cf. 1. 2 dist. 26 c. 7.

103. S. Thomas. a) **Peccatores:** In 3 d. 36 q. 1 a. 6 quaerens, *utrum modus caritatis sit in praecepto*, 4 sententias affert. *Secundam* simpliciter affirmantem reicit, «quia aliquis in peccato mortali existens in quolibet actu de genere bonorum, quo praeceptum impleret quoad substantiam operis, *peccaret peccato omissionis*, in quantum omitteret modum; quod falsum est». *Quarta* opinio, mediam viam tenens, ei videtur rationalior; «*sic quantum ad intentionem legislatoris* modus virtutis cadit sub praecepto, non *quantum ad obligationem legis*». — **De ver.** q. 23 a. 7 ad 8: «sic, quod si non faciamus, poenam incurremus, . . . secundum communiorem opinionem *non tene-mur* ad faciendum aliquid *ex caritate*, sed ad faciendum aliquid *ex dilectione naturali*, sine qua ad minus, quidquid fit, male fit». Intellegit dilectionem naturalem «illam, ad quam aliquis *per principia naturalia* pervenire potest, quae inveni-tur *in bonis ex genere et in virtutibus politicis*». — **De malo** q. 2 a. 5 ad 7: «Hoc autem est simpliciter falsum, quod *omnis actus*, qui non est ex voluntate informata caritate, sit *demeritorius*; alioquin illi, qui sunt in peccato mortali, in quolibet suo actu peccarent, nec opera ab eis facta, quae sunt de

genere honorum, disponerent eos ad gratiam; quae omnia sunt falsa.» Opinio eorum, qui dicunt, quod modus caritatis est in praecepto, «*aliqua* vera est; alioquin sine caritate posset aliquis legem implere, quod est pelagianae impietatis; nec tamen est *vera omnino*, quia sic aliquis caritatem non habens honorans parentes peccaret mortaliter ex omissione modi, quod falsum est». Talis «*non meretur* vitam aeternam, sed tamen *neque demeretur*». — 1, 2 q. 100 a. 10 opinionem, quae *simpliciter affirmat* modum caritatis cadere sub praecepto, omnino *omittit*, et ex duabus aliis suam *mediam* componit: «in hoc praecepto *Honora patrem* non includitur, quod honoretur pater *ex caritate*, sed solum, quod honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, *non efficitur transgressor huius praecepti*, etsi sit transgressor *praecepti*, quod est *de actu caritatis*», quod scil. exigit, ut omnis homo *aliquoties* eliciat actum caritatis. Ad 2: Quia praecepta affirmativa non obligant *ad semper*, «potest contingere, quod aliquis, implens praeceptum de honoratione parentum, *non tunc* transgrediatur praeceptum de omissione modi caritatis». — 2, 2 q. 23 a. 7: Ad *ultimum et principale bonum* homo ordinatur per caritatem. *Secundarium et quasi particulare* bonum aut est *vere bonum*, i. e. ordinabile ex se ad principale bonum ultimi finis, aut bonum *apparens* et non verum; quia abducit a finali bono. *Virtus vera simpliciter*, quae ordinatur ad principale bonum, non potest esse sine caritate. Sed potest esse virtus, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Si hoc est verum bonum, v. g. conservatio civitatis, erit quidem *vera* virtus, sed *imperfecta*, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Ad 1: Actus caritate carentis potest esse *bonus ex suo genere*, secundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel *fidem* vel *spem* vel etiam *naturale bonum*; quod non totum per peccatum tollitur. — 1, 2 q. 112 a. 2 ad 1: *praeparatio gratiae* imperfecta, praecedens donum gratiae gratum facientis, tamen est *a Deo movente*.

104. b) Infideles: 2, 2 q. 10 a. 4. «Utrum omnis actio infidelis sit peccatum». *Infidelitas* sicut alia peccata mortalia tollit gratiam gratum facientem, *non autem totaliter corrumpit bonum naturae*. Hinc infideles *non* possunt opera *meritoria* operari, «tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqua*liter* operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent... Infidelis potest aliquem actum *bonum* facere in eo, quod *non refert ad finem infidelitatis*.» Ad 2:

«lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicuius boni connaturalis» (hoc igitur sufficit, ut actus sit bonus). — Cf. 1, 2 q. 89 a 5: «Utrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia». *Ratio dubitandi* est, quod concupiscere sine consensu *iis solis* videtur non esse damnabile, qui sunt *in Christo Iesu* (Rom. 8, 1). Sed irrationabiliter illud affirmaretur. Est *eadem natura sensualitatis* in infidelibus et fidelibus, et peccata infidelium magis merentur veniam propter ignorantiam. Ad 1: «Apostolus loquitur de damnatione debita peccato *originali*, quae auferitur per gratiam Iesu Christi.» Ad 3: «illud debitum non concupiscendi erat *per originalem iustitiam*; unde id, quod opponitur tali debito, non pertinet ad peccatum actuale, sed ad *peccatum originale*»¹. — Idem docet *Quodl.* 4 a. 22; *De malo* q. 7 a. 8.

105. 1, 2 q. 109 a. 2 et 3 soli sumpti possent ad mentem: ad-versariorum intellegi: a. 2: Homo lapsus potest adhuc «per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere, sicut *aedificare domos, plantare vineas* et alia huiusmodi [exempla desumpta ex Ps-Augustino, *Hypomnest.* 3, 4, 5], non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo *infirmus* potest per se ipsum *aliquem motum* habere, *non tamen perfecte* potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae». a. 3: «Homo in statu naturae *integrae* dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut in finem... Sed in statu naturae *corruptae* homo ad hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quae propter corruptionem naturae *sequitur bonum privatum*, nisi sanetur per gratiam Dei.» — Ergone homo lapsus in omni opere se ipsum vel aliud bonum particulare *ex prava cupiditate* loco Dei ultimum finem sibi proponit, vel saltem omittingo relationem operis ad Deum super omnia dilectum peccat? Propter clara testimonia contraria supra, etiam ex 1, 2 et 2, 2, allata debemus hos textus, si fieri potest, aliter explicare. Possumus cum *Caietano* et *Del Prado* (De grat. et lib. arb. I 20 ss) interpretari: Homo lapsus non potest sine gratia *omnia omnino* opera connaturalia perficere; in *difficilioribus*, v. g. in amore Dei super omnia deficiet (a. 3). Sic *infirmus multos actus*, v. g. videre, audire, potest peragere *sicut sanus*, sed non potest tam perfecte *ambulare* vel *corporaliter operari* sicut sanus. — Actiones istas *ex se indifferentes* (aedificare, plantare) Aquinas propter usitatum testimonium Ps.-Augustini enumerat; eodem iure addere potuit actiones *intrinsecus honestas*: honorare parentes, suum cuique reddere ius etc., prout aliis occasionibus revera facit. Enumeratae vero actiones etiam sunt *ordinabiles* ad principale bonum, ergo sunt bonum *verum*. Sin velit dicere omnem actum naturae corruptae esse aliquo modo

¹ Ex hoc principio S. Thomae cum *Dr. Ernst* solvemus in scholio 1 obiectiones ex doctrina S. Augustini.

defectuosum vel etiam *peccaminosum ex carentia ordinationis* in Deum super omnia dilectum, intellegere videtur hoc malum morale sensu theologi, « qui *bonum* in actibus humanis *non* considerat *absolute*, quia ibi non ponit finem, sed in ordine ad illud bonum, in quo ponit finem, asserens illum actum tantummodo esse *bonum complete*, qui de proximo *ad bonum finale ordinatur*, i. e. qui est *meritorius vitae aeternae* » (*De ver. q. 14 a. 3*). Ex defectu autem huius ordinationis secundum textus supra (n. 103) allatos actus non fit verum peccatum nec demeritorius. Vel etiam explices: Talis defectus ita opponitur hono debito, ut non pertineat ad peccatum actuale, sed ad *originale* (cf. n. 104 in fine).

106. V. Ratio. (cf. P 133 s). Adversarii falso supponunt hominem, *nisi* formaliter vel saltem virtualiter *ex caritate Dei* proprie dicta agat, *semper* duci *mala cupiditate* mundana. Sunt enim auctore ipso Augustino « *affectus medii* » (Dz 1524) estque *dilectio naturalis*, ad quam etiam homo lapsus per sua principia naturalia pervenire potest, cum *bonum naturae non sit totaliter corruptum* (Thom.) et natura humana in sua rationalitate *extrema lineamenta imaginis Dei* retinuerit (August.). *Sicut virtuosus* non semper et necessario ex motivo virtutis agit, v. g. quando venialiter peccat, *sic neque peccator neque infidelis* semper et necessario ex motivo peccaminoso vel ex infidelitate agunt (Thom. 2, 2 q. 10 a. 4)¹.

Scholium I. Doctrina S. Augustini apparenter opposita.

107. *Joh. Ernst*, Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin (1871). — Ber. 326 ss. — P 123 137 144 ss. — *J. de Blic.*, Sur le canon 22 du concile d'Orange, Gregorianum 7 (1926) 396—401.

Saepissime S. Augustinus affirmat omnia opera infidelium esse peccata. *Contra Iulianum* 4, 3 hanc sententiam tamquam dogma fidei catholicae ex professo propugnat. Cf. *Araus.* can. 22 (Dz 195). Multae propositiones damnatae *Baii* et *Iansenistarum* fere ad verbum reperiuntur in scriptis S. Augustini. — Textus S. Scripturae, quibus ipse uti solet, facile explicantur: Rom 14, 23: « Omne autem, quod non est ex fide », i. e. *ex certo dictamine conscientiae*, « peccatum est. » Hebr 11, 6: « Sine fide autem impossibile est placere Deo », *salutariter* scil. vel *supernaturaliter*. Sed nunc quaeritur, quomodo S. Augustinus explicandus sit.

¹ An defectus ordinationis in finem supernaturalem actum necessario reddat demeritorium, v. th. 4 arg. rat. (n. 129 s).

108. Variæ explicationes falsæ vel insufficientes:

1. *Protestantes, Baiari, Iansenistæ, Augustinenses* Doctorem gratiæ secundum suum systema interpretantur de peccato proprie dicto, personali, quod novam poenam meretur. — Obstant textus in thesi allati (n. 100 s).

2. *Multi theologi (Suarez, Bellarminus, Habert, Perrone, Kleutgen, alii; v. Ernst p. 78 ss)* explicant: Loquitur de communiter et fere semper contingentibus. Praesertim si finis consideratur, «*vix inveniuntur*» opera non mala. — At *contra Iulianum* omnino omnis possibilitas actus non peccaminosi negatur.

3. *S. Thomas* 2, 2 q. 23 a. 7 ad 1: «Actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, ... quidquid ... faciat, ordinans ad finem suae infidelitatis.» *Tournely*: v. g. dare eleemosynas ad honorandum Iovem. — Sed si Augustinus *sine fide* intellegebat *contra fidem*, cur hoc nunquam dixit? Hoc sensu *Iulianus* libenter istud effatum concessisset.

4. *Thomas* 2, 2 q. 10 a. 4 ad 1 interpretationi modo allatae aliam praemittit: «cum peccata sine fide non tollantur», i. e. omnia opera relinquunt infidelem in statu peccati nec quidquam positive conferunt ad iustificationem. Ad mentem *Tournely* (De gratia Christi q. 4, a. 2 [Coloniae 1734] II 385) addi potest: Opera honesta infidelis Deo displicent non quoad actum, sed quoad statum agentis, sive praedicatum peccaminosi et Deo displicentis transfertur a persona agente ad omnia eius opera (Ernst p. 95). — Sed hoc sine iure infertur et textibus minime satisfacit.

5. *Ripalda*: Actus mere naturaliter honestus nunquam fit, quia Deus decrevit cum omni actu bono supernaturaliter concurrere, i. e. ad omnem actum honestum gratiam fidei saltem late dictae concedere (v. th. 4). — Distinctio quidem *fidei stricte et late dictae*, sicut correspondens distinctio *caritatis*, conformis est ideis neoplatonicis S. Augustini, qui in omni vero et bono facile videt summum verum et bonum¹. Ad hanc proprietatem S. Augustini et simul cum 6^a explicatione ad *rhetoricam* indolem sermonis attendentes, multa dura verba de caritate et cupiditate atque fortasse etiam de fide et infidelitate in bonum sensum interpretari possumus.

¹ V. P 34 s; *Mausbach*, Ethik des h. Aug. I p. 174—184; *infra* n. 130 et 510.

At Augustinus infidelibus in casu, de quo agitur, *omnem denegat gratiam salutarem Christi*, quam a naturalibus donis Dei ad ordinem moralem pertinentibus bene distinguit (cf. exemplum *Polemonis*, supra n. 101). Disputat autem cum Iuliano de operibus apparenter bonis, quae *reapse* a Fabricio, Scipione etc. *facta* sunt, et contendit haec opera non fuisse vere actus virtutum, sed peccata.

6. *Moraines, Alzog, alii* (v. *Ernst* p. 119): Rhetorice et polemicè loquens exaggerat. Exaggerationes *Iuliani*, vitam valde honestam multorum infidelium asserentis, opposita exaggeratione reicit, ut ad iustum medium perveniatur. Dicto modo eum procedere ad extirpandam haeresim, quae parvulos limbi nulla poena puniri docebat, *S. Bonaventura* opinatur (cf. n. 100). — Stilus polemicus et rhetoricus sane *multa*, sed *non omnia* explicat. Augustinus suam doctrinam constanter tamquam *dogma catholicum* proponit et Pelagianos ob negationem eiusdem declarat haereticos. *Ecclesia* istorum temporum modum loquendi a S. Augustino transumpsit et sanxit (*Araus. can.* 22).

7. *Dom. Soto* (De nat. et grat. l. 1 c. 20); *Bellarminus* (De grat. et lib. arb. l. 5 c. 11 argumenti 8 posterior solutio): Peccatum late sumptum, sensu improprio et translato: actus defectivus, quatenus non attingit finem supernaturalem. — *Recte* vident peccatum sumendum esse *sensu minus stricto* et nobis minus usitato. Sed notio huius peccati *non potest* eousque *attenuari*, ut evadat virtus minus valida; nam Augustinus eam adeo *urget* et Iuliani distinctionem operum *fructuose* et *steriliter* bonorum reicit: «Nullo modo homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus alii magis mali» (*C. Iul.* 4, 3, 32).

8. *Passaglia, Hurter* (v. *Ernst* p. 197 ss): Peccatum mere materiale. — Sed secundum Augustinum hoc genus peccati infidelibus iure *imputatur*.

109. Sententia Dr. Ioannis Ernst¹: Opera infidelium, etiam naturaliter honestissima, vocantur *actus* mali et peccata eo sensu, quo peccatum originale est *status* malus et peccaminosus. Hoc secundum dogma definitum (*Trid.* s. 5 can. 2 ss

¹ Ad eandem etiam *Beraza* (n. 327 s) pervenisse videtur; quadamtenus praeludunt *S. Thomas* (v. n. 104) et *Andr. Vega*, Tridentini Decreti de Iustificatione Expositio l. 14 c. 19 prop. 1.

[Dz 789 ss]) vere est peccatum (habituale). *Nihilominus* homini in peccato originali nato ex sententia plurimorum theologorum *nihil deest* eorum, quae natura humana exigit. Ergo sub hoc respectu nascitur in statu omnino *bono* et Deo placente. Tamen idem status sub alio respectu est *malus* et peccaminosus; nam continet *privationem rectitudinis supernaturalis*, quam Deus homini in Adamo contulerat, quam, contra Dei voluntatem culpa generis humani in suo capite repraesentati amissam, Deus a singulis postulare pergit. Hic status privationis Deo displicens singulis sensu *analogo* est voluntarius et proinde est *verum peccatum*, non materiale tantum, sed formale, licet nonnisi *analogum* ad peccatum personale. Eandem considerationem, utique nondum notionibus tam claris conceptam neque terminis tam distinctis expressam, *Augustinus* et sequentes Patres iure transtulerunt ad *actus* quoque, qui *ex culpa originali* singulis imputabili *privantur* bonitate supernaturali, quam ex divina ordinatione debent habere. Adam enim sibi et posteris voluntarie ademit possibilitatem salutariter agendi. Actus igitur infidelium, licet naturaliter optimi et naturae purae omnino consentanei sint, tamen quatenus contra Dei voluntatem non sunt supernaturaliter boni et salutare, hoc defectu, qui in nostro ordine est veri nominis *privatio*, vitiantur sive malitia peccati originalis inficiuntur (simili modo *motus concupiscentiae* praecedentes consensum in non renatis possunt vocari peccatum; cf. n. 104). Opera infidelium secundum hanc considerationem sunt peccata, non improprie et metaphorice tantum tamquam imperfecta et minus bona (revera enim adversantur legi Dei), neque materialiter tantum (quia hic defectus homini aequae voluntarius et imputabilis est atque peccatum originale), sed ex altera parte neque tamquam formalia peccata personalia, quasi homo iis committendis fieret novae culpae et novae poenae praeter culpam et poenam peccati originalis reus (error *Pseud-augustinismi* Protestantium etc.). Sunt igitur peccata formalia sensu vero, sed analogo ad peccatum personale. Nullam aliam malitiam neque ullum alium reatum habent quam peccati originalis. Augustinus non dicit istis operibus *augeri* damnationem infidelium. Potius ob ea *mitior poena* speranda est (*De spir. et litt.* 28, 48 [cf. n. 100]). Quatenus haec opera *secundum apparentiam* sunt omnino recta et naturae humanae consentanea, reapse autem nullum valorem ad verum hominis finem habent, apte vocantur «mendacium» (*Araus. can.* 22), «vitia virtutes imitantia» (*Iulianus Pomerius, De*

vita contemplativa l. 3 c. 1 [ML 59, 474]) et possent vocari «splendida vitia»¹. Eiusmodi «peccata» Deo exosa sunt, sicut odio habet animam peccato originali foedatam. Hoc odium non impedit, quominus ea opera tamquam actus legi naturali consentaneos agnoscat, *laude et temporali praemio dignos* (quod praemium Augustinus iis saepius adscribit).

110. Augustinus igitur cum discipulis *statum a Deo revera institutum* considerabat et opera infidelium cum natura humana concrete in hoc ordine posita comparabat. Ita haec opera valore salutari privata, sicut totum hominem gratia destitutum, videbat *malitia morali* sive peccaminositate *infecta*. Scholastici vero in actus morales scientificè inquirebant secundum libros ethicos *Aristotelis*, in quibus tractantur ut actus *virtutum*. Sciebant hunc modum tractandi rectum esse, dummodo ne oblivioni daretur naturam rationalem a Philosopho tamquam normam morum statutam esse naturam in se spectatam, *abstractione facta a statu supernaturalis elevationis*, ad quem in concreta rerum veritate destinatur et obligatur. Itaque statui quidem, in quo anima nunc nascitur, omnino servaverunt nomen *peccati*, documentis Scripturae et Ecclesiae sanctum, sed actus morales huic statui peccaminoso conformes, postquam abstractus ille modus considerandi invaluit, vocabant *moraliter bonos* sive honestos. Sic antiquus mos denominandi eos actus peccata et vitia in *desuetudinem* abiit, et si hodie adhibetur, verba fere necessario falso intelleguntur

¹ Hoc verbum S. Augustino saepissime attribuitur, sed in eius operibus *non invenitur*; cf. Denifle, *Luther u. Luthertum*, 2. Aufl., I, 859 s. Similia autem omnino habet, v. g. *C. 2 epist. Pel.* 3, 7, 20: Iudaei suam volentes constituere iustitiam «remanent aut aperte iniqui aut *fallaciter iusti*»; *ibid.* 3, 5, 14: «sine ipsa vero (fide) etiam, quae videntur bona opera, in peccata vertuntur». S. Prosper sententiam sui magistri sic reddit: «Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, *falsa virtus est etiam in optimis moribus*» (*Sent. ex Aug. delib.* 106 [ML 45, 1868]). Idem *C. Collat.* 13, 39 (*ibid.* 1818): Multi impii sunt «iustitiae, temperantiae, continentiae et benevolentiae sectatores»; sed in his studiis «non Deo, sed *diabolo serviunt*». «Et ita manifestissime patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum *immunda* esse atque *polluta*.» Collator igitur veri similitudine decipitur et in *specie falsarum errat virtutum*. — 13, 41 (*ibid.* 1819): «Multa laudabilia reperiuntur etiam in ingeniis impiorum; quae ... virtutes esse non possunt ... Ac sic *vitium est, quod putatur esse virtus*.» Quare indignatio Patris Denifle adversus eos, qui S. Augustino istud verbum falso attribuunt, iustum modum excedere videtur.

et omnino *male sonant*. Pseudaugustinenses cum, terminologia scholastica imbuti, libros Augustini volverent, « peccatum » intellexerunt actuale peccatum formale et personale. Hoc modo ipsi inciderunt in *haereses et errores*, quos falso antiquis tribuerunt. Scholastici autem *solis verbis et modo considerandi* rem, non ipsa re a Patribus discrepant. Quo arctius uterque modus considerandi coniungitur, eo magis tota veritas elucidatur et eo clarius supernaturalitas status concreti nostrae naturae in plena luce apparet.

Scholium 2. De auctoritate « Doctoris gratiae ».

111. *Ant. Koch*, Der hl. Faustus, 5. Kap., p. 129—191. — *Mazz. n 39—45*. — *Tr. Salgueiro*, La doctrine de S. Augustin sur la grâce d'après le Traité à Simplicien (Porto 1925) 183—202.

Augustinus ipse minime sibi adscripsit irrefragabilem auctoritatem¹. Vivus iam habebatur *propugnator catholicae veritatis* adversus Pelagianos. Erat dux et inspirator *conciliorum africanorum*. Magna eius auctoritas agnoscebatur ab *Orientalibus* in synodo hierosolymitana a. 415 (*Oros. Liber apolog. 4* [ML 31, 1176 s]), ab *imperatoribus* (*Epist. 201*), a *S. Hieronymo* (*Epist. 202*), a *Bonifacio I*, qui refutationem 2 epistularum pelagianarum ab eo petivit. Prosper, *C. Collat. 1, 2* (ML 45, 1802): « Viginti amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiae Dei catholica acies huius viri ductu pugnat et vincit. » *Galli* putabant se posse tuto in quibusdam doctrinis Augustinum non sequi, ceterum se eum in factis et dictis omnibus admirari aiebant (*Epist. August. 226, 9*).

112. Augustinum defunctum *Caelestinus I* apud Galliarum episcopos laudat, in singula doctrinae capita non intrans (Dz 128). — Indiculus eius doctrinam de absoluta necessitate et gratuitate gratiae, initio fidei incluso, declarat doctrinam Sedis Apostolicae, sed: « *profundiores difficiliioresque partes* incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita *non necesse habemus adstruere*, quia ad confitendum gratiam

¹ *De vera relig. 10, 20* (ML 34, 131). — *Epist. 148, 4, 15* (ML 33, 628 ss). — *De dono persever. 21, 55* (ML 45, 1027 s; cf. Dz 128 not. 2). — In *Retract.* multa prius scripta correxit. — v. *Koch* p. 134 ss et *K. Kolb*, Menschl. Freiheit u. göttl. Vorherwissen nach Aug. p. 29—31, Anm. 1.

Dei... satis sufficere credimus» ea, quae Indiculus continet (Dz 142). — Etiam *Leo I* difficiliore quæstiones de prædestinatione etc. silet (*Epist.* 1 et 2 [ML 54, 593 ss]). — *Gelasius I* Augustinum et Hieronymum laudat (ML 59, 30 ss; *Thiel*, *Epist. Rom. Pont.* p. 571 ss). — Hormisdas Possessori præter libros Augustini ad Prosperum et Hilarium commendat «capitula in scriniis ecclesiasticis expressa», ut cognoscat catholicam doctrinam de gratia et libero arbitrio (v. n. 60 [Dz 3027]), sed hac commendatione nequaquam omnes sententias Augustini sollemniter approbavit. — *Araus. II* e quæstionibus Augustinum inter et Gallos controversis solam de initio fidei dirimit. — *Bonifacius II*, Araus. approbans, ad multos Patres et præ ceteris ad Augustinum provocat, sed et ad Apostolicæ Sedis antistites, qui fidem quoque nobis venire de gratia docuerint (Dz ed. 16 n. 3039 init.; ML 45, 1790 s). — Saeculo IX præter *Godescalcum* nemo Augustino absolutam auctoritatem tribuit.

113. Inter primos Scholasticos quoad multas quæstiones theologicas et philosophicas praevalebat «Augustinismus». Cum intraret Aristotelismus, theologi, ne aperte reciperentur «auctoritates» Patrum, potius «*pias interpretationes*» quaerebant; cf. quoad Augustinum *S. Bonaventuram* (n. 108, 6 et 100) et *S. Thomam* (*De malo* q. 5 a. 2 ad 1). Principia indicat Thomas, *S. th.* 1 q. 1 a. 8 ad 2: Theologia utitur auctoritatibus *doctorum Ecclesiae* quasi arguendo ex propriis, sed *probabiliter*; citat notum textum *Augustini* ex *Epist.* 82 ad Hieronymum, 1, 3 (R 1421).

114. Wicleff: «A modernis dissentio; sed cum multis Sanctis antiquis et specialiter Augustino convenio» (apud *Mazz.* n. 43 not. 1). — Luther videbat auctoritatem Patrum, Conciliorum etc. ab Erasmo adductorum super caput suum velut diluvium inundaturam; sed «Augustinus, quem præteris, meus totus est» (*Opera* t. 18 [Weimar 1908] 640, 2—9; 641, 11 s). Generatim alios Patres contemnit, quippe qui doctrinam *S. Pauli* non recte intellexerint; fatetur Augustinum sibi contra «Pelagianos» saepe utilem fuisse, licet etiam hic Pater frequenter erraverit (v. *Koch* p. 176 s). — Calvinus (*De aeterna Dei prædestinatione* [CR 86; *Calvini Opera* 8] 266): «Porro Augustinus ipse adeo totus noster est, ut si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre abunde mihi sufficiat.» — Hodierni Protestantes vix non omnes concedunt Reformatores longissime ab Augustino recessisse. —

Tridentinum *multas formulas* S. Augustini in decretum de iustificatione assumpsit, sed *totum eius systema minime definitivum*. Protestantes potius dicere solent Ecclesiam catholicam in hoc concilio definitive ab Augustinismo in castra semipelagiana transiisse.

Baio, Iansenio et asseclis eorum Augustinus plus valet quam omnes Patres et bullae Pontificum. Est Iansenio «instar omnium»; «loco omnium», «supra omnes» (*Liber prooemialis*, in quo... auctoritas S. Augustini... declaratur). — Iansenistae voluerunt Tridentinum secundum doctrinam Augustini exponere; doctrinam in eo clare fundatam dicebant posse absolute teneri et doceri, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam (Dz 1320). «Malo errare cum Augustino quam bene sentire cum Papa» (cf. *Linsenmann*, Baius p. 86 ss).

115. *Mediam viam* tenebant Theologi catholici: *Vazquez*: «Unus pro multis semper mihi erit Augustinus»; in doctrina gratiae «sicut sol inter reliquos praefulget» (*Koch* 181). — *Suarez* (Proleg. 6 c. 6 n. 14 ss): «Sententia Augustini praefenda est, nisi cum maior Patrum aut Ecclesiae auctoritas obstare videtur, quod raro aut numquam continget.» Hoc non extendit ad quaestiones *praedestinationis*. Non tota Augustini sententia de gratia est de fide, sed illa, quam Ecclesia probavit ac definitivum (*Mazz.* n. 45). — *Petavius* (De praedest. l. 10 c. 1): Cuilibet catholico Augustini de praedestinatione sententiam sequi licet; sed non omnes sententiae aliorum declaratae sunt falsae. — *Habert*: Etiam alii Patres in doctrina gratiae auctoritatem habent (*Koch* 180). — *St. Dechamps*: Ecclesia ex Augustini sententiis non approbavit nisi eas, quas *Araus*. docet; eius auctoritas debet cedere auctoritati Ecclesiae vel plurimorum Patrum (*Koch* 180 s). — Ardore polemicae antiiansenianae abreptus unus alterve (v. g. *Annatus*) Augustinum minoris quam par est, aestimavit. Econtra *Augustinenses* auctoritatem S. Augustini exaggerabant; sic *Noris* in «Vindiciis Augustinianis»: «Augustini doctrina Ecclesiae doctrina» (*Koch* 184 s).

Clemens VIII statuit, ut doctrina Augustini esset norma, secundum quam in *Congregationibus de Auxiliis* diiudicaretur Thomismus et Molinismus; sed Paulus V liti finem imposuit inculcando doctrinam Tridentini et imitando exemplum Caestini I (i. e. Indiculi), qui profundiores quaestiones dirimere noluit. — *Alexander VII* theologos lovanienses monuit, ut tutam doctrinam SS. Augustini et Thomae profiterentur. —

Innocentius XII iterum principium Indiculi proclamavit. — *Benedictus XIV* systema Augustinensium defendit (*Koch* 185 ss; cf. n. 575 s).

116. Summa rei: Augustinus ab Ecclesia agnoscitur specialis doctor gratiae. *Nonnulla capita* doctrinae eius expriment authenticam doctrinam Ecclesiae (*Carth.*, *Indic.*, *Araus.*, *Trid.*). Multi pontifices eum valde commendaverunt. Sed semper agnitum est principium Indiculi neque unquam Augustini sententiae de *difficilioribus et profundioribus* quaestionibus definitae vel praescriptae sunt. Potest igitur catholicus theologus mentem Augustini *libere investigare neque inventam in omnibus sequi* tenetur; immo fieri potest, ut S. Doctor in una alterave quaestione *adversari* inveniatur iis, quae *Ecclesia* postea contra haereticos sanxit vel quae *communis sententia* Patrum vel Theologorum docet. In tali casu catholicus debet «respicere ad bullam Pontificis» et ad communem sententiam, etsi sententia Augustini relinquenda sit.

Thesis 4. Homo lapsus sine gratia simpliciter supernaturali et sine omni auxilio indebito potest facere et quandoque facit aliquos actus naturaliter honestos.

P pr. 10. — Palm. th. 20 et Parergon p. 254—268. — Lah. th. 16. — Schiff. n. 100—107. — Ber. n. 329—349. — Suar. l. 1 c. 8—22, praes. 13.

117. St. qu. 1. Nexum v. n. 88.

2. Sensus. a) Homo in statu naturae lapsae, neque iustus neque fidelis (sicut in th. 3), nunc consideratur 1. insuper sine omni auxilio actuali eius gratiae, quae postea (th. 10) probabitur esse entitative et simpliciter supernaturalis sive intrinsecus proportionata ad finem visionis beatificae; 2. dein etiam sine omni auxilio *entitative naturali*, sive interno sive externo, quod peccatoribus saltem personaliter lapsis est indebitum (v. n. 157) et bonis naturaliter debitis *propter merita Christi additur*. Relinquitur igitur solis *viribus rationis et liberi arbitrii cum concursu generali et providentia* naturaliter debita.

b) potest facere: quaestio *potestatis* sive iuris, scilicet an habeat *vires* sufficientes, licet fortasse nunquam occurrat

casus, in quo solas vires naturales ad actum bonum eliciendum exserat; — et quandoque facit: quaestio *facti*, an revera fiant tales actus.

c) actus naturaliter honestos ex obiecto et fine, non vituperio, sed laude dignos, nec malos nec moraliter indifferentes, neque ex altera parte salutares.

d) aliquos, i. e. non affirmamus posse fieri omnes, neque *collective* omnes, qui ad legem naturalem diu servandam requiruntur, neque *distributive* omnes singulos, quia nihil interim dicimus de actibus *difficilioribus* sive ex *sublimitate* actus (v. g. *amoris Dei* super omnia) sive ex urgente *tentatione* (v. scholium n. 133 et thesim 5).

118. 3. Adversarii praeter Protestantes, Baianos, Iansenistas etiam nonnulli *catholici*. Aliqui ad omnia opera bona exigunt *specialem motionem* Dei praeter concursum generalem, quam explicant sive ut *qualitatem* voluntati impressam eamque ad actum bonum *determinantem*, sive ut cogitationem vel inspirationem *in sua entitate maiorem seu meliorem*, quam sine auxilio gratiae haberi posset¹. Nos in thesi maxime attendimus ad *Augustinenses, Vazquez, Ripalda*.

119. a) Augustinenses negant hominem sine speciali auxilio gratiae Salvatoris posse opus *ex obiecto* («*ex officio*»; cf. n. 81) bonum ita perficere, ut evadat simul *ex fine et omnibus circumstantiis* bonum. Ut opus, aiunt, ex parte finis sit bonum, debet in summum bonum referri. *Explicite* non refertur sine auxilio gratiae. *Speculative* liceat dicere haberi *implicitam* relationem ad summum bonum, si opus fiat *propter ingentiam rationem honestatis*, quia haec tandem est ipse Deus ut universalis regula veritatis. Sed *practice* homo lapsus convertendo se ad illam intimam legem nunquam aget absque *cupiditate et philantia*, quia magis delectatur se ipso quam summo bono, nisi sancta delectatio ei inspiretur. Ita Berti, qui, ne «cum omnibus fere theologis» pugnare debeat, rigorosam Augustinensium sententiam quam maxime mitigare intendit (*De theol. discipl.* t. 3 l. 18 c. 3). Similiter Noris docet: Etiam virtus propter se ipsam intenta *inflat*, quae superbia solius

¹ V. Suarez l. 1 c. 9 et 10; pro priore modo explicandi per qualitatem determinantem allegat inter alios *Greg. Arimin., Capreolum, Did. Deza Hispalensem*. Recentiores Thomistae nostram thesim simpliciter defendunt; v. g. *Ed. Hugon*, Tract. dogm. II p. 244 s: «conclusio hodie communissima et certa».

divinae gratiae antidoto expellitur. Si homo opus bonum a se factum *considerat*, infallibiliter in se ipso gloriabitur. Sin opere facto statim mens eius *alio avocetur*, *per accidens* illa philautia deesse potest, sed hoc non continget sine specialibus gratiae auxiliis (*Vind. august. c. 3 § 4*).

120. b) Gabr. **Vazquez** S. J. († 1604) doctrinam et *S. Augustini* et *S. Thomae* hoc modo recte explicari putat: *Voluntatem* bene operaturam praecedere necesse est cogitationem de bono faciendo, eamque non quamlibet, sed congruam, qua bonum ita suadeatur, ut et persuadeatur. Omnis vero cogitatio congrua, licet entitative sit naturalis, *speciali Dei subest providentiae*, et est auxilium creaturae rationali in omni statu et a fortiori homini lapso *non debitum* titulo creationis et conservationis; hinc a Deo, qui eius congruitatem sive efficaciam praevidet, *speciali benevolentia* et in statu naturae lapsae *ob merita Christi* praedestinatur et confertur. Hoc auxilio *quoad modum supernaturali* possunt etiam fieri *actus salutares*, qui saltem *remote* ad iustificationem disponunt. Ex dictis sequitur nullum opus moralis virtutis ab homine lapso fieri posse sine aliquo auxilio gratiae Dei per Christum (*In 1, 2 disp. 189 et 190*)¹.

121. c) Ioannes Martinez de **Ripalda** S. J. († 1648) alium modum explicandi dicta veterum excogitavit: *Ex natura* quidem *rei* ad opus morale nulla gratia simpliciter dicta sive theologica requiritur; tamen *ex positiva Dei lege* et supernaturali providentia nullum opus virtutis acquisitae sine tali gratia fieri potest. Nam Deus statuit, ut omnis conatus in virtutis officium cum auxilio intrinsecus supernaturali coniungatur, ut scil. vel *ex imperio* alicuius actus supernaturalis saltem extrinsecus reddatur supernaturalis et salutaris vel *comitem* habeat actum supernaturalem circa idem obiectum formale (*De ente supernat. l. 1 disp. 20; l. 5 disp. 114 sect. 13 n. 110 ss*). Omisso isto duplici modo explicandi *substantia* huius theoriae est in eo, ut ex historica necessitate numquam fieri possit actus honestus, quin auxilio gratiae stricte supernaturalis habeatur actus salutaris.

4 Qualificatio. Moraliter certa.

¹ Haec sententia nonnullis modernis theologis, praesertim *Schiffini* et *Portalié* (*DdTh 1, 2386 s*) quadamtenus placere videtur.

122. Prob. I. Ecclesia. Doctrina Ecclesiae, quae ex damnatione Baii et Iansenistarum eruitur, *nostrae* sententiae valde favet et cum sententia rigidiorum *Augustinensium* aegre conciliatur. a) *Plena incapacitas* voluntatis hominis lapsi *ad omne bonum* reicitur prop. 27 Baii (Dz 1027): «Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet», atque prop. 2 et 39 Quesnelli (Dz 1352 1389). Sententia, quae libero arbitrio *maiores vires* adscribit, a notis iniuriosis vindicatur prop. Baii 37 28—30 (Dz 1037 1028—30). — b) Porro Ecclesia doctrinam baianam et iansenianam *de duplici amore* caritatis et cupiditatis ita reiecit, ut inde sequi videatur vera potentia physica et antecedens alicuius *amoris naturaliter honesti*, qui ex solo libero arbitrio sine omni gratia Christi procedat. Baii prop. 38 (Dz 1038): «Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas... aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.» Baius caritatem voluit intellegi omnem amorem Dei supernaturalem, *etiam imperfectum*. Ergo Ecclesia exigit, ut agnoscatur aliquis amor honestus, qui per nullam supernaturalem dilectionem in Deum finem ultimum referatur; quo amore homo ex mente Ecclesiae sane non peccat. Prop. 34 et 36 (Dz 1034 1036): Doctrina, quae *amorem naturalem*, i. e. ex viribus naturae exorientem in Deum auctorem naturae statuit, contra calumnias defenditur. — Doctores lovanienses in compendio doctrinae, quod a. 1586 hortantibus nuntio apostolico et archiepiscopo mechliniensi contra errores baianos fecerunt, expresse *amorem medium* agnoscebant (DdTh 2, 90 s). — Prop. ab Alex. VIII damn. 7 (Dz 1297): «Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi» et consequenter aut caritas Patris aut mala concupiscentia carnis. — Quesn. prop. 44 (Dz 1394): «Non sunt nisi *duo amores*, amor Dei, qui omnia agit propter Deum, et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert et propter hoc ipsum fit malus.» — Pistor. prop. 24 (Dz 1524): Negare *affectus medios* a natura ipsa insitos suapte natura laudabiles vel *dilectionem humanam licitam*, quae non reprehenditur, est sententia falsa, alias damnata. — Hisce omnibus non videatur satis conformis doctrina Augustinensium, ne mitigata quidem illa, quae docet sine auxilio gratiae *practice saltem* omne opus bonum vitio philautiae statim exurgentis pessumdari.

123. II. Scriptura generatim non distinguit, utrum actus honesti, quos laudat, cum auxilio gratiae positi sint necne. Rom 2, 14 voce *φύσει* excluditur lex revelata, sed non necessario auxilium gratiae. Probabile argumentum sumi potest ex Phil 3, 6: S. Paulus ante suam conversionem erat «secundum iustitiam, quae in lege est, conversatus sine querela» (*κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἀμεμπτος*). Sibi attribuit actiones honestas absque gratia Christi factas et consequenter (v. 7) non vera lucra, sed potius arbitranda «propter Christum detrimenta». — Vazquez et Ripalda, qui tot auxilia gratiae Christi in omnibus infidelibus admittunt, *minus consentanea* Scripturae docere videntur, quippe quae initium gratiae Christi in vocatione ad veram fidem constituere solet.

124. III. Patres. Complura testimonia S. Augustini in th. 3 (n. 99—101) allata etiam hanc thesim probant. De spir. et litt. 27, 48: *Ratio*, cur quaedam recte facta in infidelibus concedi possint, non est, quod hi quoque aliquem influxum Salvatoris experiantur, sed quod *imaginis Dei in creatione collatae* «velut lineamenta extrema remanserint»; «nam remanserat utique id, quod anima hominis nisi *rationalis* esse non potest». Etiam Iudaeis «*vis illa naturae* inerat... qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit». — Serm. 349 caritas humana licita non ex gratia Christi, sed *ex naturali affectu derivatur* et cum amore bestiarum erga pullos comparatur. — Epist. 144 continentia *Polemonis* tribuitur quidem operi divino, sed ab effectibus *gratiae salutaris Christi* omnino distinguitur, qua gratia *Cirtenses* verae Ecclesiae unitati redditi sunt. Eadem accurata distinctio observatur De pecc. mer. et rem. 1, 22, 31. Quare Vazquez, omnem cogitationem congruam etiam in infidelibus a meritis Christi derivando, Augustini mentem minime assequitur. Neque minus Ripalda ei adversatur. Nam Augustinus actus naturaliter honestos, v. g. in Polemone vel in antiquis Romanis, *reapse factos* et ab actibus salutaribus fidelium vel credere incipientium prorsus diversos supponit (v. n. 108, 5)¹.

125. IV. Theologi. Textus S. Thomae th. 3 (n. 103 ss) laudati etiam hic afferri possunt: De ver. q. 23 a. 7: Potest honeste agi ex dilectione naturali, ad quam aliquis per principia natu-

¹ *Harent* in DdTh 7, 1784 (art. «Infidèles»).

ralia pervenire potest. — 2, 2 q. 23 a. 7 ad 1: Actus potest esse bonus ex suo genere non solum per caritatem, sed etiam per fidem vel spem vel etiam *per naturale bonum*, quod non totum per peccatum tollitur. — 2, 2 q. 10 a. 4: Bona opera, ad quae sufficit *bonum naturae*, etiam infideles sic facere possunt, ut non in omni opere peccent; in his dirigitur intentio per *lumen rationis naturalis*. Etiam 1, 2 q. 109 a. 2 explicari potest et debet de *actibus vere honestis*, qui viribus naturalibus liberi arbitrii fieri possint.

126. Concedendum est quaedam dicta Aquinatis, maxime *De ver.* q. 24 a. 14 favere Vazquez (v. eiusdem disput. 190 c. 3 et *Schiff.* pag. 155 notam). Sed illa *specialis* motio, quam Thomas ad cogitandum et volendum *bonum* requirit, est specialis creaturae *rationali et liberae*, imprimis in comparatione ad motionem entium naturaliter agentium, i. e. per suam naturam *ad unum determinatum*. Quare etsi sit donum a creatione distinctum, nondum sequitur in eius collatione intercedere rationem *gratuitatis essentialiter maioris* quam habetur in donis naturalibus (cf. n. 5, 4) et praesertim in iis, quibus natura rationalis *prae irrationali* magnificentius dotatur. Deberet probari ex mente S. Thomae *Deum posse* creaturae rationali *omnem* cogitationem congruam sine iniuria *denegare*, et quaecumque homini lapsus det, dari *propter merita Christi*. Sed neutrum Vazquez probat; immo dicit (l. c. n. 16): « Fateor tamen . . . neque in tota hac quaestione (1, 2 q. 109) explicasse S. Thomam, quando auxilium illud, quod nobis confertur et quo a Deo movemur, sit per Christum. »

127. S. Bonaventura, *In 2 d.* 28 a. 2 q. 3 docet liberum arbitrium sola Dei cooperatione *generali*, absque gratia gratum faciente et gratis data, posse, licet difficulter, facere aliquod bonum morale, quod in finem ultimum (supernaturalem) est *ordinabile*, non autem ordinatum. — De aliis veteribus theologis v. *ibid.* in edit. *Ad Claras Aquas* facta tom. 2 *Scholium* pag. 687 s. — Recentiores theologo communissime et Augustinenses et Vazquez et Ripalda reiecerunt.

128. V. Ratio. A. Contra Augustinenses. Physice et moraliter possibiles sunt aliqui actus honesti: 1. ratione obiecti et finis proximi. Hoc Augustinenses concedunt et manifestum est. Si enim homo lapsus iam nullum actum suae naturae consentaneum sine auxilio *indebito* elicere valeret, per peccatum originale vere factus esset *monstrum*. At docente Trid. s. 6 c. 1 et can. 5 (Dz 793 815) liberum arbitrium est quidem attenuatum et inclinatum, *minime* vero *extinctum*. Insuper multi actus honesti sunt *faciles et iucundi*, immo faciliores

et iucundiores quam oppositi actus inhonesti (v. g. amare parentes et benefactores), et saepe nulla tentatio vel difficultas hominem sollicitat, ut inhoneste agat.

129. 2. etiam ratione finis ultimi. Verum quidem est unicum finem ultimum homini in hoc ordine praestitutum esse finem supernaturalem. Sed a) non potest probari Deum hominem sub culpa et poena *peccati personalis* stricte obligare, ut *singulos actus* deliberatos per fidem et caritatem positive referat ad hunc finem supernaturalem. A fortiori aliquis actus ceteroquin honestus ex eo solo, quod propter defectum gratiae supernaturalis homini *personaliter* non culpabilem non ordinatur ad finem supernaturalem, non evadit *personale* peccatum. Hoc potest etiam deduci ex damnatione prop. Baii 67 et 68 (Dz 1067s) et Iansenistarum 1 et 2 (Dz 1291s). Reicitur enim posse aliquid esse peccatum formale (personale) et demeritum, quod vel necessario fiat vel cum ea sola voluntarietate et libertate, quae propria est peccati *originalis*. — Peccatum igitur est, quod *normae moralitatis* adversatur. Perfectio autem supernaturalis actibus debita non est ex lege praescribente normam moralitatis, sed ex lege instituyente ordinem gratuitum supernaturalem (*Palm.* p. 107).

130. b) Sine auxilio Dei homo etiam lapsus potest actum ex *obiecto* honestum ita ordinare ad Deum, ut ex *fine* quoque *ultimo* sit honestus. Nam a) saepe physice et moraliter possibile est, ut actus ex solis viribus naturae explicite referatur ad Deum. Docente Vaticano s. 3 c. 2 (Dz 1785) homo potest Deum, rerum omnium principium et *finem*, naturali rationis lumine certo cognoscere. S. Augustinus dicit *Platonicos* Deum finem ultimum cognovisse (*De civ. Dei* 8, 8; 10, 1; 10, 29). Ergo homo potest etiam naturalibus viribus aliquem actum honestum in Deum qua finem ultimum cognitum explicite referre. Videtur enim absurdum hominem tam malum esse, ut cognito *summo bono* infallibiliter praeferat *bonum particulare*. — β) Sufficit ad honestatem actus illa quoque relatio ad Deum, quae non est explicita, sive eam vocas *implicitam* sive *virtualem* sive *interpretativam*, quae eo ipso habetur, quod opus honestum propter suam internam honestatem sive *ex amore huius honestatis appetitur*. Ipse enim ordo rerum essentialis a Deo institutus ex se refertur ad Deum ultimum finem. Ergo actus, qui *proximae* normae veritatis et moralitatis respondet, eo ipso etiam *ultimae* regulae, summo

scil. vero et bono, conformis est, dummodo ne in finem malum ordinetur (cf. P V 134 et III 657). Actus enim honestus, docente S. Thoma, 2, 2 q. 23 a. 7 (v. n. 103), versatur circa obiectum *vere* bonum et *ordinabile* ad principale bonum ultimi finis. Item S. Bonaventura (n. 127). Haec theologorum doctrina menti S. Augustini prorsus conformis est (v. n. 108, 5). Quare ipse Berti concedit per intrinsecam rationem honestatis haberi implicitam relationem ad summum bonum, quae theoretice sufficiat, ne actus sit malus (v. n. 119). Alex. VIII damnavit prop. 9 (Dz 1299): «*Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*» Ergo sine explicito respectu ad Deum eiusmodi actus odii ex ingenita honestate satis, ut vitetur peccatum, in finem ultimum refertur. — Quod vero Berti et Noris addunt, *practice* talem actum honestum sine auxilio gratiae semper corrumpi peccato *philautiae vel vanae gloriae*, gratis asseritur et, si tam generaliter dicitur, ingens videtur esse exaggeratio. Sunt enim etiam homines *naturali indole modesti* et humiles (cf. Augustinus *De pecc. mer. et rem.* 1, 22, 31).

131. B. Contra Vazquez. Recte admittit veram potentiam *antecedentem* naturae ad actus honestos. Item recte applicat *ideam principalem systematis molinistici* (v. th. 24) ad actus bonos entitative naturales. Omnis sane actus honestus debetur *speciali beneficio Dei*, qui omnes voluntatis creatae decisiones bonas et malas sub condicione variarum cogitationum possibilitium futuras praevidens, libere ordinem cogitationis congruae prae ordine cogitationis incongruae eligit et sic futurationem actuum bonorum primus determinat. Donatio actus honesti per cogitationem congruam est beneficium incomparabiliter *maius quam dona ordinis mere physici*. — Tamen deest *gratuitas donis gratiae supernaturalis propria*, et ratio indebiti, quae adest, potius aequiperanda est gratuitati beneficiorum ordinis *physici*, quae licet *in individuo* sint indebita, tamen *naturae specificae et secundum speciem doni* debentur (v. n. 5, 4). Nam non est gratia libere concessa, sed *debitum naturae etiam lapsae*, «quod non omnia individua generis humani sunt *adeo corrupta*, ut quodlibet inhonestum iis magis arrideat quam honesta etiam maxime obvia et iucunda» (P 126). Ergo spectat ad providentiam naturaliter debitam, ut *generi humano*, immo rectius etiam *singulis personis* (v. *Suarez* l. 1 c. 13 n. 9 ss) praeparentur nonnullae cogitationes con-

gruae. Quare falso dicitur omnis cogitatio congrua gratia *specialis ob Christi merita* concessa. Admitti utique potest propter Christum *plures* dari quam secus. Quatenus totus ordo naturalis nunc ultimatim inservit salutis supernaturali, oritur in omnibus donis Dei *aliqua supernaturalitas quoad finem*. Sed haec iterum bono *moralis* cogitationis congruae communis est cum omnibus bonis *physicis* huius ordinis. — Quod actus entitative naturales *positive disponant* ad iustificationem, refutabitur *infra* (th. 10, praesertim n. 302), sed non est contra *hanc* thesim.

132. C. Contra **Ripalda** (v. *Palm.* p. 254—268). Etiam haec sententia recte admittit potentiam *antecedentem* sive *virtutis* nec statuit impossibilitatem actus naturaliter honesti nisi *consequentem* ad decretum Dei dandi semper actum supernaturalem, sive statuit meram impossibilitatem *futuritionis*. — Licet Deus rem potuerit ita instituere, ut Ripalda asserit, tamen propter fontes positivos debemus negare eum de facto sic instituisse. Secundum S. Augustinum et totam Ecclesiam *adversus Semipelagianos* pugnantes initium *salutis* idem est ac initium *fidei*. Non norunt in infidelibus actus *vere salutares et ad Christi gratiam pertinentes*, qui non directe tendant ad *susceptionem fidei revelatae*. Actus honestos eorum, quibus Christus non est praedicatus, Patres saepe ab actibus salutaribus omnino discernunt (cf. n. 124). Tridentinum s. 6 c. 8 (Dz 801) et Vaticanum s. 3 c. 3 (Dz 1789) vocant fidem humanae *salutis initium, radicem* omnis iustificationis, ad quam impii disponuntur, « dum excitati divina gratia et adiuti, *fidem ex auditu* concipientes, libere moventur in Deum » (Tridentinum s. 6 c. 6 [Dz 798])¹. — Secundum Ripalda vero fierent *plurimi* actus simpliciter supernaturales et salutares, qui non nisi *remotissime* referrentur ad fidem stricte dictam. Posset insuper Deus, sine revelatione supernaturali ex creaturis cognitus, supernaturali actu amoris super omnia diligi, et hoc modo homo *sine fide stricte dicta* posset caritatis actu *iustificari*. Hanc *consequentiam* suae doctrinae Ripalda « discutienda rei causa » de facto proponit (v. P VIII 438); sed omnes moraliter theologi istam opinionem omnino reiciunt².

¹ His non obstat, quod *contra Iansenistas* inculcatur infideles quoque accipere *aliquem a Iesu Christo influxum* (Dz 1295) atque negatur perfectum actum vel habitum infusum fidei esse *primam gratiam* (Dz 1376—79).

² Rationes quasdam nonnullorum recentium theologorum pro sententia Ripaldae earumque refutationem v. apud *Harent* (DdTh 7, 1789—1791).

133. Scholium. De amore Dei super omnia.

P 128. — Palm. p. 96 s. — Ber. 302 ss.

S. Thomam, qui possibilitatem amandi Deum super omnia ex solis viribus naturae corruptae *negat* (1, 2 q. 109 a. 3), multi theologi secuti sunt, et Molina a Thomistis acriter impugnatus est, quod aliter docuerit (*Conc.* q. 14 a. 13 disp. 14 membr. 3). Distinguendum est: Potentiam *physicam* natura humana peccato non amisit. Thesi 5 probabimus eam non habere amplius potentiam *moralem* Deum super omnia diligendi amore *effectivo* pro tempore diuturno. Sed cum amore *affectivus*, sive concupiscentiae sive etiam benevolentiae, tantam difficultatem non habeat, non videtur, cur moralis possibilitas huius actus libero arbitrio hominis lapsi denegetur. *Auctoritas sat magna* theologorum stat pro sententia *affirmativa*.

§ 2 QUID NATURA LAPSA NON POSSIT

Thesis 5. Homo lapsus sine auxilio Dei speciali non habet potentiam moralem diu servandi totam legem naturalem quoad substantiam sive omnes tentationes graves honeste superandi.

134. P pr. 12 s. — Ber. n. 273—301. — Billot th. 2. — Schiff. n. 94—99. — Mazz. n. 369—403. — Lah. th. 22—24.

St. qu. 1. Nexus. Homo lapsus sine auxilio gratiae boni salutaris *nihil* (th. 1 2), boni honesti *aliquid* (th. 3 4), sed *non omne*, quod praecipitur (th. 5), agere potest.

135. 2. **Sensus.** a) Homo adultus *normalis condicionis*, i. e. habens rationem tam evolutam, ut non sola generalissima principia legis naturalis cognoscat (*Ber.* 275; *Billot* p. 68 not.) neque sit indole, morbo, senio nimis hebes (P 163); — lapsus, i. e. in praesenti statu naturae lapsae (et per Christum reparatae); ergo consequenter ad peccatum originale, sed *iam antecedenter ad peccata personalia*. — In statu naturae innocentis aliter provisum erat per *donum integritatis*. In statu naturae purae requireretur aliquod auxilium similiter ac nunc (v. n. 158).

b) sine auxilio Dei speciali, i. e. praeter facultates naturales, habitus naturaliter acquisitos et concursum generalem. Hoc auxilium in statu naturae lapsae vocatur gratia sanans. In *scholio* (n. 155 ss) accuratius examinabitur, quale auxilium *ex natura rei* requiratur, quale *de facto* detur et *qualis gratuitatis* sit hoc auxilium in diversis suppositionibus¹. Reapse nullus homo a Deo relinquitur in via sine omni speciali auxilio (th. 25); ergo condicio in thesi apposita nunquam verificatur.

c) non habet potentiam moralem. Cum plerisque theologis (v. *Ber.* 276 et *Lah.* th. 22) admittimus vires physicas ad implenda ea, quae natura rationalis postulat, et ad respuenda ea, quae vetat, naturae lapsae non deesse; hisce enim sine culpa personali absentibus, non intellegitur, quomodo *formale peccatum personale* committi possit. — Moralis impotentia habetur, si *difficultas* tanta est, quantam homines iis viribus, quas *secundum modum agendi constantem et uniformem* reapse exserunt, non superant. Antecedenter ad ipsum eventum considerata moralis impotentia raras exceptiones in hominibus insigniter heroicis non excludit. Statuimus tamen impossibilitatem, quae *nullam habeat exceptionem* vel rectius nullam *habitura esset*, si suppositum irrealia thesi verificaretur. De hoc non potest constare nisi ex eo, quod *Deus scientia media cognoscit* fore, ut nullus homo diu vitaret peccatum, si in istis circumstantiis, in quibus de facto versabitur, sine auxilio speciali relinqueretur, nobisque hoc revelando manifestat. Completa igitur impossibilitas, quam asserimus, componitur ex elemento antecedente summae difficultatis et ex elemento *scientiam Dei* consequente, quo omnis exceptio excluditur. Haec impotentia moralis debet servare intactam eam *libertatem* voluntatis, quae ad formale peccatum grave requiritur.

d) diu, breviter enim potest iuxta th. 3 et 4. Tempus, quo quis suis possit viribus stare, pro diversis hominibus *diversum* erit, pro multis sane valde breve; nam monemur, ut *quotidie* auxilium Dei imploremus. Sed ne fortissimus quidem habet potentiam moralem « diu », i. e. humano modo intellectum « *per plures menses et annos* » (P 149), servandi, i. e. faciendi omnia, quae lex praecipit, omittendi, quae vetat.

¹ Cave ne « auxilium speciale » hic intellegas tamquam « influentiam specialem » Scholasticorum, quae est idem ac concursus *supernaturalis*. « Speciale » hic solummodo relative intellegitur, scil. in oppositione ad aliquid generalius, sed non exprimit aliquid entitative *supernaturale*.

e) totam legem naturalem quoad substantiam: Lex sensu pleno et perfecto, quae obligat *sub gravi* et sub sanctione aeternae damnationis; — tota, *in quantum cognoscitur* ab homine rationis satis evolutae; agitur enim de vitandis gravibus peccatis *formalibus*, non de venialibus et de materialibus tantum; sumitur autem collective, de omnibus praeceptis legis naturalis *simul sumptis*; distributive de singulis virtutibus et vitiis nihil in thesi asserere vel negare volumus. Lex naturalis est lex *aeterna* sive «ratio et voluntas divina ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans», quatenus *per dictamina rationis naturalis* nobis manifestatur. De lege positiva non agimus, quia haec etiam actus *salutares*, v. g. fidei, caritatis, poenitentiae, imponit, ad quos gratia supernaturalis est *physice necessaria* (th. 1 et 2), et quia, quando solam substantiam operis praecipit, rem, saltem in Novo Foedere, *non multum mutat*, cum haec praecepta non soleant esse nimis onerosa et, ubi primum moraliter impossibilia fiunt, iam non obligent. — Lex autem naturalis, saltem directe et absolute, versatur circa solam substantiam operum, *non* circa modum *salutaris* impletionis mandatorum, uti veteres Scholastici loqui solent. In thesi affirmamus: Lex naturalis ne quoad substantiam quidem diu servari potest, sed naturalis quoque honestas graviter laedetur sine auxilio Dei.

136. f) Tentationes sunt ratio huius impotentiae. Tentatio est *sollicitatio ad peccandum*. Tentare aliquem est *experimentum sumere* de eo, sive ad *sciendum*, qualis sit, sive etiam ad ulteriorem *finem bonum vel malum* (Thom. 1 q. 114 a. 2); hic intellegitur de fine *malo*. Tentationes oriuntur ex carne, mundo, diabolo (*Tridentinum* s. 6 c. 13 [Dz 806]). Vocantur graves vel leves, aut prout *ad grave* vel leve peccatum sollicitant, aut prout *vehementer* vel remisse tantum movent (quod pro diversa indole et acquisitis habitibus bonis vel malis diversum est); — omnes intellegitur *collective*. Sat communiter docetur esse etiam aliquas *singulas* tentationes tam graves, ut morales vires eas superandi naturae lapsae desint. Sed nolumus probare eiusmodi tentationes omni homini occurrere. *Sensus* est: Tentationes, *quae omni homini occurrunt* (vel sine speciali protectione Dei occurrerent) per diuturnius tempus, tam graves sunt, ut homo suis viribus relictus alicui saltem ex iis succumberet, committendo grave peccatum formale.

g) honeste superandi omnes tentationes homo non habet ex se potentiam moralem. Potest enim tentatio *triplici*

modo superari: *a) inhoneste*, ex motivo malo, v. g. potest gula vinci ex avaritia; ad hoc Deus non adiuvat. — *β) salutariter*, id quod secundum th. 1 non potest fieri sine gratia supernaturali. Sic non habetur mera *resistentia*, sed plena *victoria*, quia obtinetur oppositum eius, quod diabolus intendebat. Qui tentando voluit hominem reddere inimicum Dei et aeterno supplicio dignum; homo autem salutariter vincens efficitur maior Dei amicus et meretur regnum aeternum (ita *S. Bonav.*, In 2 d. 28 a. 1 q. 2; similiter *S. Thomas*, In 2 d. 28 q. 1 a. 2 ad 6). — *γ) honeste*, i. e. ita, ut neque illud peccatum, ad quod tentatio incitat, neque aliud grave peccatum committatur, ex altera autem parte neque actus salutaris eliciatur, sed actus naturaliter honestus fiat (aut fortasse nullus omnino actus, si hoc fieri potest). De hac honesta resistentia ponimus thesim, abstracto a salutari victoria.

137. 3. Sententiae. Pelagiani ideis stoicis imbuti docebant posse hominem propriis viribus ad perfectam *ἀναμαρτησίαν* et *ἀπάθειαν* pervenire et sic totam legem implendo vitam aeternam sibi promereri. — Patres duce S. Augustino hanc haeresim *complexam* totaliter reiecerunt, sed *varia asserta falsa* in ea contenta *nondum omnino clare distinxerunt*. Imprimis defendebant absolutam necessitatem gratiae ad omne opus *salutare* (th. 1 et 2). Opera sine gratia facta saepe vocant *peccata* (quo sensu, vidimus n. 107 ss). Ad probandam necessitatem gratiae saepe provocant ad *vim concupiscentiae et insidias diaboli*, quibus homo gratia carens necessario succumbat. Hac ratione utique non potest *absoluta* illa necessitas gratiae ad opera salutaria explicari. Ceterum iidem Patres *quaedam opera honesta* ex reliquiis imaginis Dei sive ex virtute animae rationalis concedunt (th. 3 et 4); ergo non possunt gratiam existimare in omni casu absolute necessariam ad superandam concupiscentiam et tentationem. Loquuntur autem saepe tam fortiter de necessitate gratiae ad superandas quaslibet tentationes, ut eorum verba vix vera sint, nisi intellegantur de *victoria salutari*. Hinc factum est, ut Patres et vetera concilia non tam clare *nostram praecise thesim* exhibeant; sed sine dubio *ad minimum* id, quod thesi asserimus, ex eorum doctrina deduci et potest et debet.

138. Scholastici medii aevi solent habere alium statum quaestionis; nam quaerunt, utrum gratia *habitualis* sit necessaria ad implendam totam legem quoad substantiam et ad

superandas tentationes. Qui cum *S. Thoma seniore* hanc quaestionem *affirmant*, eo ipso nobis patrocinantur; qui cum *Scoto, Durando, Biel negant*, exinde nondum convincuntur nostri adversarii, et sat multi ex iis requirunt « gratiam gratis datam » vel auxilium speciale. — Theologi recentiores diserte nostram quaestionem tractant. — Quid *Augustinenses, Vazquez, Ripalda* doceant, ex th. 4 elucet. Sed ostendimus auxilium speciale, quod *Vazquez* ad vincendam levissimam quamque tentationem postulat, non semper esse *vere speciale* sensu a nobis determinato. *Ripalda*, cum historicam necessitatem gratiae ad omnem honestam impletionem mandatorum asserat, *vires tamen potius nimias* libero arbitrio adscribit. Sententiam nostrae thesi contradictoriam ullam mereri censuram theologicam negat, et ipse statuit: « Potestas efficax ad oboedientiam diuturnam totius legis potest convenire naturae lapsae absque gratia naturali *interna*, . . . non autem regulariter absque gratia *externae* protectionis » (*De ente sup.* l. 5 disp. 114 sect. 19 n. 179). — *Molina* (Conc. q. 14 a. 13 disp. 17 et 19) fere idem ac nos docet et *Ruardum Tapper* pro eadem doctrina citat. Alii complures istius temporis theologi necessitatem gratiae ultra ea, quae in thesi postulamus, *extendunt*. Hodierni plurimi iis, quae docemus, acquiescunt, ulteriora quaedam non negantes; nonnulli etiam necessitatem gratiae pro singulis gravibus tentationibus affirmant.

139. 4. Qualificatio. *Billot*: « fidei dogma », *Perrone*: « ad fidem catholicam spectat ». Sed quoniam haec doctrina non tam clare et nude et sine permixtione cum aliis veritatibus contra Pelagianos proponebatur, non videtur certo constare eam in definitionibus Ecclesiae formaliter contineri. Quare melius cum *Suarez* (l. 1 c. 26 n. 12), *Pesch* (n. 149), *Beraza* (n. 277) dicitur conclusio theologice certa. Sententia communis omnium theologorum ad minimum id postulat, quod in thesi defendimus.

140. Prob. I. Ecclesia. Diospoli *Pelagius* debuit damnare: « non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid vel non facere, et victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio ». *Augustinus* haec scribens *ad Paulinum* (*Epist.* 186, 9, 32 s) inde consequi dicit, ut quisquis hanc auctoritatem sequitur, « haec tenere debeat, quae semper tenuit catholica Ecclesia: . . . Fateatur quando contra tentationes con-

cupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed *ex adiutorio Dei nostram provenire victoriam.*» — Conc. Carthaginense a. 416 *ad Innoc. I (Augustini Epist. 175, 2)*: «Id enim agunt isti, ... ut ... nullum relinquunt locum gratiae Dei, ... qua et ipsum nostrae voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur» (ergo sine gratia eadem concupiscentiae dominantur). — Innocentius I respondens concilio *Milevitano (Augustini Epist. 182, 3)*: «qua (gratia) privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat».

141. Carthaginense a. 418 can. 3 (Dz 103): Gratia Dei per Christum non ad solam remissionem peccatorum valet, sed etiam ad *adiutorium, ut non committantur* (hic agitur secundum totum contextum — cf. can. 5 — de adiutorio non utili tantum, sed *vere necessario* et de peccatis iis, quae per gratiam Christi remittuntur, ergo imprimis de *gravibus peccatis personalibus*). — can. 4: Gratia adiuvat ad non peccandum, praestando, ut faciendum facere diligamus et valeamus (non satis apparet, an forte solum ad salutariter diligendum et valendum). — **Indiculus cap. 6** (Dz 132): Nemo, ne baptizatus quidem, idoneus est ad superandas *diaboli insidias* et vincendas *carnis concupiscentias* (i. e. ad vitanda peccata gravia personaliter imputabilia), nisi per *quotidianum* (ergo saepe necessarium) adiutorium Dei perseverantiam acceperit (quare *non renatus* a fortiori ineptus erit, qui suis viribus ulteriora peccata vitet). Quod confirmatur verbis Innocentii I ad concilium *Carthaginense (Epist. Augustini 181, 7)*: «...*quotidiana* praestans remedia, quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus *errores* [in contextu agitur de gravibus peccatis]. *Necesse* est enim [vere necessarium est], ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur.» Asseritur igitur vera *necessitas frequentis* adiutorii gratiae *pro omnibus* iustis, hinc a fortiori pro aliis, ad tentationes occurrentes ita superandas, ut *gravis culpa personalis* vitetur; — *cap. 9* (Dz 135) agit quidem de absoluta necessitate gratiae ad opera *salutaria*, sed cum *Zosimo* tamquam ratio necessitatis auxilii divini affertur *colluctatio* adversus carnem et daemones (cf. n. 137). — Quae in Araus. can. 1 8—10 13 s 17 (Dz 174 ss) dicuntur de laesione liberi arbitrii, de continentia pedum a falsitate et iniustitia, de perdurando in bono opere, de liberatione a quacumque miseria, primario quidem viden-

tur intellegenda de ista ratione «mendacii et peccati» (can. 22), quam n. 109 explicavimus; sed cum hac idea intime coniuncta est *persuasio summae infirmitatis moralis* hominis lapsi in vitandis peccatis etiam sensu maxime proprio acceptis. — Ex doctrina Tridentini s. 6 c. 13 et can. 22 (Dz 806 832; cf. th. 6 n. 173) de necessitate auxilii divini pro *iustis*, ut in pugna cum carne, mundo, diabolo *usque ad finem vitae* victores esse possint, *deducitur alios eo minus propriis viribus posse diu omnem cladem vitare.*

142. Idem apparet ex **praxi Ecclesiae et fidelium**, qui a Deo *petunt* auxilium et protectionem contra tentationes, plane non dubitantes, quin ex se pericula salutis minime possint omnia superare. In *orationibus liturgicis* verba tam abundantia usurpantur, ut *Vazquez* iisdem suam sententiam probari autumat (In 1, 2 disp. 189 c. 12 n. 91); v. g. in *Domín. 2. Quadrag.*: «Deus, qui conspicias omni nos virtute destitui»; in festo *S. Martini episc.*: «Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus».

143. II. Scriptura. 1. Rom 7, praesertim inde a v. 21.

Cornely, Comment. — *F. Prat*, Théologie de S. Paul, I¹⁰ 268—284. — *Ed. Tobac*, Le problème de la justification dans S. Paul (Lovanii 1908) p. 97—114. — *W. Schauf*, Sarx (1924), praes. p. 86s 137.

a) Praenotanda. Nostra thesis *non directe enuntiatur* a S. Paulo, sed spectata universa eius doctrina ex hac pericopa deduci potest. — 5, 1s: «*Iustificati ex fide . . . gloriamur in spe gloriae.*» Cap. 5—7: Huic saluti magna quidem obsunt *obstacula*; sed *gratia triumphat* haec omnia, totum scil. regnum peccati, quod inde a delicto Adami universaliter regnat in mundo, i. e. ipsam *τὴν ἀναρχίαν* et satellites eius, mortem, carnem et legem; nam etiam lege mosaica peccatum abutitur ad homines spiritualiter occidendos. Gratia autem Christi *liberat a servitute peccati, mortis, carnis et legis*. De carne et lege agit cap. 7. Ne *Pelagiani* possent abuti versu 18 (*velle adiacet mihi*) et 22 (*condelector legi Dei secundum interiorem hominem*), S. Augustinus senior tenuit Apostolum in hoc capite loqui in persona hominis *iusti*, cui adversus *indeliberos* motus concupiscentiae pugnandum sit (C. 2 ep. Pel. 1, 9, 16; 11, 23. — *Retr.* 1, 23, 1; 24, 2; 26 q. 66; 2, 1, 1. — *De praed. SS.* 4, 8. — *Op. imp.* 6, 11). Sed iunior rectius explicaverat de persona *Iudaei* sub lege constituti *nequum redempti* (*Expos. quar. qu. ex Rom* pr. 38-46. — *In Gal* 47. — *De div. qu.* 83 q. 66. — *Ad Simpl.* 1, 1, 7 et 9) cum omnibus *Graecis* et multis *Latinis* (v. *Prat* I, 274). Seniores secuti sunt *Gregorius M.*, *Hervaeus*, *Thomas, Estius*, a *Lapide* et veteres *Protestantes*. Nunc communiter iunioris explicatio probatur. Totus sane contextus exigit hominem

sub iugo legis constitutum et sine gratia Christi concupiscentiae succumbentem: v. 14 *venundatus sub peccato*; — v. 18 *perficere autem bonum non invenio*. Haec non quadrant in iustum. Falso Augustinus opinatur *perficere* bonum esse idem ac *perfectam iustitiam habere*; τὸ κατεργάζεσθαι in oppositione ad τὸ θέλει nihil dicit nisi *opere exsequi* bonum volitum.

144. b) Dicit igitur S. Paulus: *Iudaeus* sub lege mosaica constitutus et infirmitati carnis sine Christi gratia relictus, etsi bonum ei placeat et *inefficaciter* illud velit, tamen *opere ipsum non peragit*; nam adeo ei adiacet malum, et *lex in membris* eius exsistens, repugnans legi Dei, mente quidem cognitae et approbatae, adeo eum captivat in lege peccati, ut bonum non faciat, sed potius contra legem Dei *peccet* (21—23), idque *imputabiliter et mortaliter*: peccatum seducit eum et per mandatum occidit (11). Quare v. 16 verbum «*nolo*» et v. 17 «*non ego operor illud*», non negat voluntarium simpliciter, sed affirmat *involuntarium secundum quid*. Ex ista tristi condicione sola *gratia Christi* liberat. Hoc 7, 25 secundum meliorem lectionem textus graeci χάρις τῷ θεῷ *implicite* tantum, nempe per gratiarum actionem, sed 8, 2 *expressis* verbis dicitur.

145. c) Deducitur ex his nostra thesis. S. Paulus quidem data opera ostendit praecise legem *mosaicam* tam ingens obstaculum salutis evasisse eo, quod per eam peccatum cognoscatur et reviviscat (v. 7—11; cf. 1 Cor 15, 56: *virtus peccati lex*) et carnalis homo ad transgressionem incitetur (v. 8)¹. Sed spectata tota Apostoli doctrina licet deducere hominem legi mosaicae non subiectum versari in *impotentia essentialiter eadem*. Pueri quidem iudaei per legem mosaicam discebant licita et illicita dignoscere: v. 7: «*peccatum non cognovi nisi per legem*» (v. 9: «*vivebam sine lege aliquando*», i. e. ante usum rationis). Sed etiam *gentiles* cognoscunt aliquam legem divinam, scil. naturalem: Sine lege mosaica peccant et pereunt (2, 12); ipsi enim sibi sunt lex et habent opus legis scriptum in cordibus suis (2, 14s). Quod igitur Apostolus cap. 7 de Iudaeo et lege mosaica dicit, ad gentilem et legem naturalem *transferri potest*: Ἡ ἁμαρτία, ex praevericatione Adae orta (5, 12ss), ante usum rationis est νεκρά, mortua sive *iners* (7, 8), sed lege naturali per rationem cognita *reviviscit* et occasione accepta per man-

¹ Cf. Ovidii dictum: «Nitimur in vetitum semper cupimusque negata» (Amor. 3, 4, 17).

datum legis naturalis seducit et *occidit* (11); nam etiam gentilis est *carnalis*, venundatus sub peccato (14); habitat in eo peccatum (20); videt legem in membris (23), repugnantem legi naturali, i. e. concupiscentia habitualis motibus carnalibus sollicitat ad transgrediendum praeceptum: «*Non concupisces*» (7). Quamvis lex positiva Iudaeis addiderit «*iugum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus*» (Act 15, 10), tamen S. Paulus cap. 7 non provocat ad praecepta *ritualia et civilia* legis mosaicae, sed ad praeceptum *non concupiscendi*, quod etiam a lege naturali inculcatur et naturae corruptae sane maximam creat difficultatem. — Quod *gentiles*, quando plus minusve suis viribus relinquuntur, oneri legis naturalis impares sint, etiam ex **cap. 1—3** elucet. Primo Apostolus 1, 18 ss, maxime v. 29 s, pessimos eorum mores describit. Postquam dein *Iudaeorum* quoque malitiam cap. 2, praes. v. 21—24, detexit, 3, 9 ss recapitulat «*Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse*» idque testimoniis S. Scripturae confirmat.

146. d) Breviter: S. Paulus docet a) *Iudaeos* absque gratia Redemptoris ita subiacere servituti peccati, ut concupiscentiae sive legi membrorum obsequendo graviter peccent contra officia legis naturalis; β) *gentes* non esse in meliore conditione; γ) *moraliter omnes de facto cecidisse* in gravia turpique peccata. Si ita est, quamquam secundum eundem Apostolum Deus «*omnes homines vult salvos fieri*» (1 Tim 2, 4) et consequenter auxilia sufficientia nulli denegat, sine dubio saltem ea infirmitas moralis hominis lapsi, quam in thesi statuimus, ex Apostoli doctrina derivari debet.

147. 2. Ex *magnis periculis salutis*, quae iustis imminet nec sine auxilio divino superari possunt, argumentum a fortiori desumi potest. 1 Petr 5, 8 s: diabolus tamquam leo rugiens circuit. Eph 6, 10—18: insidiae diaboli, colluctatio adversus spiritualia nequitiae. — In hac pugna opus est *armis a Deo dandis*. 1 Petr 5, 9: «*fortes in fide*»; Eph 6, 11: «*Induite vos armaturam (τὴν πανοπλίαν) Dei, ut possitis stare.*» Enumerantur arma v. 14 ss: lorica iustitiae, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritus etc. — Omnibus orandum est. Mt 6, 13: «*ne nos inducas in tentationem*». — 1 Cor 10, 12 s: «*Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Tentatio vos non apprehendat (ἐλληφεν — apprehendit) nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*» (cf. n. 177): Sunt igitur tentationes, quae vires humanas superent.

— Mt 26, 41: «*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*», proxime dicitur *ad apostolos* in magno periculo constitutos; sed ratio addita spectat *ad omnes*: «*Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*» — Cf. n. 176 s.

Sap. 8, 21 a S. Augustino (*Confess.* 6, 11, 20; 10, 29, 40) et aliis intellegitur: Sine auxilio divino *castitas* servari non potest. Sed secundum *contextum* ad vocem *ἐγκρατῆς* supplendum est *σοφίας*; quare sensus est: «Cum vero scirem, quoniam aliter non possem esse *compos unionis cum sapientia*....» (v. *Cornely-Zorell*, Comment.).

148. III. Patres. 1. Ante Pelagium. **Cyprianus**, *Epist. ad Donatum* (R 548): Antequam baptizaretur, desperatione meliorum malis suis favebat; sed baptismo in novum hominem mutatus, facultatem habuit eius, quod prius difficile videbatur, gerere potuit, quod impossibile putabatur. — **Basilius**, *Hom. in Ps 32* n. 3 (MG 29, 328): Nemo adversus diabolum bellum gerere potest, nisi, ad praesidium potentiae Imperatoris confugiens, per fidem inimicum feriat. — **Chrysostomus**, *In 1 Cor hom.* 24, 1 (R 1191): Textus 1 Cor 10, 13 ostendit esse tentationes, quae ferri non possint. Quaeenam? «Omnes, ut ita dicam; potestas enim in Dei auxilio sita est.» Aliae tentationes *superant* nostram potestatem, alias, scil. humanas, *non* possumus sine eius auxilio *facile ferre*. — *Hom. in paralyt.* 2 (R 1210): «quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi, si Dei absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere» (*τὸν τυχόντα.... πειρασμόν*). — **Ambrosius**, *In Ps 43*, 71 (R 1263): «Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus adiutor ei assistat?»

149. 2. Orto Pelagianismo. **Hieronymus**, *Dial. adv. Pel.* 2, 16 (R 1404): Iuxta Pelagianos Christus non debuit dicere: «Vigilate et orate», sed: «Surgite et *resistite*, liberum enim habetis arbitrium et ... nullius alterius indigetis auxilio.» — 3, 2 (R 1406) agit de *perfecta impeccantia*, sed nostro casui *applicari* potest: «Nec *quia ad breve* possum, coges me, ut possim *iugiter*. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; numquid in perpetuum?» — **Augustinus**: *Rarissima* sunt honesta opera infidelium. *Extrema lineamenta* imaginis Dei certe non sufficiunt ad totam legem naturalem diu implendam (cf. n. 100). *Vim concupiscentiae* saepe fortissimis verbis enuntiat et unicum *remedium* efficac in gratia Dei conspicit (v. g. propria experientia in *Confess.*

descripta). — Sat multi textus afferri soliti non sunt ad rem, quia Augustinus aut *plenam impeccantiam* Pelagianorum impugnat aut probabiliter de illa ratione peccati tractat, quam *etiam operibus infidelium naturaliter honestis* adscribit. Sed saepe ostendi potest esse sermonem de *novis* peccatis gravibus *personaliter imputabilibus*. Sic *De grat. et lib. arb.* 16, 32: «Ideo iubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab ipso petere debeamus.» Enumeratis mandatis, quae saltem ex parte sub gravi obligant, ut contra superbiam et luxuriam, pergit: «Certum est enim nos mandata servare, si volumus; sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.» — *Enarr. in Ps* 89, 4 (ML 37, 1142): «Sine cuius adiutorio per arbitrium voluntatis tentationes huius vitae superare non possumus.» — **De voc. gent.** 1, 6 (ML 51, 652): Voluntas nunc est vaga, mutabilis, infirma; nisi «ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni». — **Leo M., Serm.** 43, 1 (R 2201): Homo, si quid impossibile aut arduum experitur, ad iubentem recurat, qui praestat auxilium. Fallitur prorsus, quicumque inter tentationes huius vitae ab omni se vulnere credit immunem. — **Fulgentius, Epist.** 4, 4, 7 (ML 65, 341): Inimici laqueos nemo potest propriis viribus evadere, nisi quem Deus gratia sua per Christum dignatus fuerit liberare. — Cyrillum Al. v. *Weigl* p. 251.

150. IV. Theologi. Bonaventura, In 2 d. 28 a. 1 q. 2: Absque gratia gratum faciente potest quis diabolo *resistere per gratiam gratis datam*, sed non eum *vincere* (v. n. 136 g.) — q. 3: Item potest cum gratiis gratis datis praecepta implere *quoad substantiam operis*, v. g. per fidem mandatum de adoratione, per quandam naturalem pietatem et devotionem mandatum de parentum honoratione. — a. 2 q. 2: a) Aliqui senserunt liberum arbitrium absque munere gratiae posse omni *tentationi resistere* propria virtute. Haec positio est *falsa*, contra S. Scripturam et Sanctorum testimonia. Continentiam et fidem, quibus opus est ad resistendum tentationi de luxuria et de infidelitate, non contingit habere absque dono divinae gratiae. Positio *Pelagii* est erronea. Hoc deceptit eum, quod liberum arbitrium nunquam destituitur omni gratia gratis data, et ita deceptus *eo* posse gratiae attribuit naturae. — b) Alii dicunt, quod liberum arbitrium lapsum omni gratia destitutum nulli possit tentationi resistere. Sed hoc *valde durum* videtur, cum

habeat naturale iudicium et quendam instinctum naturalem remurmurantem contra malum. — c) Ideo est tertia via medium tenens, quod *nec omni* posset tentationi *resistere* propter suam instabilitatem et infirmitatem, *nec* necesse haberet *omni* tentationi *succumbere*.

151. Thomas iunior, In 2 d. 28 a. 2: Homo lapsus non potest omnia peccata venialia (semideliberata), sed potest peccatum mortale hoc et illud et etiam omnia, ad tempus et diu, per liberum arbitrium sine gratia (habituali) vitare, non quidem de facili, ut ante peccatum originale, sed difficulter. «In hoc errabat *Pelagius* aestimans hominem propriis operibus sine gratia posse se a peccatis *praeteritis* absolvere satisfaciendo¹. Peccatum autem *committendum* potest homo vitare etiam sine gratia, quantumcumque in peccato mortali existat; si tamen gratia intellegatur aliquis *habitus* infusus et non ipsa *divina voluntas*, per quam omnia bona causantur et mala repelluntur.» — a. 3: «Praecepta legis quantum ad id, quod directe sub praecepto cadit, potest aliquis implere per liberum arbitrium *sine gratia gratis data vel gratum faciente*, si tamen gratia accipiatur pro aliquo *habitu infuso*; sed quantum ad intentionem legislatoris sine gratia impleri non possunt ... Sed si gratia pro *divina voluntate* gratis in nobis omnia bona causante accipiatur, tunc ... neutro modo homo sine gratia praecepta implere potest; et ideo *Pelagius* erravit, qui *simpliciter* impleri praecepta legis posse sine gratia posuit.» — Dubitari potest, num illud auxilium, quod tunc temporis requisivit, sit *speciale* in sensu nostrae thes. — Iam in **QQ. disp. de ver.** mutavit sententiam de possibilitate vitandi peccatum mortale sine gratia habituali. Q. 22 a. 5 ad 7; q. 24 a. 1 ad 10 et ad 12 adhuc *duplicem opinionem* proponit; sed q. 24 a. 12 ex professo in hanc rem inquirat. Nunc haeresim *Pelagii* recte indicat et catholicam fidem, media via inter contrarias haereses incedentem, defendit, ostendendo per necessitatem peccandi sine gratia (habituali) non tolli liberum arbitrium. *Ex impetu passionis* deliberationem praeveniente oriuntur peccata *venialia*, quae non possunt vitari. Similiter *quasi repente ex inclinatione habitus*, sed non sine illa deliberatione, quae sufficit ad graviter peccandum, homo in statu peccati

¹ Re vera *Pelagius* gratiam remissionis peccatorum commissorum agnoscebat (v. n. 35).

mortalis existens, i. e. in habituali adhaesione ad peccatum mortale sive ad finem indebitum, non potest *omnia peccata mortalia* vitare. In repentinis enim statim secundum habitum eligit, nisi multa deliberatione se ipsum cohibeat. Sic potest contranitando singula peccata vitare, sed non potest diu tantam attentionem et vigiliam adhibere, ut omnia vitet. Ab ista autem habituali inclinatione ad peccatum « non removetur nisi *per gratiam (habitualem)*, per quam solam efficitur, ut mens humana bono incommutabili *per caritatem* tamquam fini adhaereat ». Ergo homo potest sine statu gratiae *singula peccata mortalia* vitare, sed *non diu omnia* (cf. *C. gent.* 3, 160). — Eandem sententiam propugnat in *S. th.* 1, 2 q. 109 a. 8: « Antequam hominis ratio . . . reparetur per gratiam iustifican- tem, potest *singula peccata mortalia* vitare et *secundum ali- quod tempus* . . . Sed quod *diu* maneat absque peccato mortali, esse non potest . . . Cum enim homo *non habet cor suum fir- matum in Deo*, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitan- do ab eo separari vellet, occurrunt multa, propter quae conse- quenda vel vitanda homo recedit a Deo . . . , praecipue quia *in repentinis* homo operatur secundum finem praeconceptum et secundum habitum praeexistentem, ut *Philosophus* dicit in *3 Ethicorum*¹; quamvis ex praemeditatione rationis homo possit aliquid agere praeter ordinem finis praeconcepti et praeter inclinationem habitus. » — Cf. *ibid.* a. 4 et *Comm. in 1 Cor* c. 12 lect. 1 ante med.².

¹ *Τὰ δ' ἐξαιρῆς κατὰ τὴν ἔξιν* (Eth. Nicom. l. 3 c. 8 n. 15 [Bekker II p. 1117 a. 22]).

² **Capreolus** († 1444), *Defensio theol.*, In 2 d. 28 q. 1 a. 3 § 4 in fine: « De concordantia dictorum S. Thomae in hac materia quoad *Scripta* (in II. Sent.) et *Summam* non oportet quempiam sollicitari, quia inter ea plana contradictio est. Nam in *Scriptis* secutus est viam *Magistrorum tunc currentium*; in *Summa* vero tenuit viam *oppositam* tamquam securiorem et dictis Sanctorum concordiorum et a pelagiano errore remotiorem. Ideo in talibus discordiis tenendum est, quod dixit *ultimate*, scil. in *Summa*. » — **Did. Deza** Hispalensis († 1523), In 2 d. 28 q. 1 a. 3 not. 1 in fine: « Advertendum tamen, quod de hac conclusione et de sequentibus supra positus S. Thomas aliter videtur sentire in *primo* opere, i. e. in *Scriptis* suis super Magistrum Sententiarum et aliter in *secundo* opere, videlicet in *Summis* et in *QQ.* de ver. ac in *Quodl.* et in aliis, quae post *Scripta* super Sent. edidit. Verum est tamen, quod quibusdam *distinctionibus et suppletionibus aut determinationibus* possent utraque dicta ad concordem sensum trahi. Sed quia id *non videtur esse de mente ipsius*, praetermittimus, tenentes illa, quae post *Scripta* super Sent. in pluribus locis scripturae suae docuit; ubi sic nobis apparet: *Corrigere voluit, quae prius dixerat.* »

152. Multa testimonia sequentium Scholasticorum mediae aetatis v. apud Denifle, *Luther und Luthertum*, ed. 2 vol. 1 p. 544 ss¹.

Molina, *Conc.* q. 14 a. 13 disp. 17 concl. 4 (Paris. 1876 p. 91): «neque totam legem naturalem, quae sub culpa letali obligat, neque partem, quae notabilem contineat difficultatem, potest diu servare absque speciali auxilio Dei»; — disp. 19 (l. c. 93 ss) multa dicit pro sententia, quae hanc impotentiam statuit *solum relate ad omnia*, quae longiore tempore occurrunt; sed tandem (membrum 6 [l. c. 109 ss]) ab altera sat communi, quae eam etiam *in determinato aliquo instanti* affirmat, interim non vult discedere. Hanc vero ita intellegit, ut homo, si in tali impotentia sine speciali Dei auxilio relinqueretur, ex defectu libertatis *materialiter tantum* peccaret. — **Iesuitae**, Paulo V suam exhibentes doctrinam, se cum Dominicanis in hoc convenire aiunt liberum arbitrium non posse diligere super omnia Deum ut finem naturae dilectione *efficaci*, neque vincere quamcumque *gravem* tentationem *pro toto tempore*, quo durat; dissentire vero in eo, quod teneant hominem ex suis viribus probabiliter posse resistere cuicumque gravi tentationi contra legem naturae *pro singulis instantibus*, cum Dominicani hoc condemnent (v. Astráin, *Hist. de la Comp. de Jesús* t. 4 app. 1 p. 799 ss). — **Bellarminus** (*De grat. et lib. arb.* 5, 7): «Magis consentaneae ad Scripturas et Patres loquuntur, qui dicunt *nullam* tentationem sine Dei auxilio vinci posse»; loquitur autem «de vera tentatione, non de levissima aliqua titillatione». — **Suarez** (*De grat.* 1, 23, 8): Homo potest solus vincere tentationes *leves*, sed *non graves, etiam distributive sumptas*. Sic etiam hodie sat multi theologi, inter quos *Mazzella, Lahousse, Beraza*. — Aliis vero magis placet de tentationibus *distributive* sumptis nihil asserere et thesim statuere de omnibus *collective* sumptis. Thesis enim quoad tentationes *distributive* sumptas *a nonnullis negabatur*, et *Vazquez* (In 1, 2 disp. 189 cap. 2 n. 5) testatur opinionem negantem non parum in Hispania communem fuisse. Ruardus Tapper dicit

¹ *Recapitulat* p. 564: «Es tut nichts zur Sache, dass die Lösungen der oben angeführten Scholastiker Verschiedenheiten aufweisen. In dem einem Punkte, um den es sich hier handelt, kommen sie alle überein, dass nämlich der Mensch im gefallenem Zustande aus seinen natürlichen Kräften, *ohne die Gnade*, Gott nicht über alles lieben und alle Gebote auch nur dem Inhalt nach erfüllen könne. Der *hl. Thomas* verlangt mit mehreren sogar die heiligmachende Gnade dazu.»

(*apud Mol.* l. c. disp. 19 membrum 2 [p. 98]): «Necessitas peccandi, quae ex nostra est infirmitate, est inevitabilitas quoad universa, quae praecipiuntur, collective sumpta, non vero quoad singula.»

Itaque inter theologos satis convenit non licere libero arbitrio maiores vires adscribere, quam nostra thesis permittit.

153. V. Ratio (P 154). Experientia externa docet plurimos homines graviter peccare; scimus tamen ex fide omnes habere sufficientes gratias et multos abundantes. Hinc saltem ad *maximam difficultatem* concludere licet, quae sine gratia haberetur. — Idem confirmatur experientia interna et generali consideratione naturae humanae. Ad mala facile labimur, difficulter surgimus ad bona. Praecepta sunt multa, frequentes peccandi occasiones, vehementes inclinationes et passiones; tentationes multae, diuturnae, intensae; terribiles inimici salutis interni et externi. Pars *rationalis* in homine coniuncta est in unitatem naturae cum parte *sensitiva et carnali*. Omnis cognitio per sensus incipit et de rationalibus qua talibus non habemus nisi *abstractivam* cognitionem. Tamen honestas moralis diiudicatur secundum *normam naturae rationalis* qua talis. Bonum delectabile saepissime opponitur bono honesto et multo vehementius quam istud voluntatem allicit. Motus inordinati sensualitatis rationem praeventunt. — Etiam quando tentatio non fit per bona sensualia, sed per bona potius spiritualia (v. g. ad superbiam), difficultas magna est propter «philautiam» sive inclinationem «egocentricam» hominis. Exigitur «amor Dei usque ad contemptum sui», sed homo saepe se sollicitari sentit ad «amorem sui usque ad contemptum Dei» (cf. *August.*, De civ. Dei 14, 28). — Omnibus his perpensis non miramur, quando *ex revelatione* discimus tantam difficultatem a nullo homine evolutae rationis diu sine speciali Dei auxilio superari posse.

154. Accuratio explicatio (P 164 ss): Impotentia, quam thesi asserimus, ita determinari debet, ut ex altera parte *fontibus* satisfiat, ex altera vero ea *libertas* electionis maneat, quae ad mortaliter peccandum requiratur. *Physica* impotentia omnem libertatem tollit, neque minus pro tota collectione actuum quam pro singulis. Ergo impotentia est *moralis*. Sed impossibilitas moralis *late dicta*, quae aliquoties, licet difficulter, superatur, fontibus non videtur satisfacere. Sin iam

antecedenter ad determinatum actum altera pars contradictionis *infallibiliter* excluditur, libertas requisita tollitur. Multi auctores difficultatem solvunt negando antecedentem necessitatem *determinati actus* et admittendo antecedentem necessitatem *indeterminatam* alicuius peccati quoad totam collectionem multorum actuum. Sed consequenter deberent dicere: Ea libertas, quam habet *typhotheta*, ut in magno volumine omnia prorsus menda typographica vitet, sufficit ad peccatum mortale; nam ipse quoque sine dubio physice et moraliter liber est ad singula menda vitanda. Eiusmodi tamen libertatem ad graviter peccandum sufficere eodem iure negari potest atque libertatem in aliis exemplis, quibus moralem impossibilitatem in oppositione ad physicam nonnulli theologi illustrare volebant, scil. *pingere circulum perfectum* vel aleis iactis eundem semper numerum obtinere (P 166). Quare omnino dicendum videtur *neque collectione effici infallibilem necessitatem antecedentem* graviter delinquendi in aliquo actu indeterminato. Infallibilitas igitur, quae nullam patiatur exceptionem, derivatur *ex divina scientia* condicionate futurorum, i. e. ex aliquo elemento *consequente* actum secundum voluntatis deficientis¹.

Scholium. De natura et gratuitate huius auxilii.

P V 169—172 (cf. III 227). — Ber. 262 300 ss.

155. I. Quale auxilium requiratur. 1. Ex natura rei Deus effectum, de quo agitur in thesi, *multis modis* obtinere potest: *negative* removendo vel diminuendo obstacula, *positive* addendo vel confortando vires, *externe* providentia sua praecavendo occasiones mali vel adducendo influxus bonos, *interne* afficiendo potentias hominis *inferiores* (per se vel per angelos), vel immediate *superiores* (per se ipsum), excitando cogitationes et affectiones *entitative naturales* vel *supernaturales*, conferendo auxilia *actualia* vel infundendo dona *permanentia*, quae habitualiter ad bonum inclinent vel a malo avertant.

¹ Eodem modo postea (th. 24) *infallibilem efficaciam gratiae* per scientiam mediam explicabimus. Habetur autem ea differentia, quod gratia congrua neque semper neque ordinarie *moralem necessitatem* antecedentem causat, cum in nostro casu fontes tantam testentur difficultatem honeste agendi, ut veram aliquam antecedentem necessitatem peccandi, eamque moralem sensu latiore, non vero solam necessitatem consequentem statuere debeamus.

156. 2. Quomodo Deus hac in re de facto procedat, aliquatenus *ex fontibus* statuere possumus.

a) Regulariter, *saltem ab initio fidei*, haec dona dantur tamquam aliqua *gratia Christi* vel coniuncta cum tali gratia sive in ea contenta. *Gabrieli Vazquez* concessimus (n. 131) etiam dona entitative naturalia posse ante initium fidei propter merita Christi dari et sic recte, licet sensu minus stricto, vocari gratias Christi. Sunt enim auxilia eo fine data, ut *negative disponant* ad gratiam Christi pressius dictam (v. th. 8). Hoc esse ex mente *S. Augustini* ostenditur *Serm.* 99, 6 (R 1504): Ut suasor, locus et tempus adulterii deessent, Deus fecit; cum haec adessent, ut fidelis non consentiret, Deus terruit. «Agnosce ergo gratiam eius, cui debes et quod non admisisti.» — Eiusmodi auxilia entitative naturalia sunt non solum sicut aliae gratiae naturales huius ordinis *supernaturalia quoad finem* (negativae dispositionis ad salutem supernaturalem), sed etiam *aliqua quoad modum*, hoc scil. sensu, quod Deus propter merita Christi, orationes fidelium etc. cursum causarum naturalium ita instituit, ut iste effectus fini supernaturali negative inserviens, omissio scil. peccati vel actus naturaliter honestus, obtineretur.

b) *Dona habitualia* in iustificatione collata *sola non sufficiunt*, nisi accedat speciale Dei auxilium (th. 6).

c) *Interna necessitas status gratiae vel fidei demonstrari nequit*. Ratio *S. Thomae* supra (n. 151) allata rem non evincit. Nam quaelibet *motio mala* ex natura rei *per oppositam motionem bonam* gratiae actualis superari potest (P 170). Sed disputatur, utrum *ex positiva Dei ordinatione* sive ex historica necessitate status gratiae vel fidei requiratur. Sane est ratio, cur Deus haec auxilia ei deneget, qui *contumaciter* in statu aversionis et inimicitiae permaneat. *Auctoritates* idem insinuant, v. g. notum verbum *S. Gregorii M.* (*Moral.* 25, 9, 22 [ML 76, 334]): «Peccatum, quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.» Effata *Augustini*, *Suarez*, *Ripalda*, *Bellarmini* v. *Ber.* 262¹. — Sed videntur esse *infideles negativi*, qui satis faciunt, quod in se est, et tamen diu non accipiunt gratiam proxime sufficientem ad fidem et iusti-

¹ Falso *E. Neveut C. M.*, *Etudes sur la grâce sanctifiante* I (Divus Thomas [Placentiae] 29 [1926] 394—412) contendit necessitatem status gratiae ad implenda praecepta legis naturalis esse de fide (utpote a *S. Paulo* assertam et contra *Pelagianos* definitam) vel saltem «très proche de la foi» (411); cf. *Scholastik* 2 (1927) 304.

ficationem. Durum est talibus denegare auxilia sufficientia ad vitanda nova peccata. Quare *Pesch* (170) bene *distinguit*: Quamdiu homo *voluntate positive infideli et peccaminosa* a Deo aversus est, probabiliter non iuvatur specialibus auxiliis adversus tentationes. Sin *serio emendationi incumbit*, quantum viribus naturalibus moraliter potest, Deus, licet non semper gratiam fidei et iustificationis ilico concedat, tamen ad ulteriora crimina vitanda auxiliabitur. Hoc maxime valebit de homine, qui *solo peccato originali* a Deo fine supernaturali aversus est, sed nullo actu personali a fine ultimo deviauit.

d) Auxilia ad hunc effectum obtinendum *ante directam vocationem ad fidem* probabilissime sunt *entitative naturalia* (cf. n. 132). Sed satis probabiliter dici potest Deum *fidelibus et eo magis iustis*, quandocumque iis contra tentationes pugnandum vel actus honestus ponendus est, offerre ea auxilia, quibus actum *salutarem* efficere valeant (v. n. 724—727).

157. II. Quae ratio gratuiti sive indebiti huic auxilio competat. Gratia ex conceptu suo est gratuita, gratis data, indebita. Sed non omni gratiae prorsus eadem ratio indebiti convenit. Potest quoque aliquod donum vel auxilium Dei sub uno respectu esse debitum, sub altero indebitum. Auxilium, quod nihil efficit nisi ut moralem necessitatem graviter peccandi tollat, sane *non exigit summum gradum gratuitatis*.

1. a) Quoniam *totus ordo supernaturalis* omni creaturae est indebitus, *quidquid* directe vel indirecte, positive vel negative huic ordini *inservit*, *sub hoc respectu* rationem indebiti participat. — b) Porro cum ordo supernaturalis prorsus *gratuito a Christo restitutus* sit, omne auxilium, *quatenus* propter merita Redemptoris datur, est indebitum. — c) Ille, qui grave peccatum personale commisit, iuste meretur aeternam damnationem, de se nullum ius ad remissionem peccati habet nec solus sibi id acquirere potest; atque quandoquidem necessariae *sequelae* peccati sunt ipsi *voluntariae in causa*, non videtur a Deo exigere posse adiutoria specialia, quibus opus est, ne ulteriora peccata gravia addat¹.

¹ Tamen quamdiu Deus eum in statu viae relinquit, non amittit ius naturale ad quasdam *cogitationes congruas*; nam suis peccatis naturam non adeo depravavit, ut voluntas eius, quae naturaliter est facultas appetendi bonum, iam per omnia, quae externe et interne occurrunt, unice ad malum trahatur (cf. n. 131).

158. 2. Sed quid de eo, qui solius peccati originalis reus est? Ut quaestio recte solvatur, primo videndum est, quid de natura pura valeat, a qua natura lapsa secundum nostram sententiam differt *ut spoliatus a nudo*. Vires morales in utroque statu sunt aequales. Hinc natura pura *eodem auxilio Dei indiget* ad totam legem naturalem servandam et mortale peccatum vitandum. Sed sine dubio Deus sapientia, bonitate atque etiam iustitia sua prohibetur, ne naturam rationalem innocentem in ea condicione ponat, in qua morali necessitate a nullo superanda a fine suo deviet atque in extremam cadat miseriam. Ergo auxilium illud *exigitur a natura pura*. Immo Deus benignissimus assecutionem finis ultimi huic naturae non solum quomocumque possibilem, sed insuper *non nimis arduam* reddet. Hucusque *multi theologi consentiunt*. — Sed si quaeritur de natura lapsa, *permulti omnem exigentiam divini auxilii negant*, et quidem non solum ii, qui de peccati originalis in hac et in altera vita sequelis aequo durius sentiunt, sed etiam complures, qui secus solam spoliati a nudo differentiam urgent et parvulis limbi remota quavis tristitia bona finis naturalis concedunt. — Ut nobis constemus, debemus etiam in hac quaestione illud *principium* adhibere, ex quo in quaestione sequelarum peccati originalis maxime argumentamur: Propter illud solum peccatum, quod *non personali voluntate contractum* est, non debet homo poena positiva plecti neque iis *bonis privari, quae natura exigit*¹. Dicamus igitur: Propter solum peccatum originale homo non debet poni in ea condicione, in qua *morali necessitate* a nullo fugienda *bona etiam naturalia amittat et ignem aeternum sortiatur*. Quare Deus homini lapso, quamdiu personaliter non se averterit a fine ultimo, adhuc ea auxilia *debet*, quibus plena possibilitas evitandi gehennam obtineatur. Aut haec conclusio admittenda aut tota doctrina de sequelis peccati originalis secundum placita «tortorum infantium» mutanda est.

159. Hanc necessitatem bene cognovit Franc. Schmid, *Quaestiones selectae ex theologia dogmatica* (Paderbornae 1891) q. 4, ubi tam parvulis quam adultis ob peccatum originale bona naturaliter debita subtrahi propugnat². — Aequae dura est sen-

¹ Hoc bene ostendit G. Huarte S. J., De Deo creante et elevante ac de Novissimis (Ad usum privatum auditorum Universitatis Gregorianae) n. 526—529.

² De parvulis dicit: «Conditio infantium . . . potius misera quam felix dicenda est» (n. 29 pag. 278); de nostra vero quaestione:

tentia eorum Thomistarum, qui dicunt omnem hominem lapsum *primo instanti*, quo utatur ratione, *infallibiliter* committere peccatum mortale, nisi a Deo *indebito auxilio* praeveniatur (v. g. *Salmanticenses* t. 9 tr. 14 disp. 2 dub. 8 n. 301 s). — Neque satisfaciunt, quae Suarez (*Proleg.* 4 c. 2 n. 7—15) dicit; putat enim Deum *ne naturae quidem purae rigore debere auxilium* ad tollendam necessitatem peccandi, quae ex naturali repugnantia inter facultates appetendi simul cum externis occasionibus naturalibus oriatur; *finem* enim naturalem posse auxilio isto denegato saltem adhuc *ab iis attingi, qui ante usum rationis morentur* (n. 15). Si haec sustinere vult, neque ea, quae *postea* (c. 9 n. 12) melius disserit, satisfacere possunt. — Mazzella (n. 396—403) bene quidem *Suarezium refutat* et cum *Franzelin* de suavi Dei providentia in statu possibili *naturae purae* pulchre loquitur; sed sibi non satis constat, quando (n. 403) rationem indebiti pro praesente statu *naturae lapsae* indiscriminatim inde derivat, quod homo *peccato* positive indignus factus sit iis adiutoriis. — Billot (p. 84 s), de parvulis quidem benignissime sentiens, hac in re naturae lapsae *omnem rationem debiti negat*.

160. Alii autem e praemissis *necessarias deduxerunt conclusiones*. Optime Scheeben repugnantiam cum *miseriordia et iustitia Dei* necnon paritatem cum quaestione de *sorte parvulorum* demonstrat¹. — His assentit Fr. Georgius

«Nullum ex innumeris individuis generis humani sine gratia Christi vel, ut generalius loquamur, sine auxilio divino, quod ... suo modo supernaturale aut praeternaturale dici debet, finem naturalem assequitur aut etiam solummodo assequi potest; sed potius *omnes homines* sine ulla exceptione *moralis necessitate aeternam damnationem incurrunt* ... Simul negari nequit hanc miseriam tantamque aeternae salutis assequendae impotentiam *ultimatim* non in peccata singulorum, sed *in peccatum originale refundendam esse*» (n. 45 pag. 309).

¹ «Beim *persönlichen Sünder* ist es keine Frage, dass er durch die leichtsinnige Verschertzung der Macht, die Sünde zu vermeiden, auch verdient, von Gott sich selbst überlassen zu werden; aber die Väter und Theologen drücken sich vielfach ganz allgemein so aus, als ob Gott den *Erbsünder* verdiensterweise ganz sich selbst überlassen könne, so dass derselbe unfehlbar ausser der *negativen* Verdammung und Strafe auch eine *positive* sich zuziehen müsse. Indes scheint es nicht bloss mit der *Barmherzigkeit*, sondern auch mit der *Gerechtigkeit* Gottes unvereinbar, dass er eine vernünftige Kreatur ohne persönliche schwere Sünde in einen Zustand versetze und darin belasse, worin sie *moralisch zur vollständigen Verfehlung ihrer ganzen sittlichen Bestimmung genötigt wäre*... [Es] müssen überhaupt alle Theologen, welche mit dem hl. Thomas die vor dem Vernunftgebrauch sterbenden

Schmid¹. — Item secundum W. Wilmers S. J. Deus generi humano lapsio, si illud reparare nolisset, non secus atque hominibus in natura pura constitutis auxilia ad obtinendam beatitudinem naturalem sufficientia dedisset. Provocat Wilmers pro hac doctrina ad *Concilium Provinciale Coloniense* (a. 1860), in quo ipse theologus archiepiscopi Ioannis v. Geissel fuerat². Concilium docet p. I tit. 5 c. 18 init. (Coll. Lac. 5, 300): «Poterat quidem Deus genus humanum in Adamo lapsum non reparare ad pristinum finem supernaturalem, sed sorti sibi paratae et libere inductae suisque viribus naturali tantum auxilio adiutis committere.» Haec verba sane isti sententiae favent. — Schifini (n. 55) in hac quaestione salebrosa «*probabilius et salvo meliore*» dicit peccatum originale privare hominem solis bonis indebitis, *non autem iis auxiliis divinis, quae etiam naturae purae danda fuissent*. Nunc dantur auxilia ordinis supernaturalis, quae naturae etiam innocenti indebita sunt. Quodsi Deus nolisset hac ratione genus humanum reparare, alia auxilia exhibuisset naturalis ordinis qualia nempe praesto fuissent in statu naturae purae. — Beraza (n. 282 inst. 3) contra *Billot* «*cum communiore sententia theologorum*» (?)

Kinder ein innerlich gefriedigtes Dasein erreichen lassen, *konsequent* auch lehren, dass die zum Vernunftgebrauch kommenden Menschen sich der positiven Verdammnis erwehren können» (*Dogmatik* II [Freiburg 1878] l. 4 n. 381 s p. 669 s).

¹ «Wir wagen es nicht, hier apodiktisch zu sprechen, aber können denjenigen Theologen nicht beistimmen, welche behaupten, dass Gott den Menschen zur Strafe für die Erbsünde ganz sich selbst überlassen konnte, weil es uns mit der Liebe und Gerechtigkeit Gottes nicht zu stimmen scheint, den Menschen ohne persönliche Schuld in einen Zustand geraten zu lassen, in welchem er moralisch-notwendig seine natürliche Bestimmung total verfehlen muss, welcher unfehlbar zur «Höllengual» führt. Gesteht man den ohne Taufe verstorbenen Kindern wenigstens ein Minimum von natürlicher Seligkeit zu, so wird man auch zugestehen müssen, dass Gott dem erwachsenen Erbsünder wenigstens das allernotwendigste Mass von Hilfsmitteln gewährt und dadurch die Erlangung wenigstens eines Minimalmasses von jener Seligkeit ermöglicht hätte, wozu er von Natur bestimmt ist» (*Die kath. Lehre von der ursprüngl. Vollkommenheit u. vom Sündenfall* [Bamberg 1882] p. 90).

² «Dasselbe ist anzunehmen in der Voraussetzung, dass Gott das gefallene Menschengeschlecht nicht wieder zur übernatürlichen Ordnung erhoben, nicht ferner für eine übernatürliche Seligkeit bestimmt hätte. Auch in diesem Zustande hätte er ihm seine Vorsehung nicht entzogen, und folglich hätte er ihm die der vernünftigen Natur entsprechenden Mittel zur Erreichung einer nur natürlichen Glückseligkeit verliehen. Das Provinzialkonzil von Köln (1860) trägt diese Lehre vor...» (*Lehrbuch der Religion* IV⁴ [Münster 1886] p. 56).

docet deberi homini non obstante peccato originali potentiam moralem servandi legem naturae. In praesenti oeconomia haec potentia confertur per auxilia *gratiae*, quae nemini denegantur. Si Deus ordinem supernaturalem reparare nolisset, tamen talem habuisset providentiam, ut praesto essent media necessaria ad vitandum peccatum mortale; nam vi solius peccati originalis natura non est facta debilior, quam fuisset in puris naturalibus.

161. Ergo tuto dici potest et consequenter ad eam doctrinam de limbo parvulorum, quam Ecclesia adversus calumnias Pistoriensium defendit (Dz 1526), dici debet: Auxilium divinum, quatenus alicui *peccatori mere originali* potentiam moralem vitandi peccatum mortale praestat, *sub hoc respectu* non est indebitum. Est indebitum, quatenus nunc *ad finem supernaturalem* datur, quatenus ob merita Christi *uberius* datur, quatenus fidelibus *tamquam aliqua gratia entitative supernaturalis* datur, quatenus neque *personalibus peccatoribus* negatur. Ratio debiti, quam ostendimus, non impedit, quominus peccator etiam originalis tantum teneatur, ut hoc auxilium a Deo *suppliciter impetret*. Dummodo homo illud sibi comparare possit, liberum est Deo, ut viam statuatur, qua obtinendum sit. Etiam *parentes* solent exigere, ut filii ab ipsis multa urbane *petant*, ad quae a parentibus accipienda ius naturale habent.

162. III. Solutio alicuius difficultatis. Ex iis, quae de natura pura dicta sunt (cf. etiam *Baui* prop. 55 [Dz 1055]), sequi videtur: Deus potuisset naturam humanam ita condere, ut *vix condita statim indignisset auxilio emendatorio* conditoris, ne in summam praecipitaretur miseriam. Nonne eiusmodi opus esset male factum et imperitum proderet factorem? **Resp.** 1. *Natura humana*, in qua spiritus et materia in unitatem substantialem conflantur, est ens satis mirum, quod a priori fortasse diceremus repugnare. Talem igitur naturam mira quoque sequentur; neque videtur tam absonum, quod anima rationalis *in materiam quasi demersa* sine speciali auxilio non possit constanter in omnibus ea agere, quae ipsi *qua rationali* correspondent. — 2. Non negamus Deum posse *rationales vires* huius naturae *secundum gradum ita augere* et sensuales ita minuere, ut iam habeatur *moralis possibilitas* servandi legem naturalem, quin natura dono aliquo supernaturali, quale fuit donum integritatis, ex ordine naturae purae educta sit. *Fortasse hoc fecisset*, si ordinem naturae purae

condere voluisset. — 3. Sed aequae, immo *magis congruere* videtur divinae *sapientiae*, ut etiam naturam puram tam *imbecillam* condatur, quam nunc est natura lapsa. Nam haec imbecillitas est optimum remedium adversus pericula salutis, quae ex *superbia* oriuntur. Ut natura rationalis modo convenienti in finem suum tendat, debet a creatore instrui *libero arbitrio*. Sed praecise propter liberum arbitrium homo facile opinatur se esse independentem sive *emancipatum a Deo* (cf. *Iulianum* n. 35), et sic ex *superbia* finem ultimum amittit. Multi *angeli* huic tentationi succubuerunt. Eo magis homines, si solis liberi arbitrii viribus omnia officia implere possent, facile ad *superbiam luciferianam* pervenirent neque orarent nisi ad instar *pharisaei* (Lc 18, 11). Deus igitur probabilius etiam in statu naturae purae tamquam *sapiens paedagogus* non omnia homini necessaria inde ab initio simul contulisset, sed quaedam interim retinisset, daturus, quando humilibus precibus ab ipso impetrarentur.

Assertum. Nemo sine speciali Dei privilegio potest diu vitare omnia peccata venialia.

163. P pr. 14. — Ber. n. 251—261. — Palm. th. 29. — Mazz. n. 341—368. — Schiff. n. 115—121. — Lah. n. 168—172.

St. gu. 1. Nexus. Vires naturae lapsae ad resistendum peccatis *mortalibus*: th. 5; — *venialibus*: hoc assertum.

2. **Sensus.** Nemo in statu naturae lapsae, usum rationis adeptus, ne iustus et sanctissimus quidem; — potest moraliter; — diu: sine ordinario auxilio vix per diem; quo longius ponitur tempus, eo magis extraordinarium fit privilegium; — omnia *collective* sumpta; — peccata formalia, *saltem semi-deliberata*; — venialia: quae propter levitatem materiae vel imperfectionem consensus sunt eiusmodi, ut non inferant amissionem divinae amicitiae et aversionem a fine ultimo (v. P IX 516 ss); vocantur etiam peccata *levia* et *quotidiana*; Patres iis opponunt *crimina*. Distinguuntur in *plene deliberata* et *semi-deliberata* sive subrepticia¹. — Privilegium est *exceptio a lege generali et odiosa*. Distinguuntur a *Suarez* (l. 9 c. 8 n. 12) specialia dona gratiae: a) *secundum legem* (v. g. donum per-

¹ Quomodo per absentiam actualis advertentiae non omnis imputabilitas tollatur, v. P III 566 ss: Actualement inadvertentiam homo *virtuali saltem reflexione* animadvertit, vi cuius, si vult, intellectum ad rem considerandam applicare potest.

severantiae), b) *supra* legem (confirmatio in gratia), c) *contra* legem (immaculata conceptio, omnimoda extinctio concupiscentiae); a) non est privilegium, b) aliquo modo, sed non in rigore, c) est privilegium sensu strictissimo. Illud privilegium de quo agimus, est *contra* eam legem, qua Deus decrevit non conferre gratias superiores et permittere in omnibus individuis generis humani lapsi quaedam peccata ad bonos et sapientes fines ordinanda. — Speciale, immo specialissimum et rarissimum est hoc privilegium, si non solum pro certa materia, sed *universaliter* quoad omnia mandata neque solum pro aliquo tempore, sed *pro tota vita* datur.

164. 3. Adversarii. Pelagiani multis sanctis utriusque testamenti plenam impeccantiam adscripserunt. — Beguardi et Beguinae summum quendam perfectionis gradum cum perfecta impeccabilitate in hac vita acquiri posse affirmabant.

4. Qualificatio: «diu» est *certa conclusio*; «in tota vita» *definitur* a Tridentino.

165. Prob. I. Ecclesia. Tridentinum s. 6 can. 23 (Dz 833): Iustificatus non potest in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia. — Explicatio (v. *Ber.* 251—256 et P 175 181): Agitur 1. de statu naturae *lapsae*; — 2. de *tota vita*, ergo de usu rationis tam diu producto, ut possit humano modo sermo esse de tota vita; hinc *illatio* fieri potest ad quodlibet *spatium vitae sat magnum*; — 3. de *omnibus* peccatis venialibus, *non de solis deliberatis*; — 4. *non* de ullo *determinato* peccato; — 5. de vera *impotentia virtutis*, non merae futuritionis; — 6. de privilegio *rarissimo*. — Cf. *ib.* c. 11 (Dz 804); s. 14 c. 5 (Dz 899). — Doctrina Beguardorum et Beguinarum reicitur in conc. Viennensi (Dz 471 ss).

166. II. Argumentum. Fontes negant quemquam vitasse omne peccatum. Atqui *ex facto tam universali recte concluditur ad moralem impotentiam*, quae non ordinariis gratiis, sed solo privilegio rarissimo tollatur. — Probatior maior:

1. **Eccl. Carth.** can. 6—8 (Dz 106—108): Omnes veraciter dicunt se habere peccatum et pro se ipsis orant: Dimitte nobis debita nostra. — Tridentinum s. 6 c. 11 (Dz 804): Quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana seu venialia peccata quandoque cadunt. — 2. **Script.** Iac 3, 2:

πολλὰ γὰρ πταιομεν (πταίειν = inopinato offendere; denotatur infirmitas et subreptio) πάντες (emphatice ἅμα πάντες — *alle miteinander*). — Mt 6, 12: Dimitte nobis debita nostra (ὀφειλήματα; Lc 11, 4 ἀμαρτίας). — Mc 11, 25s; — Ps 142, 2; — 2 Par 6, 36; — fortasse Eccle 7, 21¹. — 3. Patres praesertim primis annis litis pelagianae de hac re multum agunt. Thesim pelagianam: « posse esse hominem sine peccato et facile Dei mandata servare, si velit », ita reiciunt, ut imprimis factum perfectae impeccantiae, dein etiam eius possibilitatem (cum gratiis ordinariis negent.

167. Anno 411 Caelestii prop. 6 et 7 Carthagine damnantur (P 80). — 412 Augustinus l. 2 *De pecc. mer. et rem.* impeccantiam impugnat (R 1718: Moralis impotentia secundum praescientiam Dei non superanda. — 1720; 1722: Possunt esse sine peccato per Dei gratiam et liberum arbitrium, sed non sunt). — *De spir. et litt.* 1, 1: Quomodo possit esse aliquid, etsi desit exemplum; 2, 2—4: Iste error minus molestus est, dummodo impeccantia agnoscat munus Dei; 28, 48 (R 1733); 35, 63 (R 1737). — 414 *Epist.* 156s: Idem error in Sicilia spargitur et ab Augustino refutatur. — 415 *De nat. et grat.* 36, 42 (R 1794): Excepta B. Virgine omnes sancti et sanctae non sunt sine peccato. — *De perf. iust.* 21, 44 (R 1801): Si dicunt nonnullos homines numquam consentire desiderii pravis, non nimis est reluctandum; sed valde anathemandum est, si negatur Dei adiutorium ad hoc necessarium. — Etiam Hieronymus impeccantiam impugnat. — Diospoli Pelagius explicavit suam sententiam hoc modo: Possibilitatem, ut sit sine peccato, si velit, Deus homini dedit. « Non autem diximus, quod inventiatur aliquis, ab infantia usque ad senectam qui nunquam peccaverit. » Synodus admisit, hominem cum adiutorio Dei et gratia posse esse sine peccato (*De gestis Pel.* 6, 16ss; cf. 11, 23ss). — a. 416 Patres Carthaginienses et Milevitani et 5 episcopi contra perfectam iustitiam Pelagianorum scribunt *Innocentio I* (*Epist.* 175, 3; 176, 2; 177, 16—18). — 417 Augustinus scribit *De gestis Pel.* — 418 Carth. can. 6—8 (Dz 106—108). — 420 C. 2 *epist. Pel.* 1, 14, 28 (R 1888): Multi fideles sunt sine crimine, sine peccato neminem dixerim; 4, 10, 27 (R 1894): Tertius ex tribus erroribus capitalibus Pelagianorum, quem non minus Ecclesia exhorret, est, « quia contendunt esse in hac vita vel fuisse iustos nullum habentes omnino peccatum ». — 421 *Enchir.* 64 (R 1918): Sanctorum vita inveniri potest sine crimine, non sine peccato; 71 (R 1921): sine cotidianis brevibusque peccatis haec vita non ducitur. — 428 *De haeresibus* 88 (R 1976): Pelagiani haeretici dicunt « vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum ». — Sententia Augu-

¹ Non probant Prov 24, 16 (casus in infortunia); — Iob 4, 18 (ab Eliphaz dictum, qui propter verba stulta postea vituperatur); — 1 Io 1, 8—10 (peccaminositas generis humani, qua fit, ut omnes indigeant Redemptore; includuntur igitur peccata mortalia et peccatum originale).

stini igitur *semper* fuit praeter B. Virginem neminem fuisse sine omni peccato. Si aliis sanctis hoc privilegium adscribitur, *initio* non valde adversatur, dummodo tribuatur gratiae; *postea* doctrinam impeccantiae simpliciter declarat execrabilem errorem (sed *fortasse* «*peccatum*» sensu latiore sumpsit; cf. scholium). — Testimonia Cypriani et Ambrosii affert Augustinus (C. 2 ep. Pel. 4, 10, 27s; 11, 31). Gregorium Naz. et Leonem M. v. R 981 2201; Cyrillum Alex. v. Weigl p. 272. — Etiam Cassianus hanc doctrinam fuse propugnat Coll. 23 c. 17—20 (ML 49, 1273—1278): Cap. 17: Quod sancti omnes veraciter immundos se et peccatores esse confessi sunt; cap. 18: Etiam iustos et sanctos sine peccato non esse; cap. 19: Ex dominicae precatationis formula ostendit neminem sine peccato vivere; cap. 20: Quod in ipso quoque orationis tempore peccatum declinari vix possit (hoc capite expresse impugnat omnes, qui impeccantiam naturae adscribunt humanae).

168. III. Theologi thesim statuunt et **ratione** explicant. **Thomas** 1, 2 q. 109 a. 8: Sanatio per gratiam in praesenti vita fit secundum *mentem*, appetitus vero *carnalis* nondum totaliter reparatur. Quare iustificatus potest cum adiutorio gratiae abstinere ab omni peccato *mortali*, quod in ratione consistit, sed non ab omni peccato *veniali* propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis. Ratio potest reprimere *singulos* motus, et ex eo habent rationem voluntarii et peccati; *non* vero *omnes*, quia non potest semper esse tam pervigil. — Cf. 1, 2 q. 74 a. 3 ad 2; 3 q. 79 a. 4 ad 2: *1 Io* 1, 8 non vult dicere ne per aliquam *horam* quidem posse hominem esse absque omni reatu peccati venialis, «*sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus*». — Vega (*In Tridentinum* 14, 25) intellegit can. 23 de impotentia morali late sumpta, quae fortasse aliquas habeat *exceptiones*. Idem placet Arriaga (1 d. 27 n. 37). Sed alii hoc prorsus reprobant (v. *Ber.* n. 255). Nonnulli Thomistae (*Gotti*, *Gonet*, alii apud *Ber.* n. 261) privilegium, de quo *Tridentinum*, iam ad vitanda omnia peccata *plene deliberata* exigunt contra sententiam communiorem, quam sequens S. Alfonso de Ligorio (*Theol. mor.* 3, 203) docet «*valere votum de vitandis venialibus deliberatis, cum hoc revera non sit impossibile*». — Secundum Suarez (l. 9 c. 8 n. 24) praeter B. Virginem de *solo S. Ioanne Bapt.* sine temeritate, sed minus probabiliter a paucis hoc privilegium affirmatur. Hodierni etiam *S. Iosepho* illud adscribunt, sed plerumque nonnisi in materia castitatis et post desponsationem (cf. *Ber.* 256).

Quomodo libertas servetur non obstante necessitate morali, explicatur sicut in th. 5, distinguendo elementum antecedens et consequens; explicatio est eo faciliior, quod hic non requiritur ple-

nus consensus. Deus potest hanc moralem necessitatem peccandi per culpam primi parentis inductam et personalibus peccatis auctam *permittere* eamque ad bonum finem (ad fovendam humilitatem etc.) ordinare negatis mediis ad eam tollendam necessariis; *non enim agitur de amicitia divina* dissolvenda et de *fine ultimo* amittendo. Etiam in statu naturae purae Deus intendens naturam liberam, ex spiritu et carne compositam, posset permittere impossibilitatem vitandi omnia venialia, quae ex imperfectione huius naturae sequeretur (v. *Ber.* 261 fin. 264).

169. Scholium. De perfectione iustitiae (cf. P 147 s). S. Augustinus (maxime in libro *De perfectione iustitiae* ex anno 415) negat hominem posse in hac terra «*perficere omnem iustitiam*». Sunt enim in statu naturae lapsae quaedam «*peccata necessitatis*». Eiusmodi sunt: 1. *Opera infidelium* mere naturaliter honesta (v. schol. n. 107 ss). — 2. *Peccata ignorantiae*; nam etiam ea obscuritas intellectus, ex qua procedunt, libere ab Adamo inducta est (v. P III 570 ss). 3. *Motus concupiscentiae indeliberati*; Adam enim donum integritatis libere abiecit (v. P III 587). Perfectio igitur iustitiae praeter anamartesium *continet etiam apathiam*. — 4. *Peccata venialia semideliberata*. — Propter eiusmodi peccata necessitatis Augustinus vult e *definitione* istius peccati, quod simul est poena peccati, omittere verba «*unde liberum est abstinere*» (*Retr.* 1, 15, 4 [R 1973]). Quatenus eiusmodi peccata non sunt personaliter voluntaria, nullum reatum personalem addunt. — Gratia Christi non restituit totam iustitiam originalem pro hac vita. Sed in renatis solvit nexum cum Adamo, primo capite generis humani, ei substituendo coniunctionem cum Christo, secundo Adamo. In iis peccata ex ignorantia invincibili vel ex concupiscentia indeliberata necessario orta iam nullam rationem peccati formalis habent. Hoc sensu peccatum originale *mansiit actu, sed praeteriit reatu* (*De nupt. et concup.* 1, 26, 29). Reatus concupiscentiae in regenerato, si ad mala opera ei non oboediat, non amplius valet (*ibid.* 1, 23, 25 [R 1871]; cf. *Retr.* 1, 15, 2 [R 1972]). Tamen ista ignorantia et infirmitas impedit, quominus in hac vita iustitia *perficiatur*. Si nunc iustitiam «*facimus*», i. e. si «*post concupiscentias non imus*» (cf. *Eccli* 18, 30), in altera vita eam «*perficiemus*», i. e. iam non concupiscentibus (*De nat. et grat.* 62, 72; *De perf. iust.* 11, 28). Praeceptum dilectionis in hac vita non potest tam perfecte impleri quam in altera (*De spir. et litt.* 36, 64). — Bani prop. damn. 50 s 74—76 (Dz 1050 s 1074—76).

Thesis 6. Iustus in accepta iustitia diu perseverare non potest sine auxilio Dei speciali, quod tamen nulli denegatur.

170. P 169 183 s. — Ber. 228—239; 246—250; 396—405. — *Billot*, *Grat.* (1912) p. 109 ss; *Virt. I* (1905) p. 170 ss. — *Mazz.* 306—315; 322—328; 798—811. — *Palm. th.* 49. — *Lah. n.* 257—260. — *Schiff. th.* 34.

St. qu. 1. Nexus. Pars I discutit quaestionem, utrum auxilium, cuius necessitas *th. 5 generaliter* probata est, iusto per dona habitualia in iustificatione prima collata (*th. 13*) et in iustificatione secunda augenda (*n. 484—486* et *th. 26*) satis praebetur an per alia auxilia habitibus addenda praestandum sit. — Pars II pertinet ad sectionem VI (de distributione gratiae), sed propter cohaerentiam argumentorum hoc loco absolvitur. — Quaestio autem de magno dono perseverantiae actualis, quae non debet confundi cum praesenti quaestione de potestate perseverandi, in sect. V (de efficacia gratiae) *th. 21* tractabitur, quia hoc donum potestati sufficienti superaddit efficaciam.

171. 2. Sensus. Pars I: Iustus intellegitur homo, qui in statu naturae lapsae et reparatae accepit iustitiam, i. e. dona permanentia gratiae sanctificantis et virtutum infusarum, neque acceptam mortali peccato amisit (*th. 13* et *17*; Tridentinum s. 6 c. 7 15). In hac igitur accepta iustitia — diu (ut *th. 5*) — perseverare seu statum gratiae continuare, practice: omnia peccata mortalia vitare — non potest potestate morali *th. 5* explicata — sine auxilio Dei — speciali eo sensu, ut sit aliquid a) praeter naturales potentias et habitus cum concursu generali, b) etiam praeter dona supernaturalia habitualia in iustificatione collata cum eo concursu supernaturali, qui forte statum gratiae tam connaturaliter sequitur quam concursus generalis facultates naturales (cf. *Billot, Virt. I* p. 176). Consistit igitur in eiusmodi adiutoriis externis vel internis, quae etiam *th. 5* ad augendas vires morales postulavimus¹.

¹ Nonnulli physicam necessitatem auxilii supernaturalis ad continuandum statum gratiae contendunt. Sed distinguendum videtur. Iustus utique sub gravi obligatur ad eliciendos nonnullos actus supernaturales, v. g. fidei, spei, caritatis, et secundum communioem sententiam ad hos actus gratia etiam actualis ei physice necessaria est (cf. *schol. post th. 19 n. 531 ss*). Qua sententia supposita Deus sane iusto offeret gratiam ad actus istos requisitam. Sed si Deus eam aliquando denegaret, iustus omittendo praeceptum

Pars II: Auxilium, quod plenam potentiam moralem perseverandi conferat, a Deo nulli iusto denegatur sive sufficienter in potestate uniuscuiusque iusti collocatur. Potest quidem esse, ut sufficientes vires ad superandam integram aliquam gravem tentationem *non statim ab initio* adsint; sed iustus iis viribus et auxiliis, quae habet, potest *interim* resistere, et si cum gratia remote sufficiente facit, quod in se est, et maiora auxilia a Deo petit, gratiam *proxime sufficientem* infallibiliter habebit¹.

172. 3. **Sententiae.** a) **Pelagiani** soli libero arbitrio potestatem perseverandi sine peccato adscribunt, Dei adiutoria affirmantes esse *utilia, non vero necessaria*. — b) **Semipelagiani** doctrinam S. Augustini de dono perseverantiae *actualis* vehementer impugnabant, sed ad *potestatem* perseverandi videntur cum catholicis speciale auxilium Dei postulare². Partem II,

actum supernaturalem, qui in tali supposito physice impossibilis est, non peccaret formaliter neque iustitiam amitteret (hanc sententiam *Caietani* approbat *Suarez* l. 2 c. 23 n. 4 17).

¹ Per negligentiam seu tepiditatem *venialiter* culpabilem vel per alia peccata venialia impediuntur uberiora auxilia et perseverantia in statu gratiae *difficilior* redditur, sed *moraliter impossibilis non fit*.

² *Epist. Hilarii ad August.* 226, 6: «Unde in hoc solo volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis iuvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat, hos autem, amissis et perditis viribus, credentes tantum non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.» — Videntur tamen similiter atque in *initio* fidei etiam in eiusdem *augmento* semper aliquem *praecedentem conatum liberi arbitrii* exigere, qui sit ratio, ut nova gratia ad perseverandum et proficiendum in bono necessaria detur. Quare secundum ipsos universaliter valet: «ut adiuvetur, qui coeperit velle, non ut etiam doneatur, ut velit» (ib. n. 2). Augustini doctrinam «neminem perseverare nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, praecedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantum liberum asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam» (n. 4). — *Epist. Prosperi ad August.* 225, 6: «Divino adscribere operi sanctorum merita formidant;... unumquemque... sua diligentia bonum esse posse et *libertatem* suam ob hoc Dei auxilio *iuvandam*, si, quod Deus mandat, *elegerit*. Ac sic, cum... duo sint, quae humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia et hominis oboedientia, *priorem* volunt *oboedientiam* esse quam gratiam, ut... voluntas hominis divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiciat voluntatem.» — n. 7: «Divinae voluntati impie voluntas humana praefertur, ut ideo quis adiuvetur, quia voluit, non ideo, quia adiuvetur, velit.» — Negant igitur omnem gratiam, quae volitionem praevient et efficit; admittunt solam gratiam, quae hominem iam volentem ratione huius bonae volitionis in operando bono adiuvet. Haec sunt quidem falsa, sed non praecise parti I nostrae thesisi adversantur.

quam a S. Augustino destrui putant, strenue defendunt. — c) **Augustinus** initio ad hoc speciale auxilium *non satis attendit*¹. — Dein *utramque partem thesis* clare docet (v. arg. n. 179s). — Tandem versus finem vitae donum perseverantiae actualis homini lapso et reparato necessarium ita describit, ut *difficiliter intellegatur*, quo pacto iis iustis, qui hoc donum non acceperunt, maneat *vera perseverandi potestas*².

d) **Theologi veteres**, non tam explicitè distinguentes et separantes *actualia* gratiae auxilia ab *habitibus* infusis, aliquoties ipsi gratiae habituali vim movendi, illuminandi et roborandi tribuunt (v. editores S. Bonav., *In 3 d. 30 q. 1, schol.* [tom. 3 p. 659]). Tamen auxilia actualia huic addenda non omnino neglegunt (cf. n. 182 *De ver. q. 27*). S. Thomas insufficientiam solius doni habitualis ad perseverandum in decursu vitae magis magisque cognovit. — S. Bonaventura, *In 3 d. 30 q. 1 ad resistendum* magnae tentationi videtur nihil aliud requirere quam illud *augmentum caritatis habitualis*, quod versus finem tentationis habetur ex merito resistentiae initialis. — Gratias sufficientes ad perseverandum omni iusto offerri consensu moraliter unanimi docent. Nonnulli non satis clare hoc enuntiant, quia nesciunt satis distinguere inter *potestatem* perseverandi omnibus iustis concessam et *actualem* perseverantiam solis electis donatam. — e) **Baius et Iansenius** adversantur parti II. Baius, *De lib. arb. c. 12*: Deus denegat multis virginibus sibi devotis gratiam servandi *castitatem*. Sententia Deum homini nihil impossibile praecepisse non est Augustini, sed Pelagii (Dz 1054). — Iansenius, *De grat. Chr. l. 3 c. 13*: «esse *praecepta* quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus, excaecatis, obduratis, sed fidelibus quoque et *iustis*,

¹ *Exp. qu. prop. ex Rom 60 (ML 35, 2079)*: «in quo [Spiritu Sancto] permanens, quod nihilominus est in libero arbitrio, merebitur etiam vitam aeternam».

² *De corr. et grat. 11, 32*: Adamo «non deerat adiutorium, per quod posset et sine quo non posset perseveranter bonum tenere... Si autem hoc adiutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, ... non utique sua culpa cecidissent; adiutorium quippe defuisset, *sine quo manere non possent*. Nunc autem, quibus *deest tale adiutorium*, iam poena peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; et tanto amplius datur... quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus.» — 13, 42: Alii «gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt nec perseverant; deserunt et deseruntur. *Dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantiae dono* iudicio Dei iusto et occulto.» Similia leguntur in l. *De dono persev.*

volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt *impossibilia, deesse quoque gratiam*, qua fiant *possibilia*» (cf. n. 83). — f) **Posteriores** theologi in ipsa thesi concordant, sed disputant de qualificatione, de sensu canonis 22 concilii Tridentini et de explicatione auxilii «specialis».

4. **Qualificatio.** Pars I *saltem theologice certa*; pars II *de fide definita*.

173. Prob. I. Ecclesia. Pars I. **Indiculus cap. 6** (Dz 132) maxime agit de perseverantia *iusti* (v. th. 5 n. 144). — **Araus. can. 10** (Dz 183): Etiam renati ac sancti semper implorare debent adiutorium Dei, ut possint in bono opere perdurare (usque ad mortem et consequenter per quodlibet longius tempus). — In symbolo finali (Dz 200) nota verba: *Christo auxiliante et cooperante*. — **Tridentinum s. 6 cap. 11** (Dz 804 init.): Deus monet petere, quod non possis; — **cap. 13** (Dz 806 fin.): Ut victores sint in pugna cum carne, mundo, diabolo, opus est gratia Dei et mortificatione carnis; — **canon 22** (Dz 832): «S. q. d. iustificatum vel *sine speciali auxilio Dei* in accepta iustitia *perseverare posse* vel cum eo non posse, A. S.»

174. Sensus huius definitionis (v. *Ber.* 228—230): a) *Ad minimum* definitur iustum de facto non perseverare finaliter sine speciali auxilio, intellegendo «posse» de potestate futurationis tantum. — b) *Moraliter certum* est etiam agi de potestate virtutis; nam hic sensus verbi *posse* semper praesumendus est, et *alterum membrum* canonis «vel cum eo non posse», si de *futuratione* intellegendum esset, errorem nimis stultum neque ab ullo assertum damnaret, scil.: «qui cum auxilio Dei perseverabit, non potest cum eo perseverare». — c) Probabilius *directe* est sermo de potestate perseverandi usque ad finem vitae; nam haec est perseverantia per excellentiam, et sic canon magis respondet cap. 11 et 13. Nihilominus *illatio* fieri potest et debet ad *quodlibet spatium* vitae, quod sat diuturnum usum rationis complectitur. *Ratio* enim necessitatis cap. 13 desumitur *ex difficultate pugnae* adversus inimicos salutis gerendae. Ergo omnis iustus, cui haec pugna per tempus considerabile incumbit, isto auxilio speciali indigebit, neque hoc pro solo ultimo vitae spatio valebit. — d) Hic canon exigit auxilium gratiae sanantis ad superandas *difficultates naturae lapsae*, non auxilium gratiae elevantis ad *omnem omnino actum salutarem* iusti. Hoc probant *capita* canonum cor-

respondentia et insuper acta Tridentini, ex quibus elucet concilium noluisse hoc loco quidquam decidere de *quaestione* inter catholicos *controversa*, utrum concursus specialis ad singulos actus meritorios iustorum requiratur¹. — e) Non est auxilium extraordinarium et veluti sui generis, distinctum a summa gratiarum, quibus iustus adversus singulas difficultates iuvatur. Ita recte *Mazz.* n. 315 et *P* 184; sed sine causa *Suarez* impugnatur, quasi oppositum doceat; hic revera nihil aliud exigere videtur quam Tridentinum secundum datam interpretationem (l. 10 cap. 2; — cf. *Ber.* 230 236). — f) Non est restringendum hoc auxilium ad eas solas motiones internas, ad quas bene recipiendas *dona Spiritus Sancti* secundum doctrinam S. Thomae iustum disponunt. Id videtur facere *Billot*, *Grat.* p. 109 et maxime *Virt.* I p. 173 ss, ubi ponit thesim 7: « Ut iustus in accepta iustitia perseverare in eaque proficere possit, necessarius est ei *specialis instinctus Spiritus Sancti*, identidem pro adiunctorum varietate per illustrationes mentis et motiones voluntatis superveniens. Huius porro instinctus connaturale receptivum est anima prout instructa donis » Spiritus Sancti. — Potest sane esse, ut auxilium speciale a concilio postulatum *magna ex parte* hoc modo detur

¹ Em. Lingens S. J. canonem intellegere voluit de gratia actuali elevante ad singulos actus bonos iustorum necessaria (*ZkTh* 1896, 40 ss); sed Ant. Straub validis argumentis eum refellit (ib. 1897, 107—140: « Ueber den Sinn des 22. Canons der 6. Sitzung des C. v. Tr. »). — Ehses, *Concilium Tridentinum* t. 5, de historia huius canonis haec habet: In n. 12 (*Lineamentorum decreti concipiendi*; pag. 429, 27 ss) dixit *Ant. de la Cruz*, episc. canariensis O. M. Obs.: « Quae dicuntur de concursu Dei, considerentur bene, ne damnentur multi doctores, qui aliter sentiunt » (509, 6 ss). Respondit *Seripando*, generalis O. Erem. S. August., qui in praeparando decreto maximas partes habuit: « In hoc canone nihil dicitur de concursu Dei, unde doctor aliquis damnari posse videatur » (522, 34 s). Postea Canariensis proponebat, ut in can. 22 pro « *auxilio speciali* » dicitur « sine gratia Dei » (720, 37 s). Tandem die 6 Ian. 1547 suffragiis 12 contra 4 decretum est debere manere illam dictionem « *speciali* » (v. etiam Jos. Hefner, *Die Entstehungsgeschichte des Tridenter Rechtfertigungsdekretes* [Paderborn 1909] p. 352 not. 1; Fr. Hünermann, *Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil von Trient* [Paderborn 1926] 26 et Theiner I 249). — Ceterum explicatio Patris Lingens non satis servat specialitatem huius auxilii a Tridentino intentam. Nam secundum Lingens iste concursus supernaturalis tam connaturaliter datur omni actui honesto iustorum, quam concursus naturalis actibus naturalibus. Auxilium vero a Tridentino definitum est quidem in potestate omnis iusti, sed a Deo precibus impetrandum est (c. 11: *petere, quod non possis*). Ergo est aliquid, quod accedere debet ad dona habitualia accepta in iustificatione et ad illum concursum, qui hunc statum connaturaliter sequitur.

(cf. *Thom. S. th.* 1, 2 q. 68 a. 2 ad 3). Sed stricte probari id vix potest, cum natura donorum S. Spiritus non sit satis explorata (cf. n. 458—461), neque in Tridentino praecise de hac re cogitarunt. *S. Thomas* vero, quando de auxilio speciali ad perseverandum necessario loquitur, imprimis ad *providentiam Dei externam* provocare solet (v. infra n. 182 s).

Praxim Ecclesiae orantis et fidelium v. th. 5 n. 142.

175. Pars II. **Clausula Araus.** (Dz 200): «Secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.» Ergo auxilium ad perseverandum necessarium omnibus in gratia baptismatis constitutis ita praestest, ut, si velint, possint in bono perseverare; hoc est dogma fidei catholicae. — **Tridentinum s. 6 cap. 11** init. (Dz 804) vetat, ne quis utatur «temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce, *Dei praecepta* homini iustificato ad observandum esse *impossibilia*»; nam Deus adiuvat petentem, ut possit. Immo mandata non sunt gravia (cum auxilio gratiae). Peccatis venialibus, quae utique non omnia vitari possunt, iustitia non amittitur; mandata vero graviter obligantia cum Dei auxilio servari possunt. «Deus namque sua gratia semel iustificatos *non deserit, nisi ab eis prius deseratur*»; — cap. 13 (Dz 806): Deus, nisi ipsi gratiae defuerint, coeptum opus perficiet; — cap. 15 (Dz 808): «... qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt»; — can. 22 (Dz 832): «... vel cum eo non posse»; — **can. 18** (Dz 828): *Dei praecepta* homini iustificato et sub gratia constituto non sunt ad observandum impossibilia. — Ergo iste error a Tridentino *absolute* damnatur nec solum, uti *Iansenius* voluit, quatenus *ex doctrina Protestantium* de operibus iustorum peccato originali intrinsecus corruptis profluit. Quae haeresis can. 25 (Dz 835) specialiter damnatur. Cap. 11 vero etiam *positive* docetur iustum posse sibi orando comparare gratiam ad perseverandum sufficientem. Hinc merito tamquam haeretica damnatur **Iansenii prop. 1** (Dz 1092). Si enim *praesentes vires* nondum sufficiunt, iusti possunt sibi a Deo maiores impetrare, et sic *non deest illis gratia*, qua praecepta Dei ipsis impossibilia fiant. — Speciatim quoad *castitatem* docet Tridentinum s. 24 can. 9 (Dz 979) Deum recte petentibus non denegare castitatis, quam voverunt, donum, — et quoad *fidem*.

Vaticanum s. 3 cap. 3 fin. (Dz 1794): Deus, quos in lumen catholicae fidei transtulit, « in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, *non deserens, nisi deseratur* ».

176. II. Scriptura. Pars I (v. textus n. 147 allatos et Mazz. n. 322). 1. Iustus manet in hac vita *periculosissima pugna*. Exhibentur ut *certantes* certamen fidei (1 Tim 6, 12: *ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα*), *colluctantes* adversus daemonia (Eph 6, 12: *ἡ πάλη*), *militantes* ut *militēs gravis armaturae* (Eph 6, 11: *τὴν πανοπλίαν*), vel in genere tamquam *militēs* (2 Tim 2, 3: *ὡς καλὸς στρατιώτης*; cf. 1 Tim 1, 18), *pugno* certantes (1 Cor 9, 26: *πυκτεύω*). Inimici salutis sunt in genere *tentationes* (Iac 1, 2 12), speciatim *concupiscentia* (Iac 1, 14), *seductores* (2 Io 7), *diabolus* (1 Petr 5, 8; 2 Cor 11, 14; Eph 6, 11) et *spiritualia nequitiae* (Eph 6, 12). — 2. Monentur, ut *sibi procurent auxilium Dei*, sine quo victores esse non possunt. Adhibeant fidem (1 Petr 5, 9) et alia arma, quae Deus dat (Eph 6, 10ss; 11: *induite vos armaturam Dei*); auxilium Dei *implorent* (Mt 6, 13; 26, 41).

177. Pars II. 1. 1 Cor 10, 13 (v. Cornely et Ber. 401). V. 1—12 S. Paulus absterret Corinthios a falsa securitate, qua opinentur propter magna beneficia divina iam percepta salutem esse in tuto positam. Etiam *Israelitae* baptismo quodam typico in mari rubro baptizati et esca potuque caelesti refecti erant. Tamen ob peccata sua misere in deserto interierunt. Haec in figura (*τυπικῶς*) contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram (11). Ergo etiam christianis, baptismo e mundo egressis et eucharistico pane nutritis, lapsus et interitus adhuc sunt pertimescendi. Quare qui se existimat stare (certitudinem de statu gratiae non habet), caute sibi invigilet, ne ruat in peccata (12). Ne tamen Corinthii his verbis nimis exterriti de salute desperent, nunc in spem eos erigit (13): *Tentatio* (*πειρασμός*), i. e. quidquid ad peccandum allicit et causa ruinae spiritualis esse potest, hucusque *vos non apprehendit nisi humana*, infirmitati humanae adaptata. Etiam pro tempore futuro in *fidelitate Dei* firmissimam licet collocare spem. Deus, qui vos ad fidem vocavit, ut salutis participes fiatis, fidelitate sua tenetur, ut tentationes, quas permittit, *vestras vires non sinat excedere*. Ipse dabit cum tentatione etiam felicem *exitum*, dando *facultatem sustinendi* (*τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν*). Hoc valet de tentationibus *involuntariis*. Pericula autem *voluntaria* caute fugiant. Quare caveant sibi ab idololatria (14). — S. Paulus non solos praedestinos

alloquitur, ut *Iansenius* et *Estivus* explicant, sed *omnes fideles*; nam vult omnes consolari et adversus tentationes munire. *Tri-dentinum* (Dz 979) textu utitur quoad omnes, qui castitatem voverunt. — Est igitur doctrina S. Pauli: Deus fideles supra eorum vires tentari non sinit, sed *auxilio vere sufficiente* iis aderit, ut tentationem vincere possint.

178. 2. Secus multae exhortationes non haberent sensum: Io 15, 4 9: Manete in me, — in dilectione mea. — Apc 2, 10: Esto fidelis usque ad mortem. 3, 11: Tene quod habes. — 2 Petr 1, 10: Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquando.

3. Iusti possunt mandata sat facile observare: Mt 11, 30: Iugum suave et onus leve. — 1 Io 5, 3: Mandata eius graviora non sunt. — Cf. ex Vet. Test. Eccli 15, 16 ss: Si volueris mandata servare, conservabunt te etc. — Deut 30, 11 ss. — Deus iustos non derelinquit: Ps 36, 23—40; — Eccli 2, 12; 27, 9; 34, 19; — Prov 3, 21—35; singulari providentia eos protegit: Ps 33, 16; 39, 18; — Zach 2, 8; — Is 49, 15 s.

179. III. Patres. Pars I. Origenes, In Ps 4 (R 485): Opus est voluntate nostra et divina, ut is, qui bonus factus est, in virtute perseveret. — **Hilarius, In Ps 118** litt. 16 n. 10 (ML 9, 610): «Miseratione eius opus est, ut in hac servitutis nostrae professione maneamus.» — **Chrysostomus, In Gen** hom. 25, 7 (R 1153): «Festinemus et urgeamus . . . , ut superno adiuti subsidio etiam ad finem pervenire valeamus.» — Cf. th. 5 n. 148 (R 1191 1210). — **Ambrosius, In Lc 2, 84** (th. 1 n. 49): Nemo potest custodire sine Domino. — **Hieronymus** (v. th. 5 n. 149). — **Cyrillus Alex.** (v. *Weigl* p. 251 ss). — Quoad **Augustinum** et **discipulos** adversus Pelagianos dimicantes haec pars est manifesta; cf. textus n. 149 citatos; praeterea August., *De grat. et lib. arb.* 6, 13: «Necessarium est homini, ut . . . etiam cum fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia et incumbat super ipsam, ne cadat.»

180. Pars II. Patres **graeci** saepe dicunt Dei praecepta non esse impossibilia, immo tam facile impleri, ut nulla sit excusatio ei, qui non impleverit (v. *Habert* l. 1 cap. 15). — **Basilii** saepe monet, ut in tentationibus spes firma in Dei auxilio ponatur, v. g. *Epist.* 140, 1; 174 fin; 219, 1; 220 (MG 32, 585 s 652 812 813 s; — v. *E. Scholl* p. 113 s). — **Gregorius Nyss.,**

De beatitudinibus orat. 6 (MG 44, 1265): Lex Dei non cogit ad id, quod naturam excedit. « Neque enim volucres fieri iubet, quibus alas non produxit » (cf. *Aufhauser* p. 164 s). — **Chrysostomus**, *In Act* hom. 23, 3 (MG 60, 182), catechumenum, qui baptismum differt, quia praecepta vitae christianae servare nequeat, interrogat: Ergo impossibilia praecepit Deus? Mandata facilia esse iis, qui serio velint rem aggredi, ostendit *In Hebr* hom. 16, 4 (MG 63, 126 s); cf. *In Mt* hom. 76 (77), 4 et *In 1 Cor* hom. 9, 2 (MG 58, 699; 61, 77). — **Theodoretus**, *QQ in Deut* 38 (MG 80, 441) ad Deut 30, 11—14: « Observandorum quoque legum facilitatem ostendit. » — **Ephraem**, *Sermo de patientia* (Assemani t. 2 gr., 328 s; apud *Ber* 402): Deus novit, quantis probationibus atque tribulationibus tentationibusque indigeant animae ipsi placere volentes. — **Augustinus** in *sermonibus* ad populum et in *prioribus scriptis adversus Pelagianos*. *De nat. et grat.* 26, 29 statuit principium: « Deus non deserit, si non deseratur, ut pie semper iusteque vivatur »; 43, 50: « Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet et facere, quod possis, et petere, quod non possis »; 69, 83: « Firmissime creditur Deum iustum et bonum impossibilia non potuisse praecipere; hinc admonemur et in facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus » (v. Dz 804). — Cf. *De grat. et lib. arb.* 16, 32; *In Ps* 56, 1. — *In Ps* 145, 9 de auxilio in tribulatione praestando dicit: « Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur. »

181. IV. Theologi. Pars I. **S. Anselmus**, *De conc. grat. et lib. arb.* cap. 4 (ML 158, 524 s) ostendit rectitudinem voluntatis per gratiam praevenientem obtentam non nisi *per gratiam subsequentem servari*, et ex multifariis modis, quibus hoc fiat, nonnullos enumerat, v. g. « *mitigando* aut *penitus removendo vim tentationis* impugnantis aut *augendo affectum* eiusdem rectitudinis ». Etiam quidquid secundum *Dei dispositionem* contingit homini, quod adiuvet ad servandum hanc rectitudinem, totum gratiae imputandum est.

182. S. Thomae doctrina hanc fere habuit evolutionem. In **Sent.** pauca habet. Occasione data distinguit inter *virtutem perseverantiae*, cuius actus est habere propositum semper in bono permanendi, et quandam *circumstantiam* consequentem virtutes alias, quae ponit continuationem virtutis sive actualem durationem in actibus virtutum usque ad finem (*In 2 d.* 29 a. 3 ad 2; — d. 43 a. 3 ad 3; — *In 3 d.* 33 q. 3 a. 3 ad 4; — d. 36 a. 2 ad 4). Ad iustitiam retinendam ex parte Dei non danda est *alia gratia* (habitualis),

sed *conservatio iustitiae gratuita* (In 2 d. 29 expos. text.). De *speciali auxilio* non videtur cogitare (cf. n. 151, quid in hoc scripto sentiat de vitandis a peccatore ulterioribus mortalibus peccatis). — **De ver. q. 24 a. 13** affirmat *perseverantiam* debere a Deo donari; sed adhuc tenet iustum posse vi gratiae habitualis *vitare omnia mortalia peccata*. Ut haec inter se conciliet, *mutat* quadamtenus clarum et planum *conceptum perseverantiae* prius statutum. «Aliud est dicere *posse abstinere* a peccato, et *posse perseverare usque ad finem vitae in abstinentia* a peccato.» Hoc alterum dicit potestatem, ut «aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo esse non possit». Sed homo non potest actu liberi arbitrii se *impeccabilem* facere. — Rectius de necessitate auxilii loquitur ibid. **q. 27 a. 5 ad 3**: Praeter *habitum* gratiae indigemus *divina operatione* propter infirmitatem naturae et multitudinem impedimentorum. «Et ideo habens gratiam necesse habet petere divinum auxilium, quod ad gratiam cooperantem pertinet.» In corp. et ad 1 et 2 locutus erat de gratia operante et cooperante, quasi nihil aliud esset nisi unus ille habitus gratiae; immo ad 2 dixerat: «*Ab ipsa firmitate habitus* causatur resistentia, qua resistimus peccato». Ex resp. ad 3 discimus hoc ita intellegi, ut ad gratiam cooperantem etiam pertineat divinum auxilium ab habente gratiam a Deo petendum. Haec observatio inservire potest ad alios quoque textus S. Thomae et theologorum istius temporis recte intellegendos (cf. St. qu. n. 172 d et P 169). — **S. c. g. 3, 155** probat *3 rationibus*, «quod homo indiget divino auxilio ad perseverandum in bono». Sed ex parte iterum istam *impeccabilitatem* postulat, ex parte alia improbabilia immiscet. In *fine capituli* bene ostendit habitus infusus nos non satis stabilire in bono. Quare «*habitis omnibus habitibus gratuitis* adhuc indiget homo *divinae providentiae auxilio* exterius gubernantis». — Tandem in **S. th.** distinctionem inter «abstinentiam a peccato» et «perseverantiam in abstinentia a peccato» necnon alias rationes in S. c. g. prolatas missas facit; necessitatem vero specialis auxilii tam *ad vitandum peccatum* quam *ad perseverandum in iustitia* requirit eamque probat *una eademque ratione*, scil. ex infirmitate naturae lapsae, sola gratia habituali non perfecte sanatae. Sicut alii theologi sui temporis vix explicite distinguit inter *potestatem* perseverandi et donum *actualis* perseverantiae.

183. S. th. 1, 2 q. 109 a. 9: Praeter *habituale donum*, per quod natura sanetur et elevetur, homo indiget, ut a Deo *moveatur ad recte agendum* a) ratione generali, quia *omnis causa secunda* ad actum indiget motione causae primae; b) ratione speciali propter condicionem status humanae naturae, quia mente per gratiam sanata remanet tamen *corruptio et infectio carnis* et etiam quaedam *ignorantiae obscuritas* in intellectu... Ideo necesse est, ut a Deo *dirigamur et protegatur*. — a. 10: Ad perseverandum homo «non indiget aliqua alia habituali gratia, sed *divino auxilio ipsum dirigente et protegente* contra tentationum impulsus, sicut ex praecedente quaestione [a. 9] apparet... , ut scil. *custodiat a malo* usque

ad finem vitae». — q. 114 a. 9: Liberum arbitrium naturaliter flexibile perseverantiam in bono obtinere potest a Deo aut *determinatione* ad bonum per gratiam consummatam gloriae aut *inclinatione* usque ad finem ex parte motionis divinae. — 2, 2 q. 137 a. 4: Ad actum perseverantiae durantem usque ad mortem homo indiget non solum gratia habituali, sed etiam *gratuito Dei auxilio* conservantis hominem in bono usque ad finem vitae. *Vertibilitas* non tollitur a libero arbitrio per habituales gratiam praesentis vitae. Potest quidem *eligere*, ut se immobiliter in bono statuatur, sed non potest hoc suis viribus *exsequi*.

Scotus, *In 4 (Oxon.)* d. 22 n. 17 (ed. nova paris. t. 18, 817 a): Quod aliquis non habeat peccata dimittenda, «sine praeservatione divina esse non potest» (cf. *Parth. Minges*, Gnadenlehre des D. Scotus, p. 59 s).

184. Pars II. **Anselmus** l. c. n. 181 (ML 158, 525) etiam dicit: «Sic autem gratia subsequitur donum suum, ut *nunquam*... illud dare *deficiat*, nisi liberum arbitrium volendo aliud rectitudinem, quam accepit, *deserat*.» — Cf. *De casu diaboli* cap. 3 fin. (ib. 332). — **Bonaventura** *In 3*, d. 30 q. 1: «Deus hominem habentem caritatem *nunquam deserit*, nisi ille voluntarie ab eo *recedat*; quin potius secundum quod augetur tentationis bellum, operatur Deus caritatis augmentum.» — **Thomas** 1, 2 q. 109 a. 8 asserendo iustificatum posse abstinere ab omni peccato mortali, et a. 9 ad hoc, ut possit vitare peccatum, postulando auxilium Dei dirigentis et protegentis, implicite affirmat hoc auxilium praesto esse omni iusto.

185. **V. Ratio.** Pars I. *A priori* non possumus scire, quantum ad hoc valeant *habitus* infusi, qui secundum multos theologos, praesertim antiquiores, praeter elevationem facultatis etiam internam *inclinationem ad actum* conferunt. Sed experientia, v. g. alicuius *bibuli* modo cum Deo reconciliati, ostendit habitus infusos *non tollere* totaliter oppositos *habitus acquisitos vitiosos* neque alias difficultates. Hinc facile concluditur sola habitualia dona infusa probabiliter non afferre auxilium sufficiens ad vincendas omnes tentationes. — Iustis relinquitur *concupiscentia* ad agonem (*Tridentinum* s. 5 can. 5 [Dz 792]) vel remanet *corruptio* et infectio quantum ad carnem et quaedam ignorantiae *obscuritas* in intellectu (*Thomas* a. 9). Ergo praeter iustitiam infusam opus est speciali auxilio.

Pars II. Deus ne obduratis quidem peccatoribus denegat gratiam remote sufficientem (th. 25). Ergo eo minus dilectis suis *filiis* denegabit auxilium ad retinendam iustitiam necessarium. — Consequenter ad iustificationem gratis concessam Deus utique *debet* suae sapientiae, bonitati et fidelitati, ut media plene sufficientia ad conservandum statum gratiae praebeat, quamdiu homo non graviter desit officio. Sed hoc quasi complementum iustificationis *gratuitatem eiusdem participat*, sicut omnia merita et praemia supernaturalia rationem gratuiti retinent (cf. n. 5, 3). — Deus potest praecipere et sapienter praecipit, ut hoc auxilium precibus ab ipso impetremus (cf. n. 161).

Corollarium I^{ae} sectionis. Gratia confert vires cum morales tum physicas ad honeste et salutariter agendum.

P 45—48. — Palm. th. 14 s.

186. I. Fontes exhibent naturam humanam lapsam et gratia destitutam tamquam *moraliter impotentem*, infirmam, languidam, sopitam, pronam ad malum, difficilem ad bonum, in vehementi pugna adversus carnem, mundum, diabolum facile succumbentem; gratiam vero ut isti *moralis impotentiae medentem*, difficultates et pericula removentem, vires infirmas confortantem, facilitatem, suavitatem, delectabilitatem, amorem boni influentem (th. 5 et 6). Per se *etiam physico influxu* debiles vires morales possunt reddi alacres et promptae, sicut homo opus difficile facilius praestat, si corpus cibo potuque physice reficitur. Sed plerumque impotentia moralis tollitur atque facilitas et suavitas agendi confertur *mediis moralibus* sive causalitate morali influentibus, i. e. eo, quod ab intellectu voluntati proponuntur motiva, quae amorem, odium, spem aliosque affectus gignunt¹. Hoc modo revera **fontes** saepe efficientiam gratiae describunt: **Scriptura:** Deus per gratiam vocat (Mc 2, 17; Rom 8, 30), invitat (Mt 22, 3), pulsat (Apc 3, 20), excitat e somno (Eph 5,14), illuminat (Eph 1, 18; 5, 14; 2 Cor 4, 6), docet (Io 6, 45), revelat (Mt 11, 25; 16, 17), aperit cor (Act 16, 14), exhortatur corda (2 Thess 2, 16), inclinat cor (Ps 118, 36; 3 Reg 8, 58), dat gaudium (Gal 5, 22; Rom

¹ Potest Deus etiam *via extraordinaria* ultra influxum obiecti ab intellectu propositi immediate in voluntate eos motus producere, quibus vires morales sensu explicato conferantur; cf. *Librum Exercitiorum S. Ignatii de Loyola*, reg. 2 de discr. spir. 2^{ae} hebd.

14, 17), suavitatem (Sap. 12, 1; Ps 33, 9), dulcedinem (1 Petr 2, 3), caritatem (1 Io 4, 7), dilectionem (2 Tim 1, 7), timorem Domini (Ps 118, 38 120), fortitudinem (Act 6, 8), sanat omnes infirmitates (Ps 102, 3), reficit reddendo iugum suave et onus leve (Mt 11, 28—30), adiuvat infirmitatem (Rom 8, 26), confortat (Phil 4, 13; 1 Tim 1, 12), confirmat solidatque (1 Petr 5, 10). — **Concilia et Pontifices:** Carth. can. 4: revelat, aperit intellegentiam, dat dilectionem; Indic. cap. 6: humanae infirmitati praestat remedia; clausula: arbitrium de tenebroso fit lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente providum; Araus. can. 5: corrigit voluntatem; 17: dat fortitudinem; Trident. s. 6 cap. 5: illuminat; 6: concutit timore, erigit in spem; 11: adiuvat ad mandata facile implenda; 13: confortat ad strenuam pugnam. — **Patres:** Cyprianus *Ad Donatum* (R 548): Baptismus dedit lumen, confirmationem, facultatem (i. e. facilitatem). Augustinus ipse expertus est flagella timoris et pudoris, blandimenta, irrisionem hortatoriam, lucem securitatis, suavitatem, dulcedinem mirabilem, affectum pietatis exaestuante (*Conf.* 8, 11 s; 9, 1 6); varios modos, quibus gratia homines vocat, describit tamquam moraliter influentes (*Ad Simpl.* 1, 2, 14); delectationem victricem caritatis saepe exhibet (R 1568 1722 1724 1822). De vocatione gentium 2, 26 et Prosper *C. Coll.* 7, 2 (v. P 24; R 2035). — Hisce locutionibus sane aliquoties etiam efficientia *physica* gratiae elevantis *metaphorice* designatur, sed *primario et proprio verborum sensu* exprimitur causalitas *moralis*; nam gratia generatim describitur, prout mediante intellectu et proponendo motiva retrahat a malo et impellat ad bonum atque sic augeat eas vires hominis, quae quidem adsunt, sed propter obscuritatem intellectus, infirmitatem voluntatis, vehementiam pravae cupiditatis, magnitudinem et multitudinem impedimentorum externorum aegerrime in actum satis perfectum exe-runtur. — **Ratio** iudicat Deum in gubernanda natura rationali, quae finem suum cognoscit eumque suis liberis actibus appetere debet, *sapienter et convenienter* eundem modum adhibere, quo etiam educatores, legislatores, oratores humani influxum in liberum arbitrium aliorum exercere solent.

187. Nota (cf. P 46; Palm. p. 51—53). Deus *solis mediis morali-bus* et *intacta* hominis *libertate* potest infallibilem gratiae efficaciam obtinere; nam inter posibles suasiones indefinite multas Deus scientia media cognoscit aliquas ita congruas, ut huic homini in his adiunctis persuadeant (v. n. 641). Potest utique Deus, si vult, etiam ita augere influxum moralem, ut *libertas* hominis *minuatur*,

immo penitus tollatur, et dissensus evadat non solum moraliter, sed etiam *physice* impossibilis. Nam vis liberi arbitrii creati non est infinita; quare motivis moralibus summae intensitatis, prout omnipotenti Deo praesto sunt, ne physice quidem potest resistere. Porro Deus etiam extra visionem beatificam curare potest, ut actus honestus hic et nunc *sub sola ratione boni* appareat velata quavis ratione mali; iam *sublato iudicio indifferente* voluntas necessitate physica in talem actum feretur.

188. II. Gratia non solum comparanda est magistro, quatenus *munusculis* discipulum ad bene scribendum allicit, sed etiam, quatenus pueruli artis scribendi ignari *manum ducit* simulque cum eo litteras format (P 45), i. e. praeter vires morales etiam novas vires physicas addit atque ita actus sine hoc adiutorio simpliciter impossibiles primum possibiles reddit. In th. 1 *physica necessitas* gratiae considerabatur in oppositione ad necessitatem mere moralem (n. 34 c). Necessitas non mere moralis per se potest etiam ex eo oriri, quod aliqua *condicio sine qua non* vel aliqua causa moraliter dignificans absolute requiratur; v. g. ut ablutio producat gratiam baptismalem, forma baptismi sane non est moraliter tantum necessaria; tamen secundum probabiliorem sententiam haec forma non confert aquae vires physicas supernaturales ad effectum gratiae producendum. Nunc igitur *plus* asserimus quam in th. 1. — **Fontes** enim de absoluta necessitate gratiae ad actus salutare ita loquuntur, ut debeamus concludere gratiam non solum esse *condicionem necessariam*, ut Deus aliquem actum tamquam salutarem acceptet, neque fieri hanc acceptationem ex eo tantum, quod gratia actui tribuat aliquam *dignitatem* ordinis mere moralis vel iuridici, sed eam conferre facultatibus humanis *physicas vires altioris ordinis* ad effectum secus physice et absolute impossibilem producendum. — **Scriptura** enim loquitur de influxu vitis in palmites, de regeneratione, vivificatione, resuscitatione, nova creatione, incremento a Deo dando (th. 1 et 2); porro absolute exigit gratiam ad actus quosdam respectu virium moralium certe *non adeo onerosos*, v. g. ad cogitandum et volendum bonum (n. 41 s). — Similiter **Concilia** docent actus *de se facillimos*, ut desiderare salutem, petere, cogitare, eligere, non posse fieri, sicut oportet et expedit ad salutem, nisi gratia adiuvet, cum *vigor naturae* ad hoc non sufficiat (Araus. can. 6 s). Quoniam vigor moralis ad quosdam ex his actibus aperte non deest, requiritur vigor physicus altioris ordinis. — Liberum arbitrium peccato non solum infirmatum, sed aliquo sensu *amissum* est (Araus. can. 13). —

Trident. s. 6 cap. 16 relationem Christi capitis et vitis ad membra et palmites non tamquam meram condicionem vel moralem dignificationem, sed tamquam *causam novarum virtutum* absolute necessariarum exhibet: Christus iugiter *virtutem influit* (Dz 809 med.). — Consonant **Patres**; v. praesertim Iren., Bas., Cypr., August., Leonem (th. 1 n. 46ss). — **Thomas** *morales* vires gratiae contra obscuritatem ignorantiae et corruptionem carnis exigit v. g. 1, 2 q. 109 a. 8 et 9; *physicas* a. 5 (« homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc exigitur *altior virtus*, quae est virtus gratiae »); *utrasque* a. 2.

189. Gratia naturae lapsae conferens vires morales vocatur sanans seu medicinalis; naturae rationali in quolibet statu versanti addens altiores vires physicas dicitur gratia elevans (n. 5, 6). Quaedam gratiae dona utramque functionem simul praestant, alia nonnisi alterutram.

190. Epilogus. Sectione I necessitatem gratiae non omni ex parte consideravimus. Omissimus gratiam *patriae*, scil. lumen gloriae ad videndum Deum necessarium. Gratiam *viae* tractavimus, *quatenus confert vires* ad mala vitanda, ad bona et salutaria operanda. Ast hoc munere necessitas gratiae non exhauritur. Gratia *habitualis* est necessaria etiam propter quosdam *effectus formales*, qui non versantur circa facienda et vitanda; eiusmodi sunt delere peccata iam contracta, conferre consortium divinae naturae, constituere filium Dei adoptivum, fundare relationem inhabitantis Spiritus Sancti (de his in sect. III). Porro gratia sanctificans est necessaria, ut elevando personam hominis operibus salutaribus conferat rationem *meriti de condigno* (sect. VII). Tandem specialis ratio necessitatis gratiae *actualis* ex eo provenit, quod gratia efficax praeter vires ad bene agendum requisitas et sufficientes etiam ipsum *actum secundum* boni operis, praeter potestatem perseverandi etiam ipsam *perseverantiam actualem* donat (sect. V).

SECTIO SECUNDA

DE GRATUITATE ET SUPERNATURALITATE GRATIAE

ARTICULUS I

DE GRATUITATE GRATIAE RELATE AD OPERA HOMINIS LAPSI

DE VOCABULO ET CONCEPTU GRATUITATIS

191. Gratia sensu obiectivo (n. 2) est *donum gratis datum* (n. 6). Adverbium gratis (ex ablativo *gratius* ortum) sive aliud adverbium gratuito (ex adiectivo *gratuitus*) significant: ad modum doni, sine pretio, mercede, intentione utilitatis propriae sive lucri (*umsonst, geschenkweise, nicht als Entgelt*). Inde Scholastici formaverunt substantivum *gratuitas*¹. — *Χάρις* sensu obiectivo vel *χάρισμα* est *δώρον* seu *δώρεά, ἐδωγ-γεία*, confertur *δωρεάν*, ad modum doni, gratis, non tamquam *μισθός*².

192. Gratuitum igitur opponitur *mercedi* iuste redditae et similibus rationibus *debiti*; itaque est idem atque indebitum. Varias species indebiti: 1. *Indebitum negative*: non

¹ Cf. effata S. Augustini: « Non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod et gratia nominatur » (*De nat. et grat.* 4). — « Quid est gratia? Gratis data. Quid est gratis data? Donata, non reddita » (*In Io* 3, 9). — « Gratia donatur indignis, ut reddatur debitum dignis » (*De gestis Pel.* 14, 33). — « Non enim... gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo » (*De pecc. or.* 24, 28).

² Cf. Rom 3, 24; 4, 4; 11, 6 (th. 7 n. 201, 1) et definitionem Aristotelis (*Rhet.* 2, 7 [ed. Bekker p. 1385 a 17—19]): *ἔστω δὲ χάρις, κάθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ἔχειν, ὑποργία δεομένη μὴ ἀντι τινας, μηδ' ἵνα τι ἀντὶ ὑποροῦνται, ἀλλ' ἵνα τι ἐκείνῳ.*

existit subiectum, cui aliquid debeatur, et *positive*: subiecto existenti non debetur (v. n. 5, 4). — 2. *Alio sensu* indebitum *negative*: exclusio debiti est mera negatio; indebitum, quia non debitum; et *positive*: quatenus potius contrarium positive debetur; v. g. accipit beneficium, qui iuste meruit poenam. — 3. *Indebitum naturae*: natura in actu primo eiusmodi est, ut hoc non exigit; et *operibus*: natura in actu secundo, operando, non potest ullam exigentiam inducere, sive per modum meriti sive impetrationis sive dispositionis. — 4. *Indebitum doni naturalis et supernaturalis* (v. n. 5, 4).

193. In sectione II non agimus de gratuitate donorum *naturalium*, quae n. 5, 4 breviter explicata est, neque de gratuitate gratiae qua *pure sanantis*, de qua n. 157—161 satis disputatum est, sed de gratuitate gratiae stricte salutaris, cuius necessitas th. 1 et 2 probata est, et quidem art. I quatenus est indebita *operibus* naturae humanae *lapsae*, art. II quatenus non exigitur ab ulla *natura creata*, etiam humana pura et integra, vel etiam angelica. Talis divisio articuli propter historicam evolutionem huius partis theologiae commendatur.

194. Historia. Variarum rationes gratuiti, quae competant gratiae Christi, paulatim distinctius cognitae sunt. *S. Paulus* contra adversarios gratiae maxime defenderat peccatores non ex operibus, sed gratis iustificari. Similiter *contra Pelagianos* imprimis considerabatur ea gratuititas, quam gratia habet relate ad naturam humanam, prout nunc existit, i. e. prout peccato saltem originali gratia *positive indigna* facta est. Quare *definitiones Ecclesiae* priores et solemniores (*Araus.*, *Trident.*) gratuitatem gratiae hoc sensu enuntiant. Sed simul iam *SS. Paulus* et *Ioannes* ac deinde *Patres graeci* dona gratiae eo modo celebraverant, ut eluceret ea conferre aliquam novam vitam ordinis vere divini, omni creaturae indebitam. Proinde *Scholastici*, cum naturam humanam abstracte et philosophice considerare coepissent, naturae etiam innocenti exigentiam gratiae negare debebant. Postquam *Protestantes* hunc conceptum gratuitatis perverterunt et *Baius* eum expresse et distincte negavit, *Ecclesia* eundem conceptum *contra Baium et Iansenistas* vindicavit. Theologia *ultimorum saeculorum* ex completa doctrina *S. Scripturae*, *Patrum* tam *graecorum* quam *latinorum* et *Scholasticorum* eam fecit synthesim, qua gratuititas gratiae omni ex parte elucidatur.

Thesis 7. Homo lapsus solis naturae viribus gratiam salutarem neque de condigno neque de congruo mereri neque precibus impetrare potest.

195. P pr. 17. — Ber. n. 357—376. — Palm. th. 30 32. — Mazz. pr. 24. — Lah. th. 20. — Schiff. th. 27.

St. qu. 1. **Nexus** a) *sect. II* ad ceteras: Simul cum *necessitate* gratiae inde ab initio ea proprietas inculcabatur, quae ipso nomine enuntiatur et conceptui est valde essentialis. Quare apte nunc de *gratuitate* gratiae disputamus, antequam de gratia *habituali* et *actuali* in specie agimus (cf. n. 19); — b) *art. I* ad II v. n. 193; — c) *intra* hunc articulum I: Gratia indebita operibus qua *meritoriis* et *impetratoriis* (th. 7); — qua *dispositivis* (th. 8).

196. 2. **Sensus.** a) Homo lapsus: huic thesi satisfaceret, si gratuitas asserta pro sola natura lapsa valeret et ex sola illa *positiva indignitate* proveniret, quam homo peccator originalis vel personalis qua inimicus Dei et reus aeternae damnationis habet; — solis naturae viribus: sine gratia *salutari* (quid homo cum gratia *actuali* relate ad iustificationem et cum gratia *habituali* relate ad eius augmentum valeat, v. th. 11 et 26); — gratiam salutarem: de qua in th. 1 et 2, i. e. ea, qua actus salutaree possibiles redduntur, *non mere sanans*, quae non confert nisi vires morales ad honeste agendum.

b) neque de condigno neque de congruo mereri¹: Meritum *in genere* est «actus, qui in obsequium alterius ita praestatur, ut praemio dignus sit». Meritum *apud Deum* est «opus bonum praemio dignum»; e contra meritum malum sive demeritum est «opus malum poena dignum». Abstracta *ratio meritorii* («*Verdienstlichkeit*») est ea qualitas, vi cuius opus praemium exigit. — Distinguitur *α*) meritum aptitudinale sive in actu primo: *valor* operis, vi cuius dignum est, quod acceptetur ad praemiandum, — et actuale sive in actu secundo: facta hac *acceptatione* iam actu postulat praemium. — *β*) meritum de condigno, in quo servatur, non

¹ De conceptu meriti cf. P pr. 33 et quae habet IV n. 440—452 de satisfactione; item infra n. 211 et 699 s. De historia terminorum de condigno et de congruo agit J. Rivière in Bulletin de littérature ecclésiastique 28 (1927) 75—88: Alanus ab Insulis († 1202) iam aliquomodo meritum de congruo a merito stricto dicto distinguit. Apud Guilelmum Alvernum (circa annum 1220) isti termini videntur iam esse technici scholae.

quidem stricta aequalitas quantitatis sive arithmetica (« res pro re »), sed tamen *aequalitas proportionis* sive geometrica inter valorem operis et praemii, ut secundum moralem aestimationem opus praestitum revera dignum sit, quod ab hoc remuneratore tanto praemio compensetur, ac proinde accedente acceptatione vera ratio *iustitiae* intercedat. Quae si deest sive ex defectu valoris operis praemiandi sive ex defectu acceptationis sive ex utroque defectu, sed nihilominus spectatis opere, operante et remunerante aliqua *decentia* sive *aequitas* praemiandi habetur, adest meritum de congruo. Hoc appellat *benevolam aequitatem* praemiantis et, si praemium promisit, eius *fidelitatem* (plura v. th. 26 n. 700). — *Omnem rationem meriti*, in actu primo et secundo, de condigno et de congruo, naturalibus peccatoris operibus relate ad gratiam *negamus*.

c) neque precibus impetrare: Impetratio, quatenus *sensu latiore* quemcumque modum efficaciter movendi benevolentiam et liberalitatem alicuius ad danda beneficia significat, etiam operibus in obsequium alterius factis, i. e. meritoriis, fieri potest; et illud meritum, quod rationem iustitiae excludit, saepe cum impetratione in promiscuo habetur¹. Nunc autem impetrationem *sensu stricto* intellegimus, prout ab omni merito distinguitur. Sic est actus mere orantis et definitur « *moralis motio liberalitatis aut misericordiae per humilem deprecationem* » (*Palm.* p. 280). Meritum Deum movet qua opus in eius obsequium factum, deprecatio vero qua humilis propriae *indigentiae confessio* simulque implicita divinae bonitatis, misericordiae, potestatis protestatio; *specialis vis deprecationis* movendi voluntatem Dei vocatur impetratio (*Ber.* n. 367). Non provocat ad iustitiam vel aequitatem Dei, ut obsequia sibi facta remuneret, sed nonnisi ad *benignitatem et misericordiam*, ut indigentia et miseria hominis libere flecti se sinat. Quare in hac parte abstrahimus a valore *meritorio vel satisfactorio*, quam oratio qua actus divini cultus vel qua opus reparans honorem Dei laesum habere posset; eam non consideramus, quatenus orans de suo aliquid offert Deo, sed tantum, quatenus oratio propriam indigentiam manifestat et « desiderii nostri interpretes apud Deum » est (cf. *Thom.*, *S. th.* 2, 2 q. 83 a. 1 ad 1). —

¹ Augustinus, *Epist.* 194, 3, 9: « nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat »; alios textus v. n. 99 et 339, 1. — Thomas, *S. th. Suppl.* q. 72 a. 3: Et orationes expressae Sanctorum et orationes interpretativae per eorum merita, quae sunt nobis etiam suffragia et orationes quaedam, sunt efficaces ad impetrandum, quod petunt.

Distinguitur etiam impetratorius valor *in actu primo* et impetratio efficaciter movens *in actu secundo*. Pro thesi sufficit, ut hoc alterum tantum excludatur, i. e. ut probemus Deum *de facto in hoc ordine* non per vim impetratoriam orationis naturalis moveri ad conferendam gratiam salutarem (de priore quaestione v. n. 291).

197. 3. Adversarii. a) Pelagius et Caelestius asserebant «*gratiam secundum merita dari*». — b) Postquam Pelagius hanc sententiam Diospoli damnare debuit, Iulianus et asseclae eius, «cum suo libero arbitrio liberi et ab ipso Pelagio», ut S. Augustinus eos irridet, nihil amplius affirmabant nisi «in homine ab ipso homine *incipere cupiditatem boni*, ut huius coepti meritum etiam perficiendi gratia consequatur» (*C. 2 ep. Pel. 2, 8, 17*); ponunt «*merita gratiam praecedentia*, quod est petere, quaerere, pulsare, ut his meritis *debita* illa reddatur . . . , tamquam gratia nulla praecesserit et cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quaereretur Deus, ut pulsaretur ad Deum» (*ibid. 4, 8, 41*). Ergo isti Pelagiani iam certe minus aliquid quam meritum de condigno asserebant. — c) Magis exigua erat ratio meritorii, quam Semipelagiani postulabant, ut aliqua causa conferendi gratiam huic homini prae illo ostenderetur (cf. n. 59)¹. Ad initium fidei

¹ Cassianus, *De coenobiorum institutis* 12, 14 (ML 49, 447): «Dicimus enim secundum Salvatoris sententiam dari quidem petitionibus et aperiri pulsantibus et a quaerentibus inveniri, sed petitionem et inquisitionem et pulsationem nostram non esse *condignam*, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit vel aperuerit, quod pulsamus, vel illud, quod quaerimus, fecerit invenire. Praesto est namque, *occasione* sibi tantummodo a nobis bonae voluntatis oblata, ad haec omnia conferenda.» — *Collat. l. 13 c. 13* (*ibid. 932s*): «Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio . . . , ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonae voluntatis vel exigat vel expectet . . . , *occasionem* quodammodo quaerens, quibus . . . non irrationabilis munificentiae suae largitas videatur, dum eam *sub colore* cuiusdam desiderii ac laboris impartit, et nihilominus gratia Dei semper *gratuita* perseveret, dum *exiguus* quibusdam *parvisque conatibus* tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inaestimabili tribuit largitate.» Dein affert exempla latronis et Davidis poenitentis. — c. 16 (*ibid. 942*): «Nemo autem aestimet haec a nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur astruere summam salutis in nostrae fidei dictione consistere secundum quorundam *profanam opinionem*, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari *secundum meritum* uniuscuiusque definiunt.» — *Epist. Hilarii ad Augustinum* 226, 2: «Id conveniens asserunt veritati vel congruum praedicationi, ut, cum prostratis et nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendae salutis occasio, eo *merito*, quo voluerint et crediderint a suo morbo se posse sanari,

ab homine primum praestandum imprimis pertinere dicebant *implorationem* divinae clementiae. — d) Ii veteres Scholastici, qui putabant hominem viribus naturalibus se posse ad gratiam *disponere* (v. th. 8), partim isti dispositioni rationem quandam *meriti de congruo* expresse adscribunt¹.

198. 4. Qualificatio. Quoad *actuale meritum de condigno* thesis est certissime definita; quoad alia quidam dubitant de definitione². Videtur historice constare *saltem etiam meritum de congruo* esse reprobatum ut haereticum³. *Alia* sunt saltem theologicæ certa.

199. Prob. I. Ecclesia. Pelagius Diospoli debuit reicere capitulum *Caelestii*: «Dei gratiam secundum merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus»

et ipsius fidei augmentum et totius sanitatis suae consequantur effectum, ... nec negari gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, quae *tantum medicum quaerat*, non autem quiddam ipsa iam valeat. » — Prorsus non intellegitur, qua nixus ratione *E. Neveut* (Divus Thomas [Placentiae] 30 [1927] p. 21) scribat: «Par »initium fidei« les semi-pélagiens entendaient donc une œuvre strictement méritoire de la grâce»; cf. Scholastik 2 (1927) 613.

¹ Thomas, *In 2 d. 27 q. 1 a. 4 ad 4*: «Deus dat gratiam indignis, quia his, qui non sunt sufficienter ad hoc digni, sed tamen habent aliquam *dispositionem* ad recipiendum, ex quodiciuntur *quodammodo ex congruo gratiam mereri*.» — Alexander Halensis (2 q. 91) hominem non esse creatum in gratia gratum faciente ex hac quoque ratione probare vult: Deus «sicut noluit dare gloriam homini, quin praecederet in homine quodammodo *meritum condigni per usum gratiae*, ... sic noluit gratiam dare nisi praeambulo *merito congrui per bonum usum naturae*, ut sic homo efficeretur gloriosior et laudabilior». Ergo homini saltem integro hanc potestatem tribuit. — Luther vero valde *exaggerat* generaliter asserendo (*In Gal I, 192*; apud *Denifle I, 587*): «*Scholastici theologi* docuerunt hominem hac ratione consequi remissionem peccatorum et iustificationem, si operibus praecedentibus, quae appellantur *meritum congrui*, mereatur gratiam.» Multi enim ad hoc meritum omnino requirunt *influentiam specialem* Dei, i. e. gratiam actualem.

² Van der Meersch, *De divina gratia* (Brugis 1910) n. 163 165: quoad meritum *in actu primo* theologicæ certum, quoad *impetrationem* saltem theologicæ certum. Van Noort, *De gratia Christi* (Amstelodami 1911²) n. 79: «Non satis constat de intentione Patrum absolute excludendi vim motivam *orationis, quatenus distinguitur a merito de congruo.*»

³ Sic v. g. P. Mannens, *Theol. dogm. Institutiones III*² (Ruræmundae 1913) n. 138, qui tamen non censet esse de fide, sed certum et fidei proximum in hoc ordine excludi naturalem *impetrationem* gratiae. Secundum PC III (pr. 32) et Ber (n. 362 372) tota thesis est de fide.

(*Augustinus, De gestis Pel.* 14, 30). — Adversus Semipelagianos definitum est gratiam omne prorsus meritum praecedere ac ne minimum quidem meritum gratiae praeivium eiusque collationem determinans posse admitti: **Indiculus** cap. 8 (Dz 134): «... nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit»; — cap. 9 (Dz 135): «... sine quo nihil possumus» in negotio salutis; — **in fine** (Dz 141): «... non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri... Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona.» — **Arausicanum can. 3** (Dz 176): Non ad invocationem humanam gratia Dei potest conferri, sed ipsa gratia facit, ut invocetur a nobis. — Licet Patres arausicani ad differentiam inter *meritum* et *impetrationem* non attenderint, tamen omnem conatum obtinendi gratiam per invocationem ipsa gratia anteriorem *tam absolute negant*, ut non solum efficacia meritoria, sed etiam impetratoria orationis naturalis negari videatur. Explicatio, quae hanc distinctionem adhiberet, non esset sana interpretatio, sed merum effugium; — can. 4: Deus voluntatem nostram bonam non exspectat. Ergo collatio gratiae non potest ullo nexu positivo dependere a conatibus voluntatis naturalibus; — **can. 6 varios conatus**, qui excogitari possunt, expresse reicit, inter quos etiam habentur conatus precibus gratiam *impetrandi*: petere, quaerere, pulsare. Gratiae adiutorium non subiungitur humilitati aut oboedientiae humanae; — can. 7: Quidquid per solum naturae vigorem fit, non pertinet ad salutem vitae aeternae; ergo neque comparat gratiam salutarem; — can. 8: Nemo per solum liberum arbitrium ad gratiam baptismi potest venire; — can. 14: Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur; — **can. 18** (Dz 191): «Nullis meritis gratiam praeveniri. Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.»¹ Clare enuntiatur gratiam indebitam praevenire omne meritum operum; — can. 22: Opera, quae iure vocantur mendacium et peccatum, sane non sunt meritoria gratiae; — **clausula** (Dz 200): «In omni opere

¹ Sic Dz ed. 16 (1928; praevenire corrige in praeveniri). In prioribus editionibus legebatur: «Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces...» Ante sententiam *Augustini* (*Op. imp.* 1, 133): «debetur enim merces [bonis operibus], si fiant, et gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant», Prosper (*Sent.* 297 [ML 45, 1885]) posuit *titulum*: «Nullis meritis gratiam praeveniri.» Ista alia lectio canonis titulum in forma ablativi absoluti cum sententia *coniunxit*. Sic sensus non mutatur, sed prima verba abundant.

bono non nos incipimus et postea per Dei misericordiam adiuvamur, sed ipse nobis *nullis praecedentibus bonis meritis* et fidem et amorem sui prius inspirat. — His verbis necnon can. 18 et 22 non solum *acceptatio* ad praemiandum, sed *etiam omnis valor* operum, qui praemiari possit, excludi videtur. — Porro Araus. doctrinam semipelagianam de initio fidei gratiam praeveniente et eius collationem determinante damnare intendit tamquam inimicam gratuitati gratiae. Ergo *reicit* non solum meritum de condigno, sed etiam *illam exiguam rationem meriti*, quae Semipelagianis satis erat (v. St. qu.). — Tridentinum s. 6 cap. 5 (Dz 797): Iustificationis exordium a Dei praeveniente gratia sumendum, h. e. ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Saltem excludit meritum sensu stricto, i. e. *de condigno*. Idem meritum cap. 8 denegat omnibus dispositionibus, quae iustificationem praecedunt; hic certe non vult damnare meritum de congruo a multis theologis assertum. — Secundum preces Ecclesiae etiam *cuncta nostra oratio* salutaris a Deo semper incipit.

200. II. Scriptura. Doctrina S. Pauli, praesertim in Rom.

Praenotanda. Fere tota pars dogmatica Ep. ad Rom. celebrat gratuitatem gratiae; sed plurima non sunt de nostra praecise quaestione. Fuse ostendit *iustificationem non esse ex operibus* (de condigno meritoriis), sed ex fide (praesertim c. 3s); porro *efficacem* vocationem ad salutem messianam debere gratuitae Dei electioni (8, 28—30; 9—11). Sed quomodo *prima gratia salutaris*, i. e. vocatio saltem sufficiens ad fidem, se habeat ad opera et conatus hominis lapsi suis viribus relictis, non tam diserte explicat. Hoc potius *ex generali Apostoli conceptione* de omnimoda gratuitate totius salutis christianae erudendum est.

201. A. Quoad meritum **de condigno**. — 1. Gratia ex conceptu opponitur mercedi operibus debitae: Rom 4, 4s: «Ei autem, qui *operatur*, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum *debitum*. Ei vero, qui non operatur, *credenti* autem... reputatur fides eius ad iustitiam secundum *propositum gratiae Dei*.» — 11, 6: «Si autem *gratia*, iam *non ex operibus*; alioquin gratia iam non est gratia.» — Quoniam *ἔργα, μισθός, ὀφείλημα* ex conceptu repugnant gratiae, saltem omne meritum de condigno excludendum est.

2. Statum generis humani, qui fuit ante gratiam Christi, sic describit: Omnes in *Adamo* peccaverunt (Rom 5, 12);

moraliter omnes peccato originali addiderunt plurima et pessima peccata *personalia* (Rom 1—3). Neque *lex* mosaica quidquam iuuit, sed potius auxit peccatum (Rom 7). Sic omnes iacent « *mortui delictis et peccatis* » (Eph 2, 1 5), nec quidquam facere possunt, ut salutem vel saltem eius initium sibi acquirant (n. 41—43 63).

3. Salus initium sumpsit ex gratuito consilio Dei redimendi mundum per Christum: Rom 3, 23 ss: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius » etc. — 5, 8: « Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, . . . Christus pro nobis mortuus est. » — Eph 1, 6: « . . . in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo ».

4. Sicut obiectiva redemptio est opus plane gratuitum, quod genus humanum nequaquam meruit, sed quo peccatis suis se positive reddiderat indignissimum, sic subiectiva quoque huius salutis ad singulos applicatio est opus divinae misericordiae: Rom 3, 24—28: « Iustificati gratis per gratiam ipsius . . . Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? *Factorum*? Non; sed per legem *fidei*. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. » 4, 1 ss: Eodem modo *Abraham* non ex operibus, sed per fidem iustificatus est tamquam pater et exemplar omnium credentium. — Deus igitur *elegit eam* communicandi gratiam iustificationis *viam, qua omnino excludatur meritum de condigno*, iustificandi scil. homines non ex operibus, sed per fidem.

5. Sed etiam ipsa fides iustificans est donum gratiae. Fidem interna gratia effici S. Paulus fortasse non directe dicit, sed ex eius doctrina *deduci potest* (v. n. 63). Quid sentiat de gratuitate fidei, iam cernitur ex iis, quae de *externa vocatione* ad fidem docet. Deus quidem vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim 2, 4). Quare apparuit gratia Dei omnibus hominibus salutifera (*σωτήριος*; Tit 2, 11), et in omnem terram exivit sonus praedicatorum evangelium (Rom 10, 18). Sed homines, quibus salus offertur, eam *minime meruerunt* (saltem non omnes). Deus enim expandit manus etiam ad populum non credentem et contradicentem et inventus est a non quaerentibus (Rom 10, 20 s). Ergo qui *mere sufficienter* vocantur ad fidem, indigni sunt vocatione. — Electio autem eorum, qui *efficaciter* vocantur, non fit ex operibus,

sed *ex gratuito proposito* vocantis Dei, id quod exemplo *Esau et Iacob* nondum natorum ostenditur (Rom 9, 11 ss). Gratuitae ad fidem et apostolatatum vocationis exemplum est *ipse Paulus*, quem Deus «vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me» (Gal 1, 16). Ergo salus messiana et fides tamquam medium eam capessendi gratis offeruntur indignis per praedicationem externam et operationem gratiae internam. — Ceterum gratuitas totius iustificationis, quam Paulus adeo effert, valde turbaretur, si prima gratia, a qua reliqua pendent, scil. vocatio ad fidem et ipsa fides, esset obiectum meriti.

6. S. Paulus si iustificationem ex fide tamquam gratuitam vanis conatibus Iudaeorum opponit, qui ex operibus legis volebant iustificari, *non adeo demonstrare intendit* hominem ne gratia quidem *fidei* adiutum posse de condigno mereri *iustificationem*, sed potius *totum negotium iustificationis*, inclusa salutari ad eandem praeparatione, tamquam ordinem gratiae opponit omni operationi mere naturali hominis lapsi. Sic Eph 2, 1—10 *totum gratiae ordinem* exhibet ut prorsus gratuitum, meritis hominis lapsi minime debitum, sed ex pura caritate et misericordia a Deo institutum. Ex una parte *stant homines* mortui peccatis, filii irae, quasi nihil; ex altera parte *Deus*, dives in misericordia, abundans divitiis gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu ostendens, vivificans, suo dono salvans, novum *potius* creans; v. 8s: «gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur» (cf. n. 63 not.). — Tit 3, 4s: Benignitas et humanitas Dei salvatoris nostri non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. — 2 Tim 1, 9: Deus nos «vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum *propositum suum et gratiam*».

202. B. Meritum **de congruo** et aliquo modo etiam **impetratio** gratiae videntur excludi 1. illis verbis et figuris, quibus exhibemur *creandi et resuscitandi* per gratiam quibusque negatur nos in causa salutis quidquam valere (n. 41—43 63). De congruo mereri vel precibus impetrare aliquam gratiam salutarem iam esset *initium sat magnum* in negotio salutis.

2. Est doctrina S. Pauli: a) Fides non meretur iustificationem, sicut opera merentur mercedem, i. e. de condigno (supra A. 4). — b) Tamen fides valet aliquid ad iustificationem. Est *medium et instrumentum* (Rom 3, 30: *διὰ τῆς*

πίστεως; Gal 3, 28: *πίστει*) vel *fons* (Rom 3, 30; 5, 1; Gal 3, 8 24: *ἐκ*) iustificationis (cf. th. 11 n. 333). Fides reputatur ad iustitiam (Rom 4, 3 5), describitur tamquam *actus valde bonus et Deum honorans*, hinc a Deo ad iustificationem acceptus, Rom 4, 17—22: Abraham credidit Deo, eius omnipotentiam agnoscens, contra spem in spem credens, non infirmatus fide, non haesitans diffidentia, sed confortatus fide, dans gloriam Deo, plenissime persuasum habens (*πληροφόρησις*) Deum posse quod promisit, etiam facere. Ideo (*διό*) reputatum est illi ad iustitiam. 23—25: Similiter nobis fides in Christum reputabitur. — Ergo Paulus videtur fidei relate ad iustificationem eam efficaciam adscribere, quam nos vocamus meritum de congruo. — c) Operibus vero, quae absque gratia Christi fiunt, eum valorem denegat, quem tribuit fidei. Rom 3, 20: «Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo»; — 28: «Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.» — 9, 30—32: Gentes apprehenderunt iustitiam, quae ex fide est. «Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus» (cf. Gal 2, 16—21). — Ergo operibus sine gratia Christi factis ne meritum de congruo quidem convenit.

Deducitur thesis etiam ex iis textibus, quibus infra (th. 9) probabimus dona gratiae pertinere ad ordinem divinum, qui vires et exigentias omnis creaturae transcendit (cf. n. 290).

203. III. Patres. 1. Augustino priores (v. th. 1 et 2 n. 46—51 67): Basilius, Cyprianus, Pontius, Ambrosius, Victor.

Hi Patres, quando *bonum motum* praerequiri dicunt, quo homines *gratia digni* evadant, aut a) *non negant auxilium gratiae* praevenientis ad hunc motum, quo decidi affirmant, utrum homo ad ulteriora beneficia, maxime ad fidem et iustificationem, perveniat necne; — aut b) fortasse intellegunt aliquid *valoris mere negativi* ex parte hominis praestari, scil. quod homo non se faciat specialiter indignum patrando crimina (sic probabiliter Cyrillus Hieros., *Catech.* 1, 3: Deus delectum faciens hypocritam reicit, digno promptissime defert gratiam; cap. 4 dicit gratiam gratis dari (R 808); — aut c) cum Augustino iuniore et Semipelagianis *erraverunt* (sic fortasse Ioannes Chrysostomus).

204. 2. Augustinus (v. n. 28 50 57). a) Ante episcopatum gratuitatem gratiae non satis cognoverat. Sicut postea *Semipelagiani*, ut *iustitiam* electionis divinae salvet, aliquod *meritum humanum sat parvum gratiae praeivium* docet.

Expos. quarundam propos. ex Rom 60—64: Datur gratia Spiritus Sancti ad bene operandum iis, qui per aliquem *motum bonae voluntatis*, praesertim per *fidem*, se fecerunt dignos. Deus igitur non eligit in iustificandis hominibus bona opera, sed *fidem*. Haec sola voluntate humana praestatur neque est *gratuita*, nisi *quatenus supponit aliquam vocationem* (generatim externam) indignis factam. — *De diversis qq. 83 q. 68 n. 3 s*: Voluntas Dei, qua cuius vult miseretur et quem vult indurat, iniusta esse non potest. « Venit enim de *occultissimis meritis*, quia et ipsi peccatores cum propter generale peccatum *unam massam* fecerint, *non tamen nulla* est inter illos *diversitas*. Praecedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint iustificati, *digni* efficiantur *iustificatione*; et item praecedit in aliis peccatoribus, quo *digni* sunt obtusione. »

b) Scribens Ad Simplicianum 1, 2 *absolutam gratiae gratuitatem* tam *perfecte cognovit*, ut ibi nihil remanserit, « quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari » (*De dono persever. 21, 55 [R 2005]*).

Est *intentio Apostoli*, quae per totam ep. ad Rom. viget, ut *de operum meritis nemo gloriatur*. Quare *fidei gratiam* praeponebat operibus (n. 2). Nec fidei merita praecedunt misericordiam Dei, quia *fides ipsa inter dona gratiae* numeratur. Ergo ante omne meritum est gratia (7). *Voluntas bona* est donum Dei (12). Efficitur a Deo *per vocationem congruam* (13). Aliis Deus non erogat, quo meliores fiant, et sic non miserando eos *obdurat*. Id fit *nulla distinctione meritorum* (15) et sine ulla iniustitia, quia omnes homines per Adam sunt « *una quaedam massa* peccati, supplicium debens divinae summaeque iustitiae, quod sive exigatur sive donetur, nulla est iniquitas ». Hac in re inscrutabilia sunt iudicia Dei (16). Sic omnis gloriatio humana exclusa est. Omnia enim, quae Deus praecipit, ipse gratuito nobis largitur: *omnem nutum voluntatis bonae*, petere, quaerere, pulsare, cum dolore advertere, quam tepida sit nostra oratio etc. (21). *Diversitatem* aliquam, secundum quam fiat electio, in eadem conspersione peccatorum Augustinus prorsus non videt. Si ipse statuerit: Ille eligendus videtur, qui *maius ingenium* vel *minora peccata* vel utrumque habet vel insuper *honestas utilesque doctrinas*, Deus eum ridebit, *infirmam eligens*, piscatores et peccatores. Si *bonae voluntates* eliguntur, hae per gratuitum donum gratiae e malis *prius faciendae sunt bonae* (22).

c) Hanc doctrinam postea strenue adversus Pelagianos et Semipelagianos defendit. Practice quidem ex utraque parte, neglecta gratia *sufficiente* omnibus oblata, fere non attendebatur nisi ad gratiam *efficacem*; quare doctrina augustiniana tam dura videbatur et Semipelagiani tantopere eidem reluctabantur (v. n. 57—59). Sed S. Augustinus gratuitatem gratiae *ex ipso conceptu* derivat; hinc eius testimonia *pro omni gratia salutari* valent.

Ex textibus fere innumeris v. R 1473 1791 1807 1851 1857 1974. — R 1456 et 1458 (*Epist.* 217 ad Vitalem 5, 16 et 6, 25): Ex 12 sententiis catholicae fidei v. praesertim 2 et 4 s. Sed etiam ex omnibus et singulis id conficitur, ut confiteamur gratia Dei praeveniri hominum voluntates et per hanc eas potius praeparari, quam ipsam propter earum merita dari. — R 1978 (*De praed. Sanct.* 2, 3): Non receditur a sententia, quam Pelagius compulsus est Diospoli damnare: gratiam Dei secundum merita nostra dari, si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere coepimus. — Cf. etiam P (ed. 4) 203.

d) Augustinum reicere etiam omne meritum de congruo, ex impugnatione *Iuliani* et *Semipelagianorum* manifestum est. Illam enim exiguam rationem meriti, qua hi contenti erant, omnino respuit tamquam gratuitati gratiae adversantem (cf. n. 197 b c); v. g. *C. 2 ep. Pel.* 2, 8, 18: «Si enim sine gratia Dei per nos *incipit cupiditas boni*, ipsum coeptum erit meritum.» — Orationem gratiae praeviam eandem impetrare posse excludit v. g. *C. 2 ep. Pel.* 4, 8, 41. — *Ad Simpl.* 1, 2, 21 (v. supra sub b). — *Epist.* 194 ad Sixtum 4, 16 (R 1451): Oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei est. Verum ne saltem orationis putentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur. — *De dono persev.* 23, 64 (R 2006): Donum Dei est, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum, ut petamus, quaeramus, pulsemus.

205. 3. Patres Augustinum sequentes: Prosper, *C. Coll.* 3, 1 (R 2034): Omnia merita, etiam petentis, excludit. — *Epigr.* 27; *Carm. de ingr.* 560 s 982 ss. — De voc. gent. 1, 17 (R 2044): «Sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quae possint gratiae arcere donum, ita nulla posse tam praeclara opera existere, quibus hoc, quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur.» — Leo M., Fulgentius, Gregorius M. (v. *Ber.* 364).

206. IV. **Theologi.** Veteres ita loquuntur de quaestione, «*utrum homo possit sibi mereri primam gratiam*» (*habitualmente*), ut naturae cum purae tum lapsae omne meritum de condigno respectu omnis gratiae gratum facientis denegent. Sic **S. Thomas** 1, 2 q. 114 a. 5: Ratio gratiae repugnat mercedi operum. Si donum gratiae consideretur (*formaliter*) secundum rationem gratuiti doni, manifestum est, quod omne meritum repugnat gratiae; si (*materialiter*) secundum naturam ipsius rei, quae donatur, «sic etiam non potest cadere sub merito

non habentis gratiam, tum quia *excedit proportionem naturae*, tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet *impedimentum* promerendi gratiam, scil. ipsum *peccatum* ».

Idem iam clare enuntiaverat In 2 d. 27 q. 1 a. 4: « Donum gratiae nullo modo sub merito cadere potest eius, qui *in puris naturalibus* est, et multo minus eius, qui *in peccato* deprimitur. » Sed ibid. aliquam dispositionem per opera naturaliter honesta et quoddam meritum ex congruo admittit (v. n. 197 not.). — Etiam in S. th. obscura quaedam de merito congrui habet. Exponit 1, 2 q. 114 a. 3: Opus meritorium hominis in gratia constituti dupliciter considerari potest: 1. secundum quod procedit *ex libero arbitrio*, 2. secundum quod procedit *ex gratia Spiritus Sancti*. Hoc altero modo consideratum est meritorium vitae aeternae *ex condigno*, quia valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam. Sin priore modo consideratur, « sic non potest ibi esse *condignitas* propter maximam inaequalitatem, sed est ibi *congruitas* propter quandam aequalitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis. » Cf. a. 6, ubi quaerens, *utrum homo possit alteri mereri primam gratiam*, adhibita eadem distinctione dicit: « Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam; quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est *secundum amicitiae proportionem*, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius. » Hinc videtur etiam a. 3 ratio congruitatis derivari ex eo, quod *Dei amicus* eius impleat voluntatem. Si opus bonum amici Dei abstractione mentis consideratur ut procedens a solo homine, non ut simul procedens ex motione Spiritus Sancti, sic non quidem condignum, sed tamen congruum est, ut Deus recompenset hoc opus *sui amici* secundum excellentiam suae divinae virtutis. Haec ratio congruitatis *evanescit* in illo, qui *non est amicus Dei*, et multo magis in eo, qui eius *inimicus* est. — Aliam explanationem de *congruitate* valde *impropria* habet Ber. 366 inst. 3.

207. 2, 2 q. 83 agit de oratione: a. 13 distinguitur triplex effectus: 1. *mereri*, 2. *impetrare*, 3. quaedam spiritualis *refectio mentis*. — a. 15: « Oratio habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice caritatis... Efficaciam autem *impetrandi* habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit. » — ad 1: «... etiam oratio, quae *impetrat gratiam gratum facientem*, procedit *ex aliqua gratia quasi ex gratuito dono*; quia ipsum orare est quoddam donum Dei, ut *Augustinus* dicit. »

Q. 83 a. 16. Si peccator petit, *in quantum peccator* est, i. e. *secundum desiderium peccati* (v. g. ex avaritia, ex cupiditate vanae gloriae etc.), a Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque ad vindictam. « Orationem vero peccatoris *ex bono naturae desiderio* procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed *ex pura misericordia*, observatis tamen quat-

tuor praemissis condicionibus, ut scil. pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter.» — «*Ex bono naturae desiderio*» opponitur «*desiderio peccati*»; hinc non est idem atque «*ex solis naturae viribus*», sed exprimit finem honestum orantis. Ergo hoc articulo non negatur necessitas alicuius gratuiti doni ad pie impetranda necessaria ad salutem, quae articulo praecedente expresse statuebatur.

208. Bonaventura, *In 2 d. 29 a. 1 q. 2*: Homo ne in statu naturae institutae quidem potuit (*de condigno*) mereri, licet secundum statum naturae lapsae magis indigeat dono gratiae. — *d. 28 a. 2 q. 1*: Liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiae gratis datae, potest ad gratiam gratum facientem se *de congruo disponere*; omni tali munere destitutum hoc nunquam posset. — **Scotus**, *Report. Paris. In 4 d. 2 q. 1 n. 1*: «Respectu gratiae non potest esse *causa meritoria*, quia gratia gratis datur, non meritis redditur.» — *Opus Oxon. In 2 d. 5 q. 1 n. 2*: Gratia non datur ob merita praevisa; «tunc enim posset homo mereri primam gratiam, quia praevидetur a Deo dante eam bene usus ea, et tunc gratia non esset gratia, quia esset *ex meritis*, licet non positus in effectu, tamen praevisis».

Saepe Scotus dicit peccatorem «*ex puris naturalibus*» posse atteri et sic *de congruo mereri iustificationem*. Eiusmodi locutiones Minges (*Gnadenlehre des D. Scotus*, Thesis 1—3 7) ita explicandas esse censet, ut necessitas gratiae actualis non negetur. — Similiter Jos. Klein, qui apud Scotum distinguit influentiam generalem naturalem et supernaturalem (*Franzisk. Studien 8 [1921] 260*). — Formulam «*ex puris naturalibus*» non semper excludere omnem gratiam actualem ostendit per exempla ex *Petro de Alliaco et Marsilio ab Inghen* desumpta Karl Feckes, *Die Stellung der nominal. Schule zur aktuellen Gnade* (*Röm. Quartalschrift 32 [1924] 157 ad 165*); cf. eiusdem librum *Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel* (*Münster 1925*) 130—132.

209. V. Ratio. 1. Thesis intime cohaeret cum th. 1 et 2. Si viribus naturae ullum actum elicere possemus, qui ullo modo gratiam positive exigeret, certe aliquid facere valeremus, quod positive expediret ad salutem, et sic tota salus iam dependeret ab aliquo initio, quod ipsi sine gratia praestituissemus, atque gratuitas huius salutis destructa esset. Haec a *S. Augustino* saepe inculcantur. — 2. Ubi primum probatum est dona gratiae salutaris esse simpliciter et entitative supernaturalia, tota thesis tamquam corollarium ex ista veritate fluit. Tunc etiam licebit ventilare quaestionem, utrum impossibilitas gratiam impetrandi sit positive tantum a Deo statuta an ex natura gratiae salutaris proveniat (v. n. 290 s).

Thesis 8. Per vires naturae homo lapsus nullo modo potest se positive disponere ad gratiam; asserenda tamen est dispositio mere negativa secundum principium: «Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.»

210. P pr. 17 III et schol. — Ber. 377—395. — Palm. th. 31 34. — Mazz. pr. 24 II et 27. — Lah. n. 142—150. — Schiff, th. 27.

St. qu. 1. Nexus. Parte I excluditur ulterior modus inducendi positivam exigentiam gratiae per naturam lapsam. Parte II reicitur ea exaggeratio, quae etiam dispositionem pure negativam tanquam haeresim semipelagianam respuit, et, quod proprie pertinet ad sectionem de *distributione* gratiae, asseritur infallibiliter aliquando conferri gratiam negative disposito.

211. 2. **Sensus.** Homo, vires naturae, gratia intelliguntur *ut in th. 7.* — Dispositio (*διάθεσις*) *in facto esse* est aptitudo seu proportio subiecti ad aliquam formam, *in fieri* est productio huius aptitudinis sive praeparatio materiae ad formam. Disp. negativa valde *improprie* dicitur dispositio: est in eo, quod non ponitur prohibens ingressum formae, velut si ille, qui, quamvis facile possit, *non madefacit lignum*, diceretur illud disponere ad combustionem¹. Disp. positiva (*in facto esse*) est realis habitudo, qua subiectum de se indifferens constituitur plus minus proxime idoneum ad formam suscipiendam (*Palm.*). Est igitur positiva realitas, quae accidentaliter supervenit subiecto illudque potius ad hanc quam ad illam formam aptum reddit. Sic disponitur *lignum* ad combustionem *ab arefaciente vel a calefaciente*. Effectus formalis dispositionis est idoneitas subiecti ad formam. Pro idoneitate magis vel minus propinqua distinguitur dispositio proxima et remota (v. g. *actus contritionis et attritionis*). *Philosophia aristotelica* multa habet de dispositione physica. Inde conceptus translatus est ad ordinem morum: dispositio moralis. In nostra quaestione unice vel saltem principaliter attenditur ad dispositionem moralem (cf. tamen n. 342).

¹ Conceptum dispositionis negativae nullo modo intellexit *Wilh. Walther*, Lehrbuch der Symbolik (Leipzig 1924) p. 130, haec scribens: «Heisst ein Unterlassen dessen, was uns der Gnade unwürdiger machen würde, etwas anderes als sich dadurch ihrer etwas würdiger machen? Ist weniger schwach nicht dasselbe wie etwas stärker, weniger dunkel nicht dasselbe wie etwas heller? Dann aber ist diese Unterscheidung von positiver und negativer Vorbereitung nur eine Sophisterei.»

Dispositio ad gratiam actibus liberi arbitrii facienda necessario videtur coniungi cum aliqua ratione meriti, saltem de congruo. Sed conceptu differunt dispositio et meritum, atque in aliis rebus ab invicem separari possunt; v. g. scientia et virtus possunt optime disponere ad aliquod munus, quin ullum meritum acquiritur apud eos, quibus collatio muneris competit. *Ripalda (De ente sup. I disp. 18 sect. 1) 4 discrimina explicat, e quibus haec notamus: Meritum est obsequium erga alterum, eum ad remunerandum movens; dispositio vero respicit solum subiectum, quod se disponit. Meritum semper aliquam exigentiam praemii importat; sed potest esse dispositio, quae nullatenus formam exigat (v. n. 212). Neque in usu est loqui de aliquo merito pure negativo. — Porro causalitas meriti est causae efficientis moralis; causalitas vero dispositionis qua talis unice spectat ad causam materialem. — S. Thomas, S. th. Suppl. q. 5 a. 1: « Dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quae disponit materiam ad recipiendum; secus autem de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus causae efficientis. »*

212. Homo per vires naturae nullo modo potest se positive disponere. *Beraza (377—380) pro diversa exigentia distinguit tres modos dispositionis positivae: a) Dispositio, quae exigit formam; v. g. materia generativa proxime disposita exigit introductionem animae; viator debito syngrapho instructus potest exigere aditum in terram alienam. Imprimis hic modus dispositionis, utpote gratuitatem gratiae destruens, thesi excludendus est. — b) Dispositio, quae ipsa quidem non exigit formam, sed quam forma sua natura praerequirit. Lignum aridum non exigit combustionem, sed combustio natura sua exigit ariditatem ligni. Scientia et probitas non exigunt episcopatum, sed episcopatus natura sua tales dotes animi requirit. Negamus gratiam natura sua exigere quasdam dispositiones ante gratiam et sine ea faciendas. — c) Dispositio, quam forma saltem ex positiva lege exigit; v. g. lex ecclesiastica ad episcopatum exigit aetatem triginta saltem annorum. Negamus hanc legem Dei: Non dabo gratiam, nisi homo naturaliter determinatam aliquam dispositionem praestiterit, et infallibiliter dabo, ubi primum homo eam praestiterit.*

213. Dispositio mere negativa ad gratiam non est nisi in hoc, ut homo non ponat novum obstaculum gratiae, quod ex natura rerum consistit in peccando. Hanc asserimus secundum notum principium, quod *Scholastici universi* admittunt, sed non eodem sensu explicant. Applicamus illud nostrae thesi hoc sensu: Facienti, i. e. non ex hac positiva ratione: quia facit; sed ei, qui facit, Deus, qui iam antecederet para-

tus est ad dandam gratiam, eam non denegat, sed reapse dat, cum *non facienti* propter obstaculum, quod ille ponit, eam *saepe denegat*. Positiva ratio dandi gratiam unice repetitur ex gratuita Dei misericordia, ex Christi meritis de congruo, ex Sanctorum et iustorum meritis de congruo et ex eorum impetratione. Faciens, quod in se est, i. e. qui vitat gravia peccata et agit opera honesta, sive *solis viribus naturae*, sive etiam adiutus *aliquo auxilio pure sanante* et ad actum salutarem non sufficiente (nam sine omni auxilio secundum th. 5. non faciet diu, quod in se est), id faciendo *neque fit dignior gratia neque minuit indignitatem*, quam habet, sed cavet tantum, *ne eam augeat*. Talis homo infallibiliter accipiet gratiam; tamen neque volumus neque possumus determinare *tempus*, quando accepturus sit *gratiam salutarem* sive vocationem ad fidem iustificantem. Hoc enim liberae Dei dispositioni reservatur (*Mazz 859 et Suarez ibid. laudatus*). Si vero homo *novis peccatis mortalibus* se reddit indigniorem, tamen non infallibiliter impedit gratiam. Deus enim aliquoties etiam peccatoribus pessime dispositis subito gratiam confert et ipsa gratia eos disponit.

Breviter: Ei, qui facit, quod est in se — ex viribus naturae et auxiliis divinis ordinis naturalis —, ne per gravia peccata se reddat magis indispositum et indignum quam ante, Deus — non propter aliquam exigentiam vel dignitatem huius negativae dispositionis, sed — ex voluntate sua salvifica universali, peccatis superadditis non impedita, infallibiliter aliquando, scil. quando ipsi placuerit, dabit gratiam salutarem, initio saltem remote sufficientem ad iustificationem, qua bene usus homo infallibiliter posteriores gratias et tandem ipsam iustificationem accipiet; sin peccatis mortalibus indispositionem auget, non licebit ei infallibili spe gratiam salutarem expectare.

214. 3. Sententiae. Sub verbo et conceptu *peripatetico* dispositionis haec quaestio ab antiquis non volutabatur¹. Nonnulli probabiliter e prioribus Patribus, maxime graecis, Augustinus iunior, Pelagiani et Semipelagiani aliquam *positivam dispositionem quoad rem* admiserunt. Hanc Augustinus inde a *QQ. ad Simplicianum* omnino reiecit,

¹ Augustinus saepe loquebatur de praeparatione voluntatis per gratiam, adhibendo *Prov 8, 35*, quem versus *Itala* iuxta *LXX* legebat: «praeparatur voluntas a Domino», ubi *Vulg.* cum *Hebr.* habet: «hauriet salutem a Domino».

idque eo modo, ut vix manere videatur locus nostrae dispositioni *negativae*. — Cum Scholastici praeparationem hominis ad statum gratiae sub *aristotelico conceptu dispositionis* materiae ad formam tractare coepissent, initio sat multi necessitatem alicuius *auxilii specialis*, i. e. alicuius gratiae salutaris, valde neglegebant vel etiam aperte negabant. Praesertim Durandus et aliqui Occamistae dispositionem positivam eamque *proximam* sine auxilio speciali defendebant, multi alii saltem remotam asserebant¹. Nonnulli iam media aetate nostrum conceptum dispositionis *mere negativae* satis distinctum adhibent. Magis excultus est a Molina, Lessio, Suarez etc. Thomistae *partem II* theses vehementer *impugnare* solent, sed saltem plurimi recentiores quoad rem et intentionem huius partis vix a nobis dissentiunt. — Accuratiores v. in utriusque partis argumentis ex Patribus et Theologis.

4. **Qualificatio.** *Pars I* quoad *1um modum* dispositionis, nisi sit definita, saltem est fidei proxima; *quoad 2um et 3um modum* certa. — *Pars II* defenditur ut tuta et multo probabilior.

215. Prob. pars I. Dispositio positiva excluditur. I. Ecclesia. Indiculus, praesertim cap. 8 9 et in fine (Dz 134 s 141), omnia, quibus ad Deum tenditur, gratiae adscribit. Hoc non esset tam universaliter verum, si qua positiva dispositio ex nobis esse posset. — **Arausicanum can. 4** (Dz 177): Deus voluntatem nostram, qua a peccato purgari velimus, non exspectat, sed «*praeparatur voluntas a Domino*». — **can. 6** excludit omnes actus, qui tamquam dispositio positiva in quaestionem venire possent. His actibus mere humanis abiudicatur *omnis prorsus utilitas positiva* ad salutem, neque praecise meritorius tantum valor. — Cf. can. 7 20 22 s et clausulam (Dz 199). — **Tridentinum s. 6 cap. 5** (Dz 797) exordium iustificationis in Dei vocatione reponit, qua *nullis existentibus meritis vocantur, ut per gratiam* ad convertendum se ad suam iustificationem *disponantur*. Merita igitur vocationi praevia diserte, dispositionem tacite, sed satis clare excludit concilium. — Sic fieri docet, ut homo non possit «*sine gratia Dei movere se ad iustitiam* coram illo [Deo] libera sua voluntate». «*Movere se*» strictiore quidem sensu philosophico dicitur de causa formam *efficiente*; sed sensu paulum latiore sub se continet etiam causam se ipsam

¹ Cf. K. Feckes in Röm. Quartalschrift 32 (1924) 157—165.

ad novam formam *disponentem*; nam dispositio dicit appropinquationem ad formam sive *motum* versus eam. — Correspondens **can. 3** (Dz 813) saltem definit hominem naturalibus viribus non posse efficere *dispositionem proximam ad gratiam iustificationis* per actus fidei, spei, caritatis et poenitentiae¹. — Cap. 6 describitur, quomodo homines ope gratiae disponantur ad iustitiam. — S. 14 cap. 4 (Dz 898): *Attritio* est donum Dei et *Spiritus Sancti impulsus*, quo poenitens adiutus *viam* sibi ad iustitiam *parat*. Eadem sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequit, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam *disponit*. — Ergo Tridentinum non loquitur nisi de dispositionibus auxilio gratiae salutaris factis; dispositionem naturalem ad iustificationem certe reicit proximam; remotam aut reicit aut eo praeterit silentio, quod reiectionem fere adaequat.

216. II. Scriptura. 1. *Initium salutis* a Deo est (Phil 1, 6; 2 Cor 3, 5). Atqui si nostra dispositio praecederet, initium esset a nobis. — 2. In negotio salutis *nilhil possumus sine gratia* (Io 15, 5), ergo neque nos positive disponere. — 3. Relate ad vitam gratiae sumus quasi *creandi*, denuo *generandi*, a mortuis *resuscitandi* (Eph 2; Io 3). Atqui ad suam creationem, natiuitatem, resurrectionem nemo potest quidquam positive conferre (v. th. 1 et 2).

217. III. Patres. Priores interdum etiam initium salutis Deo attribuunt (n. 67 et 203). — **Augustinus**, *Ad Simpl.* 1, 2, 22 in massa peccatorum, quorum alii liberantur, alii relinquuntur, nullam diversitatem humanis studiis inductam agnoscit (v. n. 204 b). Saepissime cum Paulo interrogat: «*Quis te discernit?*», intellegens: solus Deus, non dotes nec studia humana (n. 65), e sua Itala profert Prov 8, 35: «*Praeparatur voluntas a Domino*» (n. 214 not.), cum Cypriano dicit: «In nullo gloriandum, quando *nostrum nihil est.*» Pristinum erro-

¹ V. *Suarez* l. 8 cap. 7 n. 8 s, ubi dicit de dispositione *proxima ad habitualement gratiam* assertionem esse de fide; «nam in conc. *Tridentino* est satis expresse definita et in prioribus conciliis et Patribus, immo et in *Scriptura* sufficienter tradita et proposita erat». Quod ad dispositionem *remotam* attinet, aliqui graves theologi contrariam sententiam etiam damnant haeresis, sed *Suarez* semper ab hac censura abstinuit, tum quia non inventit expressam definitionem universalem, quae damnaret illam sententiam sub nomine dispositionis, «tum etiam quia video theologos fere omnes [medii aevi] sine scrupulo uti illo modo loquendi».

rem retractat *Retr.* 1, 9, 2 (R 1968). — Prosper, *Contra Col-
latorem* 3, 8 (ML 45, 1805): Nullo modo voluntas hominis ad
Deum sine Deo se potest extendere. — De voc. gent. 1, 18:
«Omnibus ergo hominibus causa percipiendae gratiae voluntas
Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est.»

218. IV. Theologorum veterum doctrinam de dispositione ad
gratiam habitualement paulo fusius proponere iuvabit.

Alexander Hal., *S. th.* (ed. Venet. 1575) 3 q. 61 membr. 5 a. 3 ad 5:
«Nullus potest sufficienter [i. e. proxime] se disponere ad gratiam,
nisi Deus ipsum disponat; sed si faciat, quod in se est, consequitur
dispositio divini adiutorii»; *ibid.* membr. 6 a. 3 ad 1: Iustif exci-
tantur a gratia gratum faciente, peccatores a gratia disponente vel
gratis data, quae in peccatoribus fidelibus est fides informis. «Simi-
liter in infidelibus est ipsa recta ratio, quam appello gratiam gratis
datam seu disponentem, quia licet insit naturaliter, tamen gratis
datur a Deo, et etiam quod moveat ad bonum gratis datum a
Deo.» — **Bonaventura**, *In 2 d.* 28 a. 2 q. 1: «Tenendum est igitur, quod
liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiae gratis
datae, potest ad gratiam gratum facientem se *de congruo dispo-
nere*; si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam
posset ad ipsam disponi.» «Prima dispositio, quae fit ad gratiam
gratum facientem, est cogitatio, et haec non est absque dono gra-
tiae gratis datae.» Gratia gratum faciens «est quid divinum et
res existens supra liberum arbitrium», gratia vero gratis data
«tenet quasi medium» (cf. n. 54)¹.

219. Thomas iunior admittit dispositionem sine dubio *positi-
vum* ad gratiam habitualement absque gratia interna: *In 2 d.* 28
q. 1 a. 4: Ad hanc praeparationem requiritur aliqua *motio Dei
movenentis* humanam voluntatem per modum *excitantis*. «Ut enim
in 8 *Physicorum* (text. 20) ostenditur, mutatio voluntatis effici non
potest sine aliquo movente per modum excitantis; omne enim mo-
tum necesse est ab alio moveri. Nec differt, quidquid sit illud,
quod huiusmodi variationis occasionem praebet, quasi voluntatem
excitando, sive sit *admonitio hominis* vel *aegritudo corporis* vel
aliquid huiusmodi.» Cum haec omnia a divina providentia in

¹ De *S. Bonaventura* (etiam de *Alexandro Hal.* aliisque Scholasticis) bene agit *F. Mitzka S. J.*, *Die Lehre des hl. Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligm. Gnade* (ZkTh 50 [1926] 27—72 220—252; cf. etiam *Scholastik* 1 [1926] 619 s). Ex mente Doctoris Seraphici gratia gratis data, quae ad gratiam iustifican-
tem disponat, pertinet ad naturalem rectitudinem naturae inno-
centi debitam. Natura vero lapsa ad eliciendos actus dispositivos
pro sua «curvitate» requirit auxilium, quod sensu magis proprio
est gratia. Probabiliter *S. Bonaventura* hic maxime cogitat de
habitibus informibus a Deo infundendis, quando respectivi actus
disponentes eliciuntur. Sed haec gratia gratis data ex eius mente
est *sanans*, non pleno sensu elevans, id quod elucet ex *Breviloquio*
p. 5 c. 2 (ed. Quar. 5, 253 s).

bonum electorum ordinentur, possunt vocari gratia gratis data. Vel potest dici gratia gratis data « ipse actus liberi arbitrii, quem Deus in nobis facit, quo ad gratiam gratum facientem praeparatur ». Sic igitur « sine gratia gratis data homo se ad gratiam non praeparat ». Si autem gratia gratis data intellegitur aliquod munus *habituale* animae infusum, aliquod lumen menti infusum, sic non videtur conveniens, quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem praeparare sine dono gratiae gratis datae. Nam « non oportet, ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam praeparat, sint naturam humanam excedentes... Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest praeparare; faciendo enim, quod in se est, gratiam a Deo consequitur. Hoc autem solum in nobis est, quod in potestate liberi arbitrii constitutum est. » — ad 3: Claritas illa corporalis, quae circumfulsit Paulum, fuit quaedam occasio, quae ipsum induxit, ut se ad gratiam habendam praepararet, et cum se ad gratiam praeparavit, gratiam consecutus est. « Non dicitur, quod intus in ipso fulserit claritas, sed quia eum circumfulsit exterius. Ita etiam aliis, qui ad Deum convertuntur, occasiones salutis Deus praeparat. » — Haec est constans eius doctrina in *Comm. in Sent.*: **In 1 d. 17 q. 2 a. 3**: « Homo est dominus sui actus. Unde potest agere secundum totam virtutem naturae suae vel secundum partem... Quando... homo non habens caritatem ex tota virtute bonitatis naturalis sibi inditae movetur ad caritatem, tunc *unus actus* disponit eum *ultima* dispositione, ut caritas sibi detur. Quando vero non secundum totam virtutem, sed secundum aliquid eius praeparatur ad caritatem, tunc actus non est sicut dispositio ultima, sed *remota*, et *per plures actus* poterit pervenire ad dispositionem ultimam. » — Eodem sensu intellegenda videntur, quae habet **In 2 d. 27 q. 1 a. 4 ad 5**: « Gratia excedit omnem proportionem naturae; unde actus naturales non possunt *merita* respectu gratiae dici, sed *dispositiones remotae* tantum. » **In 4 d. 17 q. 1 a. 2 qc. 1**: « Oportet, quod [libera voluntas] ipsa cooperetur ad suam perfectionem; et haec cooperatio dicitur praeparatio ad gratiam, quae facit, quod in se est. » — ad 1: Haec cooperatio quandoque diu ante incipit, quandoque autem, quia perfecta est, statim iustificationem adiunctam habet. Subito alicuius voluntas convertitur ad Deum, « vel ex aliquo *exteriori* occasionem accipiens, sicut fuit in Paulo, vel etiam ex aliquo *interiori instinctu*, quo cor hominis movetur a Deo ». — qc. 2: « Praeparatio, quae exigitur in materia ad hoc, quod formam suscipiat, duo includit, scil. quod sit in debita proportione ad formam et ad agens, quod debet formam inducere. » Proportio ad Deum per naturae similitudinem et proportio capacitatis gratiae iam praeexistunt a creatione; « unde relinquitur, quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum et desiderium et ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti... et ideo per displicentiam peccati et affectum ad Deum se aliquis ad gratiam praeparat; et quando haec duo efficaciter facit, dicitur *facere, quod in se est*, et gratiam recipit. » — ad 2: Tamen voluntas nostra est omnino pedissequa respectu gratiae gratum facientis, quia praecedens bona voluntas « ex Deo nobis

provenit, qui gratuita sua voluntate nos ad hoc provocat vel flagellis vel aliquo auxilio interiori aut exteriori». Neque haec voluntas est causa gratiae, «sed aliquid ad ipsam viam parat». — ad 4: Ad hanc praeparationem non necessario requiritur fides intentionem dirigens; nam «finis ultimus, scil. Deus, potest esse in intentione eius etiam, qui fidem non habet, per generalem vel naturalem cognitionem, quam de Deo habet; unde etiam ille, qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam praeparare et ad gratiam, si secundum suam cognitionem peccatum sibi displiceat et in Deum affectus eius feratur.» — Cf. *In 2 d. 5 q. 2 a. 1.*

220. Essentialiter eadem doctrina habetur in **Quaest. disp. de ver. q. 6 a. 2:** «Gratiae causa non potest esse actus humanus per modum meriti, sed dispositio naturalis quaedam, in quantum per actus praeparatur ad gratiae susceptionem.» — a. 4 admittit maiorem obiectionis 2^{ae}: «Sicut dispositio naturalium bonorum est praeparatio ad gratiam, ita per gratiam praeparatur ad gloriam.» — Si **q. 24 a. 15** comparatur cum a. 14, cernitur Aquinatem prorsus eodem sensu exigere aliquam «gratiam», ut homo ad gratiam habitualement se praeparet et ut quodcunque bonum honestum agat. Nam a. 14 dicit: «Si gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interioris motum mentis operatur et exteriora ordinat ad hominis salutem, sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei»; a. 15 vero: «Si autem per gratiam gratis datam intellegant divinam providentiam, qua misericorditer homo *ad bonum dirigitur*, sic verum est, quod sine gratia homo non potest se praeparare ad habendum gratiam gratam facientem.» Hoc duplici ratione probat. Prior est eadem ac *In 2 d. 28*, desumpta ex principio Philosophi: «Omne, quod movetur, ab alio movetur.» «Et sic cum homo se ad gratiam incipit praeparare, de novo voluntatem suam convertendo ad Deum, oportet, quod ad hoc inducatur aliquibus exterioribus actionibus, utpote exteriori admonitione aut corporali aegritudine aut aliquo huiusmodi, vel aliquo interiori instinctu, secundum quod Deus in mentibus hominum operatur, vel etiam utroque modo. Haec autem omnia ex divina misericordia homini providentur. Et sic ex divina misericordia contingit, quod homo se ad gratiam praeparet.» Alteram rationem nunc addit: «Non qualiscunque motus voluntatis est sufficiens praeparatio ad gratiam..., sed oportet esse aliquem determinatum modum. Qui quidem modus homini *notus esse non potest*, cum ipsum donum gratiae cognitionem hominis excedat.» In tali casu «operans indiget gubernante et dirigente. Unde patet, quod liberum arbitrium non potest se ad gratiam praeparare, nisi ad hoc divinitus dirigatur.» — Opus est «gubernante et dirigente», non «elevante» hominis vires. Ergo neque hic S. Thomas censet actus praeparationis excedere vires naturales. Solummodo modus determinatus a ratione naturali ignoratur. Sed ei nunc non amplius sufficere videtur, quod homo *semel ex tota virtute* bonitatis naturalis agat vel *per plures actus* ad ultimam dispositionem perveniat, sicut dixerat *In 1 d. 17*; exigit enim specialem gubernationem ex parte Dei. Praeparationem, quae diu

ante incipiat (cf. *In 4 d. 17*), non amplius potest admittere, quoniam secundum a. 12 homo, qui non est in statu gratiae, non potest diu peccatum mortale vitare et sic facere, quod in se est (n. 151).

221. S. c. gentiles maiorem doctrinae profectum continet. 3, 147 (*Amplius*) S. Thomas ponit quidem generale principium, posse instrumentum secundum propriam virtutem aliquam dispositionem facere ad ultimam perfectionem; sed 3, 149, ubi ex professo ostendit hominem non posse mereri gratiam, in 2^o argumento (*Adhuc*) etiam dispositionem satis clare excludit: « Anima nostra operatur sub Deo sicut agens instrumentale sub principali agente. Non igitur potest se anima praeparare ad suscipiendum effectum divini auxilii, nisi secundum quod agit virtute divina. Praevenitur igitur divino auxilio ad bene operandum, magis quam divinum auxilium praeveniat, quasi merendo illud vel se praeparando ad illud. » Affert etiam textum *Thren* 5, 21: « Convertite nos, Domine, ad te et convertemur. » Alium textum *Zach* 1, 3: « Convertimini ad me et convertar ad vos », non negare ait Dei operationem, quae nostram conversionem praeveniat, sed asserere eandem etiam subsequenter nos adiuvari. — Magni momenti est, quod S. Thomas nunc alium textum Aristoteli adscriptum cognovit, scil. ex *Eth. Eudemia* 2 (*H 14*), 20—23 (ed. Bekker II p. 1248 a, 15—34), ubi probatur Deum esse primum principium nostrorum consiliorum et voluntatum¹. Primo invenitur S. c. g. 3, 89, quo capite generaliter, non solum pro ordine salutari, demonstratur motus voluntatis causari a Deo neque a sola voluntate. In posterioribus operibus loco textus ex 8 *Phys.* (« Quidquid movetur, ab alio movetur ») semper hunc novum textum affert, ut probet requiri aliquod (internum) auxilium Dei ad mutationem voluntatis vel etiam ad conversionem hominis, ad praeparationem et ad usum gratiae (v. g. *S. th.* 1, 2 q. 9 a. 4; *In Rom* 9 lect. 3)².

222. Quodl. 1. a. 7 (plerumque putatur circa pascha 1269 et paulo ante finem *S. th.* 1, 2 conscriptum; ita nunc etiam *Fr. Pelster* S. J.: *Scholastik* 3 [1928] 445, qui antea: *Gregorianum* 8 [1927] 533ss, tempus posterius, scil. pascha 1271 vel 1272, defenderat): « In hac quaestione [utrum homo absque gratia per solam naturalem arbitrii libertatem possit se ad gratiam praeparare] cavendus est error Pelagii, qui posuit, quod... homo... nec indigebat auxilio divino, nisi quantum ad hoc, quod sciret, quid facere deberet... Sed quia hoc nimis parum videbatur, ... ideo postmodum Pelagiani [i. e. Semipelagiani] posuerunt, quod initium boni operis est homini ex se ipso, dum consentit fidei per liberum arbitrium, sed consummatio est homini a Deo. Praeparatio autem ad initium boni operis pertinet. Unde ad errorem pelagianum pertinet dicere, quod homo possit se ad gratiam praeparare absque auxilio

¹ De hoc textu v. *Th. Deman* O. P., *Le «Liber de Bona Fortuna» dans la théologie de S. Thomas d'Aquin* (*RevScPhTh* 17 [1928] 38—58).

² De his cf. *Ioh. Stuffer* S. J., *D. Thomae Aqu. doctrina de Deo operante* (Oeniponte 1923) n. 256.

divinae gratiae, et est contra Apostolum (Phil 1, 6)... Homo indiget auxilio gratiae non solum ad *merendum*, sed etiam ad hoc, quod se ad gratiam *praeparat*, aliter tamen et aliter... Ad merendum requiritur habitualiter gratia; sed ad hoc, quod homo praeparet se ad habitum consequendum, non indiget alio habitu, quia sic esset procedere in infinitum. Indiget autem divino auxilio, non solum quantum ad exteriora moventia, prout scil. ex divina providentia procurantur homini occasiones salutis, puta praedicationes, exempla et interdum aegritudines et flagella, sed etiam quantum ad interiorum motum, prout Deus cor hominis interius movet ad bonum secundum illud *Prov. 21, 1*: Cor regum in manu Dei, quocumque voluerit, vertet illud. Et quod hoc necessarium sit, probat Philosophus in quodam capite *De bona fortuna* [sequitur textus ex *Eth. Eudem.*]... Sicut ergo omnis motus inferiorum corporum, quae non semper moventur, principium est motus caeli, ita omnium motuum interiorum mentium principium est a Deo movente. Sic ergo nullus potest se ad gratiam praeparare nec aliquid boni facere nisi per divinum auxilium.» — Ergo S. Thomas nunc perspexit fidem catholicam contra Semipelagianos definitam docere gratiam aliquam internam iam ad praeparationem gratiae requiri. Necessitatem vero huius auxilii interni etiam ex Philosopho probari posse autumat. Ergo ne nunc quidem de aliqua gratia actuali entitative et simpliciter supernaturali cogitasse videtur. Idem apparet ex a. 8 ad 2: Primus homo, si ponitur in statu innocentiae non statim habuisse gratiam, tamen potuit Deum super omnia diligere et se ad gratiam pluribus actibus praeparare; nam «naturali dilectione, qua Deus super omnia naturaliter diligitur, potest aliquis magis et minus uti, et quando in summo fuerit, tunc est summa praeparatio ad gratiam habendam».

223. S. theol. 1, 2 q. 109 a. 6: Praeparatio voluntatis ad bene operandum et ad Deo fruendum non potest fieri sine habituali gratiae dono. «Ad hoc autem, quod praeparet se homo ad susceptionem huius doni, non oportet praesupponere aliquid aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet praesupponi aliquid auxilium gratuitum Dei interius animam moventis sive inspirantis bonum propositum.» Id probat Aquinas ex hoc, «quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem; et ideo, cum secundum ordinem agentium sive moventium sit ordo finium, necesse est, quod *ad ultimum finem* convertatur homo *per motionem primi moventis*». Ex Dei, primi moventis simpliciter, motione est, «quod *omnia* in ipsum convertantur secundum communem intentionem boni... Sed homines *iustos* convertit ad se ipsum sicut ad specialem finem, quem intendunt et cui cupiunt adhaerere sicut bono proprio... Et ideo, quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi *Deo ipsum convertente*. Hoc autem est praeparare se ad gratiam quasi ad Deum converti.» — Hoc loco non videtur esse sermo de aliqua dispositione remota, quae iustificationem tempore praecedat, sed tantum de praeparatione proxima, quae est tempore simul cum iustificatione. Consistit in aliqua *conversione* ad Deum ut ad finem specialem et fit per aliquam divinam *motionem* sive per aliquod

auxilium internum, gratuitum, speciale. Haec motio *probabilius* concipitur a S. Thoma tamquam auxilium *entitative distinctum ab ipsa infusione gratiae habitualis*, i. e. tamquam aliquod auxilium vere actuale; tamen de mente Aquinatis dubitari potest et non a solo P. Stuffer dubitatum est (v. n. 344 et 499 not. et auctores ibid. laudatos). — Quod S. Thomas exigit auxilium Dei internum, ostendit progressum doctrinae in comparatione ad opera iunioris¹. — Sed non probatur Aquinatem iam, ut hodierni theologi, hoc auxilium clare concipere tamquam gratiam actualem elevantem, i. e. entitative et simpliciter supernaturalalem. Vox «gratuitum» certe id non demonstrat, quoniam iis quoque locis usu venit, ubi necessitas auxilii *interni* expresse negatur (v. g. *In 4 d. 17 q. 1 a. 2 qc. 2 ad 2*; v. n. 219). Neque satis probatur ex verbis «iustus convertit ad se ipsum sicut ad specialem finem» (i. e. ad Deum ut finem supernaturalem); nam quod ista motio divina convertat homines, quos iam vocat «iustos», ad Deum finem supernaturalem, secundum mentem S. Thomae potius oriri videtur ex infusione gratiae *habitualis*, quae simul cum motione divina fit. Necessitatem vero praecise *motionis divinae* internae hoc tempore probare solet ex Philosopho (v. n. 221 s), id quod etiam in hac q. 109, scil. a. 2 ad 1, fit, ad quem articulum in ipso hoc a. 6 lectorem remittit. — q. 112 a. 2: «Si loquamur de gratia, secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic *nulla praeparatio* requiritur ex parte hominis quasi *praeventiens divinum auxilium*; sed potius quaecumque praeparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis praeparatur ad donum gratiae suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo.» — ad 1: «Praeparatio... quaedam est *simul cum ipsa infusione gratiae*, et talis... est... *meritoria... gloriae... Est autem alia praeparatio gratiae imperfecta, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis, quae tamen est a Deo movente. Sed ista non sufficit ad meritum.*» — ad 2: «Cum homo ad gratiam se praeparare non possit nisi Deo eum praeviente et movente ad bonum, non refert, utrum subito vel paulatim aliquis ad perfectam praeparationem perveniat... Contingit autem quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, et talis praeparatio praecedit gratiam. Sed quandoque statim perfecte movet ipsum ad bonum, et subito homo gratiam accipit... Et ita contigit Paulo, quia subito, cum esset in progressu peccati, perfecte *motum est cor eius a*

¹ De differentia doctrinae, quae invenitur in *Comm. in II. Sent.* et in *S. th.*, v. sub *hoc art. 6 Caietanum*: «Dicta sua in 2 Sent. ad meliorem sensum reducens declarando et addendo»; «sine speciali adiutorio Dei... non potest praeparare se ad gratiam, quidquid in 2 Sent. *minus digestum* fuerit». — **Dom Soto**, *De nat. et grat.* l. 2 cap. 3: «Unde cum 2 Sent. d. 27 et 28 opinionem communem insecutus affirmasset, tum quod homo ex naturalibus posset se disponere ad gratiam, tum quod dispositio illa esset meritum de congruo, postmodum in *S. [th.]*, eloquia sacra et Patrum, cum primis Augustini, sententias meditatus explorans, utrumque retractavit» (cf. supra n. 151 not. 2).

Deo... et ideo subito est gratiam consecutus.» — ad 3: «Ad hoc, quod Deus gratiam infundat animae, nulla praeparatio exigitur, quam ipse non faciat.» — Cf. q. 109 a. 7 in fine corp. et ad 1; q. 112 a. 3 et totam q. 113 (de qua plura in th. 11 et eius scholio 2).

224. In Io cap. 1 lect. 6 n. 3: «Dedit autem hanc potestatem suscipiendi gratiam dupliciter: primo praeparando et hominibus proponendo;... secundo, quia hoc non sufficit, cum liberum arbitrium indigeat ad hoc, quod moveatur ad gratiae susceptionem, *auxilio gratiae* divinae, non quidem habitualis, sed *moventis*, ideo dat potestatem movendo liberum arbitrium hominis, ut consentiat ad susceptionem gratiae... Et hoc modo vocatur interior vocatio, de qua dicitur: *Quos vocavit* (interius voluntatem instigando ad consentiendum gratiae), *hos iustificavit* (gratiam infundendo).» — cap. 20 lect. 3 n. 4: «Licet quadam generali motione omnes res moveantur a Deo, specialiter tamen ad hominis iustificationem necessaria est gratia specialis.»

225. Ea via, quam S. Thomas progrediens indicavit, bene processit **Aegidius Romanus** O. S. Aug. († 1316). Qui optime callens doctrinam et *S. Augustini* et *S. Thomae*, utramque coniunxit. Probe distinguens inter Dei motionem *naturalem* et *supernaturalem*, ostendit, quo sensu hac in re Philosophus recte adduci possit (*In 2 d. 26 q. 2 a. 3*): «In iustificatione impii semper praecedunt quidam *impetus et divini motus* in ipso impio... Hi autem impetus et hi motus possunt esse naturales et gratuiti. Naturales quidem sunt, cum ordinant ad finem naturalem. Prout autem sunt naturales, determinat de eis Philosophus in libro *De bona fortuna* [Eth. Eudem.]... Si ergo Philosophus habet pro inconvenienti, quod isti impetus naturales... sint in *bestiis* [instinctus] et non sint in *hominibus*..., dicunt Theologi haberi pro inconvenienti, quod impetus divini sint in nobis *naturales* et ut consequamur finem naturalem, et non sint in nobis, ut sunt *gratuiti* et secundum gratiam...; sic sunt in nobis impetus gratuiti, ordinati ad gratiam [habitualem], secundum quam sumus digni consequi finem supernaturalem. Ergo in iustificatione impii prius sunt impetus et motus divini, quos plene sequendo convertitur impius..., ad quam conversionem infunditur sibi gratia, quae est... quaedam qualitas spiritualis... Sic... si eos [impetus] *complete* sequamur. Sed si *incomplete*, non sufficiunt impetus interiores, sed requiruntur ibi motus exteriores vel operationes exteriores [scil. sacramenta], quia aliquando per illos impetus non fit homo contritus, sed attritus.» Similia habet in sequ. *dubit. 1 laterali*, porro *d. 27 q. 2 a. 1*; a. 3 cum dub. 1 laterali. — Ex professo de praeparatione ad gratiam disserit *d. 28 q. 1 a. 3*: «Ad infusionem gratiae primo praecedit *divina vocatio* vel divinarum cogitationum immissio, postea sequitur liberi arbitrii ad Deum *conversio*, et postea *gratiae infusio*.» Istam autem vocationem considerat ut moraliter tantum influentem; hinc potest esse etiam externa. Quare in *dubit. 1 laterali art. 4* ostendit praeterea etiam requiri aliquam gratiam actualem physice elevantem: «Sicut ergo loquimur de *bono*, sic loquendum est

de *divino auxilio*. Si enim bonum, in quod tendimus, est naturale et non est supra naturam, nihilominus indigemus divino auxilio, quo movet naturam, cuius operatio extincta esset, ut diximus, sine Deo adiuvante et movente. Si autem huiusmodi bonum est supra naturam, cuius est bonum gratiae et gloriae, indigemus divino auxilio supernaturaliter nos movente.» Affert illud exemplum, quo etiam hodie solet illustrari gratia elevans et physice influens (v. n. 188): «Habemus enim nos in consecutione gratiae, sicut se habet puer nesciens scribere ad scriptorem. Nam puero nescienti scribere non sufficit, quod detur sibi calamus et atramentum ad scribendum, sed oportet, quod scriptor capiat manum pueri et ducat eam ad hoc, quod bene scribat. Sic non sufficit, quod Deus inspiret nobis *bonas cogitationes* et quod liberum arbitrium vel voluntas secundum illas bonas cogitationes *velit habere gratiam*, sed oportet, quod Deus moveat ipsum liberum arbitrium nostrum supra naturam suam, ut possit consequi gratiam, quod est bonum supernaturale.» Omnes creaturae agentes sunt instrumenta a Deo mota. «Et si sic est in his, quae sunt naturae, multo magis est in his, quae sunt gratiae. Quia quantumcumque Deus immittat bonas cogitationes et quantumcumque liberum arbitrium consentiat eis, non erit hoc sufficiens, nisi specialiter moveatur liberum arbitrium a Deo ad gratiam consequendam.» Dein quoad singula applicat exemplum pueri ad hominem supernaturaliter recipientem gratiam. — Cf. etiam q. 2 a. 1 ad 1: Ad virtutes acquisitas habendas sufficit auxilium divinum, «ut operatur in his, quae sunt naturae»; sed ad gratiam adipiscendam «requiritur auxilium eius, ut agit opera gratiae et superaddita naturae». — Post *dist. 28 dubit. 4 literalis*: «Multiplex est motio divina: Una generalis, qua movet totam naturam. Alia specialis, qua movet naturam rationalem ad gratiam. Et haec est praeveniens et subsequens: Praeveniens, in quantum immittit nobis bonas inspirationes vel cogitationes et vocat nos ad bonum super naturam, quod est gratia. Et subsequens, quia illae inspirationes non sufficerent ad hoc, quod *natura levaret se supra se* et susciperet in se gratiam, quae est supra naturam, nisi Deus ad hoc *specialiter* moveret eam; quia si non potest natura in opus naturae nisi a Deo mota, multo magis non potest in susceptionem gratiae, quae est super naturam, nisi *specialiter* a Deo mota. Ex quo sequitur, quod sicut natura mota ab agente naturali disponitur et praeparatur ad suscipiendam formam naturalem, sic mota a Deo non solum generaliter, ut movetur tota natura, sed etiam specialiter, ut movetur natura rationalis, praeparatur et disponitur ad suscipiendam gratiam, quod est quid supernaturale; quia semper actus activorum secundum Philosophum sunt in patiente et disposito, cum talis requiratur dispositio patientis, qualis est actus receptus et qualis est perfectio impressa.» — Ergo Aegidius exigit ad dispositionem remotam aliquam gratiam actualem, a motione naturali distinctam, supernaturalem quoad finem et modum, sed, ut videtur, non semper et necessario internam; ad dispositionem proximam autem clare exigit *internam gratiam actualem*, quae naturam *elevet*.

Attento lectori patebit hanc doctrinam quoad praecisionem conceptuum et modum argumentandi revera constituere progressum haud parvum, eumque positum in eadem linea, quam S. Thomas, suam doctrinam magis magisque perficiens, praesignavit.

226. Alii e contra in peiorem partem abierunt. **Durandus O. P.** († 1334), *In 2 d. 28 q. 5* manifeste doctrinam Thomae iunioris contra doctrinam senioris defendit: « Utrum autem praeparatio ad gratiam requirit speciale adiutorium Dei animum moventis et inspirantis bonum propositum [sunt verba Aquinatis senioris ex 1, 2 q. 109 a. 6], dicunt quidam quod sic. » Afferit rationem S. Thomae: « Supremum agens movet ad ultimum finem » eamque solvit: « Licet supremo agenti conveniat ad ultimum finem perducere, nihil tamen prohibet infimum agens ad ultimum finem disponere, sicut videmus in generatione hominis. » Quare ipse respondet: « Si speciale adiutorium vocetur immediata motio voluntatis a Deo, sine tali potest homo se praeparare ad gratiam », quia bonum morale habet ad gratiam immediatum ordinem. Si autem speciale adiutorium vocetur specialis providentia, quam Deus habet de his, qui hereditatem capiunt salutis, sic praedestinati ... non possunt se ad gratiam praeparare sine speciali Dei adiutorio... Sub ordine specialis providentiae... cadit, quidquid eos promovet ad salutem, sive sit exterior admonitio hominis, sive aegritudo corporis, vel quidquid voluntatem excitat ad bonum [sunt verba Aquinatis iunioris, *In 2 d. 28*]; et si hoc vocetur gratia, sine tali gratia non potest homo se praeparare ad gratiam. » — **Guilelmus Occam O. F. M.** († 1349) et nonnulli discipuli eius, ut **Gabr. Biel** († 1495; *In 2 d. 27 q. un. a. 2 concl. 4*), similiter sentiunt (v. Denifle, *Luther und Luthertum*, 2. Aufl. I, 573 s et Feckes, l. c. n. 208). — **Scotus** († 1308) ab eodem errore vix defendi potest (v. g. *In 2 d. 28; In 4 d. 14 q. 2*; cf. supra n. 208). — **Nicolaus Occam** (c. a. 1320): « Sive enim praeparet se [peccator] praeparatione subita sive successiva, semper ista praeparatio ortum habet ab aliqua gratia gratis data, et hoc vel a fide infirmi ... vel ab aliqua actione impediante a malo vel excitatione ad bonum, cuiusmodi est praedicatio vel interior allocutio, vel aegritudo, quibus Deus excitat animam hominis, ut respiscat » (apud *Mitzka* l. c. in nota ad n. 218, p. 59, ex Cod. Vat. Ottob. lat. 623 v. a. 33).

227. Multi saltem propinquam sive sufficientem praeparationem ad gratiam habitualement sine speciali Dei adiutorio negant: **Petrus a Tarantasia O. P.** (postea Innocentius V, † 1276; *In 2 d. 28 q. 2 a. 4*). — **Richardus a Mediavilla** (Meneville) O. F. M. († 1307; *In 2 d. 28 a. 1 q. 2*): Dispositionem remotam et indirectam « liberum arbitrium per sua naturalia cum sola generali motione primi moventis, quem supponit quaelibet actio creaturae », perficere potest. Propinqua et directa dispositio requirit gratiam gratis datam, « comprehendendo sub gratia gratis data non tantum aliquod habituale donum naturalibus superadditum, sed etiam Spiritus Sancti aliquam motionem specialem factam per se immediate tantum vel cum hoc etiam mediante aliqua creatura ». —

Compendium theologiae veritatis (e fine saec. XIII): « Gratiae gratis datae est revocare liberum arbitrium et excitare ad bonum, sine qua nullus facit *sufficienter*, quod in se est, ut se praeparet ad salutem » (*Denife* I, 578). — Similiter multi Scotistae et communiter Thomistae. — **Did. Deza** Hispal. O. P. († 1523; *In* 2 d. 28 q. 1 a. 4) contra Durandum ait: « Falsum est, quod *bonum morale praecise*, id est sine speciali motione Dei, habeat ordinem *immediatum* ad gratiam. » — **Caietanus** O. P. († 1534; *In* 1, 2 q. 109 a. 6): « Facere opus moraliter bonum, etiam in omnibus humanis actibus non est propinqua praeparatio ad gratiam, sed oportet addere, quod fiat cum conversione ad Deum ut finem supernaturalem; quoniam praeparatio ad gratiam inchoatio est intentionis creaturae respectu beatitudinis supernaturalis. Et quoniam ad supremum agens spectat intendere in ultimum finem, sine speciali adiutorio Dei nulla creatura rationalis potest praeparare se ad Dei gratiam, quae est specialis ultimus finis ut coniunctio specialis et supernaturalis ad Deum. »

228. Tridentinum¹ saltem docet proximam praeparationem non fieri sine auxilio gratiae internae. Abhinc longe plurimi theologi etiam remotam dispositionem attribuunt gratiae supernaturali, sed quidam ex his aliquam remotissimam et impropiam reservant operibus naturalibus: **Dom. Soto** O. P. († 1560; *De nat. et grat.* l. 2 cap. 3): « Nemo facultate humana potest *sufficienter* se ad gratiam disponere, nisi *speciali* auxilio subnixus, ea dispositione, quam infallibiliter et certa lege subsequatur gratia. » S. Thomam supponere hanc veritatem tamquam ex evangelio certam (Io 6, 44) et rationem dumtaxat explicationis causa adducere. Tamen Soto admittit *impropiam et remotissimam* dispositionem, nec sufficientem nec necessariam, ex viribus naturae. Breviter (versus finem cap. 16) suam de dispositionibus doctrinam complectitur: « Quasdam appellavimus remotissimas, nempe omnia opera moraliter bona, quae naturali facultate fiunt. Illa autem, quia non dimanant ab influxu speciali Spiritus Sancti, non censentur proprie inter dispositiones. Sed illa dumtaxat opera hoc nomine secundum proprietatem veniunt, quae *peculiariter* attingente nos digito Dei exhibemus. Inter quas tamen aliae sunt remotae et imperfectae neque semper necessariae, aliae vero proximae, efficaees et omnino requisitae. » — **Barth. Medina** O. P. († 1581; *In* 1, 2 q. 109 a. 6) eandem tripartitionem ex Soto transumit: « Tres praeparationes inveniuntur ad habendam gratiam. Una est ultima et immediata, ad quam infallibiliter sequitur gratia... Est alia dispositio, ad quam non infallibiliter sequitur gratia, v. g. quando immittit Deus metum gehennae et illuminationes et inspirationes, quibus homo... *paulatim* ad salutem trahitur... Tertia dispositio, quae *vix meretur hoc nomen* et est *impropria* dispositio, veluti cum quis in affectu peccati mortalis existens operatur aliqua opera moraliter bona, ut dare eleemosynam etc. Haec est

¹ Cf. *Friedr. Hünermann*, Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil von Trient (Paderborn 1926), praes. p. 9—11 25 34. — *Scholastik* 1 (1926) 434—436.

dispositio ad gratiam *multum remota*, qua ratione cavet peccata. » Istas tres dispositiones comparat cum similibus in natura: Ad formam ignis generandam dispositio proxima est certus *gradus caloris* cum certa raritate et siccitate; alia dispositio, ad quam non necessario sequitur forma ignis, est *minor gradus caloris* cum minore raritate vel siccitate; « est alia dispositio *magis remota*, scil. quod lignum sit *siccum* et aridum ad combustionemque aptum. Haec dispositio *improprie* est dispositio ad producendam formam ignis; nam dispositio proprie ea est, quae se tenet ex parte agentis, non quae se tenet ex parte passi. » « Prima conclusio: *Ultima* dispositio ad gratiam, ad quam infallibiliter sequitur gratia, non habetur ex facultate naturae, sed tantum dono Dei speciali; et contrarium docere est pelagianum. Quare attente et cum scrupulo legendi sunt doctores *scholastici* in hac parte, qui, arbitrantes se contradicere D. Thomae, *contradicunt Scripturis et conciliis*, quae nunquam legerunt, sed *tantum metaphysicas rationes consulerunt* suo ingenio adinventas. » — « Tertia conclusio: *Opus moraliter bonum* et quidquid homo facit ex facultate naturae propriae, *non est dispositio* ad gratiam, sed est *veluti siccitas in ligno*, quae proprie non est dispositio, sed potius *potentia passiva*. » Iure Suarez (l. 8 c. 7 n. 9) hoc « exemplum mirabile » reprehendit, cum siccitas ligni sit « satis propria et magna dispositio ad ignem ». Del Prado vero, qui praecise in hac quaestione praeparationis ad gratiam doctrinam « semipelagianam » Molinistarum acerrime carpit, non veretur exemplum Medinae repetere et cum restrictione: « si ita loqui fas est », suum facere (*De grat. et lib. arb.* I pag. 69 327). En differentia inter Del Prado et Molinistas! Hi admittunt liberum arbitrium posse ex se aliquatenus abstinere a maeffactione ligni et propterea a saeculis traducuntur « Semipelagiani »; secundum exemplum a Del Prado propositum homo potest efficere id, quod « est veluti siccitas in ligno » animae, quo facilius igne gratiae inflammetur. — Adhuc **Andr. Vega** O. M. Obs. († 1560; *Trident. decr. de iustif. expositio* l. 8 cap. 9 in fine) dicit: « Non video posse a quoquam catholico verti in dubium, quin causae sint suo modo nostrae iustificationis omnes dispositiones, per quas venimus in Dei gratiam, sive illae sint *ex solis viribus nostris naturalibus* sive etiam ex auxilio Dei speciali. » — **Suarez** vero (*De grat.* l. 8 c. 7) et alii huius temporis theologi ostenderunt *nullam positivam* dispositionem mere naturalem, licet remotissima sit, admitti posse. Quae doctrina brevi communiter recepta est, si excipias, quod usque ad nostros dies quidam theologi formulas et exempla veterum, quae positivum sonant influxum, inconsiderate repetunt.

229. Historia huius doctrinae a saeculo XIII ad XVII brevis- sime igitur sic adumbrari potest: *Multi veteres Scholastici*, qui de doctrinis Semipelagianorum earumque damnatione non multum noverunt et sub voce gratiae fere exclusive *donum habituale gratiae sanctificantis* intellegebant, putaverunt satisfieri doctrinae Ecclesiae, dummodo teneretur istam gratiam gratuito, i. e. *sine praecedente merito de condigno* conferri. Quoniam de

dispositione ad gratiam saltem sub hac voce nihil videbant traditum, opinati sunt eam posse salva gratuitate gratiae viribus naturae fieri. Sic *veritas* nostrae thesis, quae ex veterum definitionibus saltem certo deducitur, iterum *valde obscurata est*. — Sed per laborem theologicum *paulatim et gradatim* plenae luci restituebatur: 1. Praesertim per *S. Thomam* monstratum est gratuitatem gratiae saltem id exigere, ut *ultima* et infallibilis dispositio ad iustificationem procedat ex interna et gratuita motione Dei. Hoc inter alios imprimis Thomistae adversus Durandum et quosdam Nominales strenue defendebant. — 2. Maxime saeculo XVI plurimi viderunt ne actus quidem *remote* disponentes ad iustificationem absque interna Spiritus Sancti gratia posse fieri sicut oportet ad salutem. — 3. Tandem cognitum est *ne remotissimam quidem et improprie dictam* dispositionem ex solis naturae viribus recte admitti, nisi haec conciperetur tamquam *pure negativa*.

230. V. Ratio. 1. Reicitur dispositio exigens gratiam. Quomodo homo naturaliter efficere possit dispositionem *physicam*, quae gratiam supernaturalem exigit, prorsus non intellegitur et per th. 9 omnino excluditur, cum gratia salutaris sit ordinis divini, qui omnes vires et exigentias creaturarum transcendit. Ergo neganda est paritas in exemplo *Durandi*: Parentes disponunt materiam ad infusionem animae spiritualis, quamvis solus Deus eam producere possit. Anima enim humana *naturaliter* est forma corporis. — *Moralis* vero dispositio separari nequit a *merito de congruo*, quod iam th. 7 refutavimus. Si enim homo actibus moraliter bonis positivam idoneitatem ad gratiam sibi compararet, eiusmodi opera in obsequium Dei facta etiam de congruo mererentur, ut a Deo collatione gratiae remunerarentur. — Ceterum omnia positiva argumenta prius allata saltem hanc formam dispositionis excludunt.

2. Reicitur dispositio, quam natura gratiae exigit. Gratia sane non obstante omnimoda gratuitate *quaedam naturalia praeelegit*, v. g. ut natura sit rationalis. Tamen omnes theologi recentiores negant ullam dispositionem actibus moraliter bonis mere naturalibus effici posse, quam gratia ex natura sua praerequirat. *Ripalda* (De ente sup. l. 1 disp. 18 n. 14) talem dispositionem, quam vocat extrinsece congruam, non audet tueri; sed neque audet «improbabile asserere, quod aliqua ratione excusari queant tot et tam graves Scholastici» a Semipelagianismo, si eorum doctrina de hoc modo dispositio-

nis explicari possit. — At ista dispositio saltem est *minus conformis doctrinae Ecclesiae*. Nam sic homo aliquo modo suam voluntatem praepareret Deusque eam exspectaret, quod esset contra *can. 4 Arausicani*; et homo de suo videretur habere, quod, ordini gratiae comparatum, nullo vero sensu posset dici cum *can. 22* «mendacium et peccatum». Neque plus videtur affirmasse *Cassianus*, cum (*Coll. 13 cap. 13*; cf. n. 197 not. 1) diceret gratiam Dei nonnunquam a libero arbitrio quosdam conatus bonae voluntatis vel exigere vel exspectare.

3. Reicitur dispositio, quam gratia exigat ex lege Dei extrinseca. In hoc casu vix haberetur aliqua veri nominis dispositio, sed potius *mera condicio sine qua non*; nam nulla maior idoneitas interna produceretur. Sed ipsi *Masilienses* fatebantur Deum non statuisse universaliter eiusmodi condicionem sine qua non. Nonnullos enim peccatores, v. g. Matthaeum, Zachaeum, Saulum, nulla bona dispositione praecedente ex sola Dei misericordia esse vocatos ad gratiam concedebant (*Araus. can. 8*; *Prosper, C. Coll. cap. 7*; *Cassianus, Coll. 13 cap. 11*). — *Araus. can. 3* citat verbum Apostoli (Rom 10, 20) desumptum ex propheta (Is 65, 1): «Inventus sum a non quaerentibus me», et *can. 4* absolute negat Deum exspectare nostram voluntatem. Quoniam *can. 6* negatur sine gratia Dei credentibus etc. misericordiam conferri divinitus, non videtur dici posse secundum legem a Deo statutam cum determinatis actibus naturaliter honestis infallibiliter necti collationem gratiae salutaris. Porro tales actus expedirent positive ad salutem, quod est contra *can. 7*. — Ex his rationibus neque iste modus dispositionis a theologis admittitur (cf. de his *Ber. n. 378 s 382 s*).

231. Probatur pars II. Dispositio negativa admittitur.

Arg. I. Ex ratione theologica. A. Haec pars fluit ex nonnullis doctrinis aliunde notis: 1. Deus habet, etiam post peccatum originale, seriam *voluntatem salvificam universalem*. Hinc ex se paratus est, ut det omnibus hominibus sufficientia media salutis. Iamvero haec seria voluntas salvifica tolleretur, si Deus, quominus adultis ulteriora auxilia necessaria daret, per aliud quid impediretur quam per ipsorum gravem et personalem culpam (cf. de his th. 25). — 2. Ex altera parte certum est *peccata hominum reapse multas gratias praepedire*. «Deus non deserit, nisi deseratur», sed sane facile deerit homini, qui ipse prior Deum deseruit. Illud principium

S. Augustini valet de homine iusto et de fideli catholico (Dz 804 1794), atque simili modo ad hominem nondum ad fidem vocatum applicari potest. Nemo enim negabit malam vitam multorum infidelium esse rationem, cur multa beneficia gratiae non accipiant¹. — 3. Homo potest ex se etiam *multa facere, ne hoc impedimentum ponat*. Nam potest quaedam opera honesta facere et per breve tempus omne peccatum mortale vitare (th. 4 et 5), neque ut diu vitet, requiritur ex natura rei gratia entitative supernaturalis; hinc Deus infidelem, qui facit, quod moraliter potest, si eidem gratiam entitative supernaturalem nondum vult dare, etiam *auxiliis ordinis naturalis* ita adiuvare potest, ut omnia peccata mortalia diu vitet (v. n. 156). — 4. Si ita evenerit, ut homo infidelis faciendo, quod in se est, nullum impedimentum gratiae posuerit, seria voluntas salvifica Dei necessario suum effectum obtinebit, i. e. post auxilia ordinis naturalis *aliquando*, tempore scilicet, quo Deo placuerit, sed antequam status viae finiatur, concedet *gratias stricte salubres et supernaturales*, quae ad fidem et dein ad iustificationem sufficiunt; et si homo, in sua bona voluntate permanens, his gratiis oblati fideliter cooperatur, re vera iustificabitur.

232. Si quis cum Salmanticensibus dicit *etiam omnem non facientem*, quod in se est, aliquando ex Dei voluntate salvifica accipere aliquam *gratiam entitative supernaturalem*, haud ita adversamur. Nam maxime id intendimus, ut voluntatem salvificam universalem in tuto collocemus. Quae, si res ita esset, egregie servaretur, licet superfluum evaderet de solo faciente, quod in se est, illud principium statuere. Tamen sententia Salmanticensium *difficulter probatur*. Quod enim dicunt de illuminatione supernaturali omnibus hominibus *primo instanti usus rationis* concedenda, prorsus gratis asseritur et omni experientiae adversari videtur. Primae gratiae entitative supernaturales infidelibus probabilius tunc dantur, *quando revelatio credenda iis proponitur* (cf. n. 132), et fortasse infideles sat multi inde ab initio usus rationis suis flagitiis tot et tantos *obices* gratiae opponunt, ut sua culpa numquam usque ad istud initium vitae supernaturalis perveniant. — Quae *Patres* de Verbo omnem hominem illuminante (Io 1, 9) dicunt et quae *Ecclesia* de influxu Christi in infideles adversus Iansenistas

¹ V. g. *Salmanticenses*, huius partis adversarii, dicunt (tom. 9 tract. 14 disp. 3 n. 199): «Deus denegat gratiam se impediendi... significat Deum denegare gratiam in poenam praecedentis impedimenti, et simul nos ex nobis posse impedimentum gratiae praestare; quod est verissimum»; *Fr. Marin-Sola* O. P. (*La Ciencia Tomista* 33 [1926 I] 54): «Con la naturaleza sola... se puede poner y non poner algunos impedimentos a la gracia... Esta es la doctrina corriente del tomismo.»

docet (Dz 1295 1376 ss 1522), sufficienter explicantur de auxiliis *entitative naturalibus* propter merita Christi ad dispositionem negativam iuvandam datis et de gratiis supernaturalibus, quae iis, qui iam ad fidem vocantur, *ad ipsius fidei praeambula* salutariter ponenda conceduntur (cf. n. 132 not. 1).

233. B. Sic gratuitas gratiae et independentia Dei in distribuendis suis donis perfecte servatur. 1. Homo *nequaquam fit causa gratiae*, neque ut merens neque ut disponens. Quod positive facit, nihil valet ad producendam vel exigendam gratiam. — 2. Neque homo ponit *condicionem sine qua non*. Talis per se non est contra gratuitatem. Status *vigiliae* v. g. est condicio sine qua non actus salutaris; sed sane necesse non est, ut hic status auxilio supernaturali habeatur. Tamen *propter fontes* dicimus: Neque opera honesta sunt necessaria condicio, neque opera inhonesta sunt necessarium impedimentum gratiae. S. Augustino (Enchir. cap. 98 [R 1926]) assentimur dicenti: « Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » — 3. Opera honesta sunt igitur mera « *condicio cum qua* » sive « *qua posita* », et quidem non nisi *negativa* condicio, i. e. valent aliquid ad collationem gratiae, non quatenus sunt positivum quid, sed tantum quatenus ipsis existentibus non existit peccatum, quod possit esse ratio sufficiens, cur Deus deneget gratiam. Tamen ad hoc *requiruntur positivi actus boni* nec sufficiunt actus indifferentes vel nulli, quia homo adultus de facto *non resistet omnibus tentationibus* et proinde non faciet sufficienter, quod in se est, nisi actus honestos eliciat. Itaque hi actus non conferunt homini ullam *perfectionem positivam*, quae disponat ad gratiam sive minuatur indispositionem iam contractam, sed quoad collationem gratiae salutaris non valent nisi ex parte sua *negativa*, i. e. in quantum non sunt peccatum et praecavet novum peccatum, quod sit novum gratiae impedimentum. *Semipelagiani* autem volebant positivum quid, licet minimum, quo homo prae aliis se discerneret et Deo occasionem gratiae conferendae praeberet. — 4. Quod igitur in hac re homini adscribimus positivi, est *potestas impediendi gratiam, quatenus Deus libere impedi se sinit*. Homo potest vitam, visum etc. sibi adimere, adempta sibi reddere neutiquam potest. Simile quid quoad gratiam asserimus. Bene operando homo *non efficit nexum infallibilem* inter suam operationem et collationem gratiae, quippe qui ex sola voluntate Dei salvifica

iam antecedenter habetur, sed solum *cavet, ne ista infallibilitas* suis peccatis *tollatur*; non ponit id, quod determinat collationem gratiae, sed omittit ponere, quod posset eius denegationem determinare.

234. C. Quod Deus in gratia distribuenda aliquatenus respiciat ad maiorem et minorem indignitatem, quam libera hominis voluntas causet, videtur omnino rationi consonum, experientia probatum et ipsa revelatione confirmatum. S. Paulus, qui «adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini» (Act 9, 1) miraculo gratiae subito conversus est, aliquam nihilominus rationem manifestat, quae maiorem indignitatem prohibuerit: «Misericordiam Dei consecutus sum, quia ($\delta\tau\iota$) ignorans feci in incredulitate» (1 Tim 1, 13), et Christus in cruce orat: «Pater, dimitte illis; non enim ($\gamma\acute{\alpha}\rho$) sciunt, quid faciunt» (Luc 23, 34).

Si homo semel non facit, quod in se est, mortaliter delinquendo, quantum ad rigorem iustitiae *ex sese perpetuum gratiae impedimentum posuit*; nam suis viribus pro peccato satisfacere eiusque remissionem obtinere non potest. At reapse voluntas Dei salvifica multo amplius extenditur, scil. *usque ad impenitentiam finalem* hominis. Deus quamdiu eum in statu viae relinquit, ei non denegat omnia auxilia, saltem ordinis naturalis, quibus homo bene utendo atque sic faciendo, quod in se est, *infallibiliter ulteriora adiutoria* ac tandem etiam supernaturalia et ad iustificationem proxime sufficientia habebit (v. th. 25 et Suarez l. 4 cap. 16 n. 21).

235. Arg. II. Ex traditione sive ex historia huius quaestionis. Nolumus probare hanc veritatem semper in *explicita* professione Ecclesiae fuisse, neque, quod *Lessius* contendit, omnes moraliter Scholasticos iam a quingentis annis axioma nostro sensu intellexisse (*De grat. eff.* append. ad cap. 10, n. 24; cf. *Palm.* pag. 302 s). Sed historica consideratione ostenditur: 1. Principia, e quibus nostram sententiam deduximus, semper in Ecclesia viguerunt. — 2. Magis magisque inter multas deviationes ad dextram et ad sinistram perventum est ad nostram sententiam tamquam ad mediam viam, inter oppositos errores satis angustam, quae omnia servanda egregie servat atque imprimis cum perfectam gratiae gratuitatem tum seriae voluntatis salvificae universalitatem. Qui vero ab hoc tramite deflexerunt, alterutram ex his certis veritatibus non potuerunt relinquere integram. Ergo nostra sententia dicenda est diuturnae et vicissitudinibus plenae evolutionis legitimus terminus.

236. Patres ante Augustinum maxime *voluntatem Dei salvificam* extollunt¹. Secundum eosdem non omnino perinde est, utrum homo ante fidem honeste vivat an in peccatis obdurescat. Sed influxum *pure negativum* a positivo non satis segregant (cf. n. 98 *Apologetas* et *Gregorium Naz.*). Dicunt solem iustitiae omnibus ortum esse, hominem vero posse generali beneficio se ipsum fraudare, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat (*Ambrosius, In Ps 118* 8, 57 [R 1313]). Praeformatio quaedam principii habetur apud Isidorum Pelusiotam, *Epist.* 5, 459 (MG 78, 1594): τῶ γὰρ πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ πληροῦντι εὐμενῶς ἐπινεύει. — *Alexander Hal.* (3 q. 61 m. 1 fol. 249 b) tamquam ab Origene dictum affert: «Si obtulerimus, quae ex nobis sunt, consequemur ea, quae Dei sunt.»

S. Augustinus initio aliquam positivam dispositionem liberi arbitrii asseruit (n. 204); sed inde a *Quaest. div. ad Simpl.* ne negativam quidem videtur agnoscere; ibid. 1, 2 n. 22: Deus non eligit «prae quibusdam peccatoribus castiores»; quidam «in coniugali castitate viventis sine querela» manent haeretici vel pagani vel in vera Ecclesia sic tepidi, ut a meretricibus et histrionibus subito conversis omnibus superentur virtutibus. — *De pecc. mer. et rem.* 1, 22, 31 (n. 101; cf. P 136): In illo exemplo homo, qui «ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor» etc. vivit, non accipit gratiam fidei; e contra alius «tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus» ad fidem, iustificationem, beatitudinem pervenit. — Libenter omnimodam gratiae gratuitatem exemplo infantium illustrat, qui partim baptismo salvantur, partim sine baptismo damnantur. In his omnè discrimen, etiam ex parte dispositionis negativae, deest. — Sed S. Augustinus senior haec sentiendo seriam *voluntatem salvificam universalem* non potuit sustinere (cf. th. 25 n. 680—682). — Auctor libri *De vocatione gentium* et nonnulli alii discipuli S. Augustini sententiam eiusdem *mitigant*, Praedestinatiani vero eam usque ad apertam haeresim exaggerant. — Saeculo IX et adversarii Godescalci et eorum impugnatores mediam viam successu non satis felici quaerunt (v. conc. *Carisiacense* et *Valentinum* [Dz 316 ss 320 ss]).

¹ V. th. 25 n. 679 et opera ibid. laudata, praesertim *Passaglia* et *Capéran*.

237. Apud **Scholasticos** axioma «*Facienti*» magnam auctoritatem habet, sed non uno sensu intellegitur. Conceptus autem dispositionis pure negativae non deest. Sic **Petrus Lomb.** l. 1 d. 41 n. 2 disserit de aliquo verbo *S. Augustini iunioris* (*De div. qq. 83 q. 68 n. 4*). Ipse Magister recte tenet Augustinum seniore[m] hoc verbum *retractasse*. «Quidam tamen ex eo sensu accipiunt fore dictum, . . . quia aliqui non adeo mali sunt, ut mereantur sibi gratiam non impertiri. Nullus enim gratiam Dei mereri potest, per quam iustificatur; potest tamen mereri, ut non apponatur, ut penitus abiciatur. Et quidem aliqui in tantum profundum iniquitatis devenerunt, ut hoc mereantur, ut hoc digni sint; alii vero ita vivunt, etsi non mereantur gratiam iustificationis, *non tamen mereantur omnino repelli* et gratiam sibi subtrahi.» Haec explicatio verborum Augustini Magistro non placet. — **Alexander Hal.** primus conceptum aristotelicum dispositionis materiae ad formam recipiendam applicasse videtur ad praeparationem gratiae infusioni praevisam (cf. *Karl Heim*, *Das Wesen der Gnade . . . bei Alex. Hal.* [1907] p. 72 ss 114 ss). Antea axioma nostrum videtur potius intellectum esse de homine *ex solis naturae viribus* agente. Alexander vero conceptum *gratiae gratis datae*, quae inter naturam et gratiam gratum facientem mediet, magis excoluit. Docet igitur: *Sufficiens dispositio* ad gratiam gratum facientem non fit sine gratia gratis data. Sed ex sola ratione naturali potest homo aliquo modo *removere id, quod prohibet gratiam*, scil. dissensum ad bonum et consensum ad malum (non potest loqui Alexander de *deletionem* peccatorum iam commissorum, sed nonnisi de *abstinentia a continuando et augendo* peccata). Si hoc modo homo facit, quod in se est, adhuc indignus est gratia, et Deus eandem ex sola liberalitate conferet; sed *infallibiliter* conferet, si istud «*meritum interpretativum*» adest. Non facienti offertur quidem gratia, quia «lux prima semper lucet et radiat super creaturam, quantum est de se; . . . non tamen semper recipitur, quia creatura non potest eam recipere, quia est indisposita» (ed. Venet. 1575: 3 q. 61 m. 5 a. 3 s; cf. a. 2). Alexander hisce videtur nostram sententiam satis clare docere¹. — **S.** vero **Bonaventura** (*In 2 d. 28 a. 2 q. 1 ad 4*) negat axioma habere veritatem, si de libero arbitrio etiam omni gratia gratis data destituito usurpetur². —

¹ Sed cf. quae n. 218 ex Alexandro allata sunt de recta ratione tamquam gratia gratis data in infidelibus.

² Cf. *Georg. Bozithkovic O. F. M.*, *S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio* (1919) p. 64 ss.

Henricus Gandavensis defendit aliquam dispositionem «pure negativam, scil. non resistere» gratiae, id quod Capreolus (*In 4 d. 15 q. 2 a. 2, ad argumenta Henrici; ed. Turonibus 1906 t. 6 p. 316 s*) impugnat, statuendo dispositionem positivam.

238. S. Thomas *In Sent. et De ver.* intellegit hoc principium de eo, qui *solis naturae viribus*, utique exterius vel interius a Deo excitatis, se *positive* ad gratiam praeparat (v. n. 219 s). — **S. c. gent. 3, 159** conceptum dispositionis *negativae* bene explicat: Quamvis homo sine gratia ad Deum non possit converti, tamen rationabiliter ipsi imputatur, si careat fide, spe, dilectione et perseverantia; nam «licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, *potest tamen se ipsam impedire*, ne eam recipiat... Et cum hoc sit *in potestate liberi arbitrii*, impedire divinae gratiae receptionem vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum praestat gratiae receptioni. *Deus* enim, quantum in se est, *paratus est omnibus gratiam dare*... (1 Tim 2, 4). Sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant; sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur.» — Tamen haec optima principia, si ad statum naturae lapsae applicantur, parum iuvant. Nam secundum sequens **cap. 160** homo *lapsus*, nisi gratia praeveniatur, iam est in ea condicione, ut istud *impedimentum necessario ponat* oculosque soli gratiae necessario claudat: «Quod autem dictum est *in potestate liberi arbitrii esse*, ne impedimentum gratiae praestet, competit his, in quibus naturalis potentia integra infuerit. Si autem per inordinationem praecedentem declinaverit ad malum, non erit omnino in potestate eius nullum impedimentum gratiae praestare. Etsi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari possit abstinere propria potestate, si tamen diu sibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiae impedimentum praestatur... Unde manifestum est, quod *post peccatum non potest* homo abstinere ab omni peccato, antequam per gratiam ad debitum ordinem reducatur... Quamvis autem illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiae praestent vel ponant, ... nisi auxilio gratiae praeveniantur, nihilominus tamen hoc *eis imputatur ad culpam*, quia hic defectus *ex culpa praecedente* [saltem originali!] in eis relinquitur.» — Abhinc axioma constanter explicat de eo tantum, qui *cum auxilio gratiae* cooperando facit, quod in se

est, v. g. **1, 2 q. 109 a. 6 ad 2**: « Et ideo, cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est *motus a Deo* », i. e. secundum corpus articuli per « aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis sive inspirantis bonum propositum » (v. n. 223). — q. 112 a. 3 axioma nostrum eodem modo interpretatur.

239. Neque **1, 2 q. 89. a. 6** aliter explicari potest. Dicit ibidem (in corp. et ad 3): Puer incipiens habere usum rationis primum debet deliberare de se ipso et de Deo ultimo fine; nam finis est prior in intentione. Nisi, quam cito potest, *se convertat ad Deum*, mortaliter peccat, non faciens, quod in se est. « Et si quidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. » Iste primus actus conversionis ad Deum intellegitur *cum auxilio interno* Dei factus. Nam 1. In omnibus operibus huius temporis docet: « Quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi *Deo ipsum convertente*. Hoc autem est praeparare se ad gratiam quasi ad Deum converti » (1, 2 q. 109 a. 6, ubi ex professo de hac conversione tractat). — 2. Sic nunc semper explicat *Zach 1, 3*, quem verum etiam q. 89 a. 6 ad 3 affert. — 3. Clare suam opinionem manifestat *In Rom 10 lect. 3*: « Numquid ergo illi, ad quos non pervenit, utpote si fuerunt nutriti in silvis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum est, quod excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequuntur, ut scil. iustificentur ab aliis peccatis, vel quae nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt, et pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei sicut Petrum Cornelio et Paulum Macedonibus. Sed tamen hoc ipsum, *quod aliqui faciunt, quod in se est*, convertendo se scil. ad Deum, ex Deo est movente corda eorum ad bonum. »

240. Ergo S. Thomas senior nullam videtur agnoscere praeparationem, quae non procedat ex interna gratia. Homo lapsus sine hac gratia *non diu*, et incipiens habere usum rationis *ne breviter quidem faciet* id, ad quod sub gravi obligatur. Non videtur censere S. Thomas hanc gratiam *omnibus* hominibus in isto primo instanti sufficienter *offerri*. Saltem **2, 2 q. 2 a. 5 ad 1**, ubi obicitur hominem non teneri ad credendum aliquid explicite, si hoc ex defectu praedicantis fidem non sit in eius potestate, hoc modo respondet: « Ad multa tenetur homo, ad quae non potest sine gratia reparante . . . Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiae; quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur *in poenam* praecedentis aut *saltem originalis peccati*, ut *Augustinus* dicit. » — Hinc S. Thomas, cum

S. Augustino ab ideis semipelagianis, quibus iuvenis imbutus erat, in maturiore aetate recedens, cum eodem Patre in oppositam partem progressus esse videtur ulterius, quam cum seria Dei voluntate salvifica *universali* componi possit, quamvis Aquinas secus cum aliis Scholasticis rigidiores Augustini sententias de sequelis peccati originalis multum mitigaverit (v. g. quoad limbum parvulorum). Sed plurimi theologi usque ad hodiernum diem non omnes consequentias huius mitigationis deduxerunt (cf. n. 158 s).

241. Ut ex nostra parte I constat, permulti Scholastici axioma falso sensu de *positiva* dispositione ex meris viribus *naturalibus* intellexerunt, alii vero de *positiva* dispositione *cum auxilio gratiae*. Sic Aegidius Rom. et multi Thomistae; v. g. **Caletanus**, *In 1, 2 q. 109 a. 6*: «Homo faciendo, quod in se est, disponit se ad gratiam, ... hoc intellegitur de dispositione et praeparatione *non simpliciter*, sed quantum est ex parte sua; et rursus de dispositione *simpliciter* accipiendo intellegitur, ut faciat, quod in se est, *motus specialiter a Deo*, obsequendo scil. motioni divinae.» — **Dom. Bannez O. P.** (+ 1604), *In 2, 2 q. 10 a. 1 dub. 2*: «Cum aliquis venerit ad usum rationis et convertitur efficaciter ad omne *bonum rationis* prosequendum, si ille tunc *iustificatur*, ut opinio D. Thomae affirmat, necesse est consequenter asserere, quod ille *praeventus* fuerit *divino supernaturalique auxilio*, ut ita disponderetur... Non ergo, quia ille fecit, quod in se erat, ex viribus naturae, ideo iustificatus est; sed quia ab ipso Deo praeventus est et illuminatus, ideo efficaciter conversus est, non solum ad bonum divinum supernaturale, sed *etiam ad bonum rationis*, naturae proportionatum» (edit. Venet. 1602 col. 492). — Tamen etiam nonnullis Thomistis persuasum erat non prorsus perinde esse ad collationem gratiae, utrum homo viribus naturalibus bene an male uteretur. Hinc Soto et Medina (n. 228) de dispositione naturali impropria et remotissima locuti sunt, quam *non satis tamquam pure negativam* a *positiva* dispositione distinxerunt.

242. Quomodo plurimi Scholastici usque ad Lutherum, dein ipse Luther hoc axioma intellexerint, v. *Denifle I*, pag. 441 449 575 ss. — **Luther** a. 1514 (*In Ps* ed. *Weim.* 4, 262, 2): «Hinc recte dicunt doctores, quod homini facienti, quod in se est, Deus *infallibiliter* dat gratiam, et licet non de condigno sese possit ad gratiam praeparare, tamen bene *de congruo* propter promissionem istam Dei et pactum misericordiae.» Idem a. 1515 (*In Rom* fol. 100):

« Quicumque legem implet, est in Christo, et datur ei gratia per sui praeparationem ad eandem, quantum in se est. » — Sed prorsus aliter a. 1516 (*In Rom* fol. 278 b): « Absurdissima est et pelagianò errori vehementer patrona sententia usitata, qua dicitur: Facienti q. i. s. e., infallibiliter Deus infundit gratiam, intellegendo per facere q. i. s. e. aliquid facere vel posse. Inde enim *tota Ecclesia pene subversa est*, videlicet huius verbi fiducia. Unusquisque interim secure peccat, cum omni tempore in arbitrio suo sit facere q. i. s. e., ergo et gratia. Ergo sine timore eunt, scil. suo tempore facturi, quod in eis est, et gratiam habituri. » A. 1519: « Oportet ergo hominem de suis operibus diffidere et velut paralyticum remissis manibus et pedibus gratiam operum artificem implorare » (Weim. 2, 420). — Adhuc hodie calumniae Lutheri repetuntur. Th. Kolde, *M. Luther* I, 57 (apud *Denifle* I, 579): « Dahin ging die kirchliche Lehre, dass Gott zwar die Gnade verleihe, sie eingesse, der Mensch aber vermöge seiner natürlichen Kräfte sich ihrer würdig machen könne und solle. »

243. Omnem dispositionem *positivam* ex viribus naturae explodendam esse, sed mere *negativam* tuto admitti posse, maxime ostensum est a Molinistis. Ipse **Lud. Molina** S. J. (+ 1600) omnem *positivum* influxum operum naturalium in collationem gratiae supernaturalis disertissime *negat* (v. P 215). Axioma *sensu aliquo speciali* adhibet: Pater caelestis et Christus inter leges distribuendi mere gratis gratias, quas Christus meruit, etiam hanc statuerunt: Si infideli fides praedicatur vel si peccator cogitat de actibus, quibus iustificatio obtinetur, ei, qui *paratus est facere, quod in se est*, i. e. veritatem fidei amplecti vel actus contritionis etc. elicere, Deus praeveniente gratia supernaturali ita praesto est, ut hi actus infallibiliter evadant salutare. — Hanc legem valere *rationabiliter et probabiliter* statui potest, et talis opinio ab errore semipelagianò est omnino remota, quamvis forte non possit ea lex strictè probari.

Bañesiani Molinae multos errores imputaverunt, quos nunquam docuit; v. A. Astráin S. J., *Hist. de la Comp. de J. IV*, Append. 1, pag. 799 ss; praes. p. 803: « 5. Dicunt Molinam ponere meritum, valorem et vigorem in actibus naturalibus, ut propter illos vel eorum intuitu detur praeveniens gratia. Nos dicimus totum contrarium docuisse Molinam. — 8. Affirmant etiam sententiam Molinae esse nullum praeveniri gratia Dei, nisi prius naturae viribus faciat, quod in se est. Nos negamus hoc unquam dixisse Molinam, sed potius contrarium. — 10. Dicunt affirmari a Molina hominem se disponere ad gratiam faciendo solis naturae viribus, quod in se est. Nos dicimus longe hoc abesse a mente et verbis Molinae. » — Conveniunt Iesuitae cum Dominicanis (*ibid.* p. 799): « 7. Ex his operibus, quae arbitrium potest se solo facere, . . . nullum esse, quod se habeat tamquam meritum vel commensurata dispositio ad gratiam vel finem supernaturalem, sed omnia

illa opera nullius esse valoris aut vigoris ad gratiam consequendam. — 8. Primam gratiam praevenientem dari semper mere gratis, nec aliquid praecedere vel unquam ex parte arbitrii exspectari, cuius intuitu Deus illam tribuat. — 9. Vocationem ad fidem non pendere in genere causae meritoriae a libero arbitrio.» — Dissentiunt (p. 801): «8. Nos affirmamus esse probabile Deum nunquam denegare praevenientem gratiam homini ex solis naturae viribus facienti, quod in se est; immo hanc esse infallibilem legem propter merita Christi factam. Patres Dominicani dicunt hoc esse erroneum, et contendunt de facto aliquando denegari infidelibus adultis facientibus totum, quod in se est, naturae viribus, sufficiens auxilium propter solum originale peccatum.» (Tam rigidam doctrinam Dominicanorum istius temporis fere omnes Thomistae anteriores et omnes, ut videtur, hodierni omnino respuunt; cf. *Martin-Sola* in *La Ciencia Tomista* 33 [1926 I] 377.)

244. In **Congregatione de Auxiliis 9a**, die 30 Sept. 1602 coram Clemente VIII habita, disputatum est: «An in libris *S. Augustini* legatur constitutam esse a Deo *legem infallibilem* cum Christo filio suo, ut quoties homo solis naturae viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat gratiam, vel id sit de mente *S. Augustini*.» **Thomas de Lemos O. P.** studuit probare: Si talis lex esset, in negotio salutis voluntas nostra praecederet gratiam, ergo Dei gratia esset pedissequa, ergo daretur ex meritis. **Gregorius de Valentia S. J.** haec refutavit¹.

Leonardus **Lessius S. J.** (+ 1623) defendit sententiam Molinae (*De grat. eff.* cap. 10 et append.); item plurimi alii Iesuitae. **Vazquez** (+ 1604) reicit quidem Molinam, sed ipse putat omni cooperanti cum cogitatione congrua naturalis ordinis propter merita Christi data Deum infallibiliter conferre gratiam supernaturalem (cf. n. 120). — **Suarez** (+ 1617) axioma nostro sensu intellegit, conceptum dispositionis negativae bene expolit et rem solide probat (*De grat.* l. 4 cap. 12 ss, praes. 15; cf. *De praedest.* l. 2 cap. 7). Eum sequuntur multi e Societate Jesu. — **Ripalda** (+ 1648) id, quod Molina probabiliter de actibus, qui sunt *de linea fidei vel iustificationis*, dixerat, valde improbabiler ad *omnem actum honestum* extendit (v. n. 121). Licet hoc reiciendum sit (v. n. 132), tamen gratuitatem gratiae non laederet.

¹ In ista disputatione vires ex morbo praecedente nondum satis restitutas adeo contendit, ut valetudinem penitus perderet et Neapolim transportatus post septem menses ibidem die 25 Apr. 1603 tabe lenta consumptus interiret; v. *Theod. Eleutherius (Lidvinus de Meyer)*, *Hist. controversiarum* l. 5 cap. 12 s (ubi falso d. 26 Martii dies supremus assignatur).

245. Salmanticenses O. Carm. (Tom. 9 tract. 14 disp. 3 dub. 5—9) rem fuse tractant et, sicut omnibus fere Thomistis moris est, valde invehuntur in *Molinam* et *Lessium* (dub. 7), quorum sententias non satis fideliter proponunt; minus iis displicet *Suarez* (dub. 8). Cum vero in oppositione ad veteres Bannesianos *universalitatem seriae voluntatis salvificae* omnino servare velint, dicunt Deum *omnibus*, sive facientibus sive non facientibus, quod in se est, praesertim initio usus rationis, *dare gratiam supernaturalem* (v. n. 232). — Similia valent de hodiernis Thomistis (cf. n. 228 Del Prado et 243 in fine)¹. — Molinistae recentes cum *Suarez* principium tam caute explicare solent, ut nihil iuste contra eos dici possit, nisi forte hoc, quod nonnulli suam sententiam fulcire conantur auctoritatibus veterum, qui de distinctionibus tam subtilibus non cogitaverunt vel etiam opposito sensu axiomam intellexerunt; v. g. Ian. Bucceroni S. J., *Commentarii de auxilio sufficienti infidelibus dato, de theologico axioma: Facienti etc.* (ed. 2 Romae 1890).

246. In actis conc. **Vaticani** legitur in schemate constitutionis de doctrina catholica cap. 18 (CL 7, 518 a): «Ad nullum vero actum salutarem, sive in iustis, ut iustificentur adhuc, sive in peccatoribus, ut *disponantur* ad iustificationem, vires naturales sufficiunt absque supernaturali gratia Dei.» Sed Adnotatio 43 (ibid. 553 a) monet: «Quando definitur necessitas gratiae supernaturalis ad volendum aut perficiendum bonum aliquod, sicut oportet, ut disponat ad iustitiam christianam, id intellegitur de *dispositione positiva et per modum meriti de congruo*, non autem de *dispositione improprie dicta et solum negativa*, quatenus homo maiora impedimenta gratiae non ponat. Cf. *Suarez, De grat. l. 4 c. 12—17; l. 8 c. 7.*»

¹ Etiam Réginald Garrigou-Lagrange O. P. axioma sensu *ipsius Molinae* adhibere videtur (Rev. Thom. 1918, p. 313), respondens ad aliquam difficultatem: «que l'âme de bonne volonté qui croit sans restriction, *propter auctoritatem Dei revelantis*, fait l'acte de foi surnaturel tel qu' il est exigé pour le salut: *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*». — Franc. Marín-Sola O. P. (La Ciencia Tomista 33 [1926 I] 354: Actus perfectus (caritatis) est infallibiliter iunctus cum iustificatione. Actus imperfectus «es solamente una preparación más o menos remota para ella, preparación positiva o puramente negativa, según se trate de actos imperfectos sobrenaturales o naturales». Hinc admittit praeparationem *negativam* ad gratiam per actus naturaliter honestos.

ARTICULUS II

DE SUPERNATURALITATE GRATIAE

247. *Arnold Rademacher*, Die übernat. Lebensordnung nach der paulinischen und johanneischen Theologie (Strassb. Theol. Studien VI 1 2 [1903]; pag. 4—12 multa scripta de hac materia enumerantur). — *F. X. Monse*, Johannes und Paulus (Ntl. Abh. V 2 3 [Münster 1915]). — *Otto Faller S. J.*, Griechische Vergottung und christliche Vergöttlichung (Gregorianum 6 [1925] 405—435). — *Adolf von Harnack*, Die Terminologie der Wiedergeburt und verwandter Erlebnisse in der ältesten Kirche (TU 42, 3 [1918]). — *Ludw. Baur*, Untersuchungen über die Vergöttlichungslehre in der Theologie der griechischen Väter (Tüb. ThQS 98 ss [1916 ss]). — *Franz Stoll*, Lehre des hl. Irenäus von der Erlösung und Heiligung (Kath. 85 [1905 I] 46 ss). — *Arn. Strucker*, Die Gottebenbildlichkeit des Menschen in der christl. Literatur der ersten 2 Jahrhunderte (Münster 1913). — *L. Atzberger*, Die Logoslehre des hl. Athanasius (München 1880). — *Victor Cremers S. J.*, De Verlossingsidee bij Athanasius den Groote (Turnhout 1921). — *Jos. Mahé S. J.*, La sanctification d'après s. Cyrille d'Alexandrie (Rev. d'Hist. eccl. 10 [1909] 30—40 469—492). — *K. Bornhäuser*, Die Vergottungslehre des Athanasius und Johannes Damascenus (Beitr. z. Förd. chr. Theol. VII 2 [Gütersloh 1903]). — Monographiae n. 45 laudatae, praesertim *Weigl.* — *M. Grabmann*, Die Idee des Lebens in der Theologie des h. Thom. v. Aq. (Paderborn 1922). — *Georg. Matulewicz*, Doctrina Russorum de statu iustitiae originalis (Cracoviae 1903). — *Jos. Kleutgen S. J.*, Die Theologie der Vorzeit, praesertim 2. Band 6. Abh.: Von dem Uebertürlichen; 7. Abh.: Von der Gnade (2. Aufl. Münster 1872). — *Const. von Schüzler*, Natur und Uebernatur, Das Dogma von der Gnade und die theol. Frage der Gegenwart (Mainz 1865); Neue Untersuchungen über das Dogma von der Gnade etc. (1867). — *M. Jos. Scheeben*, Natur und Gnade (Mainz 1861; denuo editum a *Mart. Grabmann* München 1922); Handbuch der kath. Dogmatik, 2. Band 3. Buch n. 592 ss. — *Jos. Pohle*, Lehrbuch der Dogmatik I 1. Hauptst. 2. Kap. § 2. Art. 1. Die Theorie von Natur und Uebernatur (7. Aufl. [Paderborn 1920] pag. 393—401). — *Idem*, Natur und Uebernatur in *Esser-Mausbach*, Gott-Christentum-Kirche (Kempten 1923) I⁵ 375—538. — *Dom. Palmieri S. J.*, De Deo creante et elevante (Romae 1878) pars 2 cap. 1: Notio ordinis supernaturalis, pag. 272—405. — *Blas. Beraza S. J.*, De Deo elevante (Bilbao 1924), praes. sect. 1 et 2. — *A. Kranich*, Ueber die Empfänglichkeit der menschlichen Natur für die Güter der übernatürlichen Ordnung (Paderborn 1892). — *Emericus David*, De obiecto formali actus salutaris (Bonnae 1913). — *J.-B. Terrien S. J.*, La grâce et la gloire (2^{me} éd. Paris 1901). — *J.-V. Bainvel S. J.*, Nature et Surnaturel (5^{me} éd. Paris 1920). — *Peter Lippert S. J.*, Die Gnaden Gottes (Freiburg 1921). — *M. J. Scheeben*, Die Herrlichkeiten der göttl. Gnade (secundum *Eus. Nieremberg* S. J., Freiburg 1862; 8. Aufl. 1908). — *Ch. de Smedt S. J.*, Notre vie surnaturelle (3^{me} éd. Bruxelles 1919—20). — *Bernh. Bartmann*, Des Christen Gnadenleben (2. u. 3. Aufl. Paderborn 1922). — *R. P. Ehrhard*, Le Surnaturel (Avignon 1925).

SYNOPSIS HISTORICA

248. Idea elevationis suprahumanae vel deificationis cuiusdam invenitur etiam extra religionem revelatam, praesertim apud philosophos pantheismo et mysticismo faventes, v. g. apud Neoplatonicos, et in mysteriis dionysiis, mithriacis etc. Quid *Reitzenstein* aliique de influxu mysteriorum hellenisticorum in religionem christianam sentiant, v. *Baur* (ThQS 1916, 468—472). Speculatio vero theologica non ex his fontibus originem sumpsit, sed ex doctrina revelata. Ex **V. T.** sumebatur doctrina de homine ad imaginem et similitudinem Dei creato (Gen 1, 26; Sap 2, 23) et Ps 81, 6: «dii estis». **N. T.** plurimas ideas praebuit, praesertim Paulus, Ioannes et 2 Petr. 1, 4: nativitas et regeneratio ex Deo; adoptio cum iure hereditandi bona divina; consortium divinae naturae; collatio virium supernaturalium ad cognitionem, dilectionem, operationem divini ordinis; intima cum Deo coniunctio; vita in Deo vel in Christo; inhabitatio S. Spiritus, arrae caelestis gloriae (v. *Rademacher, Monse, Faller, Harnack*).

249. **Patres** inde a primis saeculis haec elementa evolvebant (v. *Baur*), maxime Patres graeci saec. IV et V (v. n. 45). Ista *θεωσις, θεϊωσις, θεοποίησις* ita intellegebatur, ut distinctio substantialis hominis a Deo *contra Gnosticos et Manichaeos* strenue defenderetur; sed *contra Arianos et Macedonianos* divinitas Filii et S. Spiritus ex eo quoque probabatur, quod nos participes reddant divinitatis (*Athanasius, Basiliius*). Per *Origenem* et *Ps-Dionysium* influxus neoplatonicus intravit; qui adhuc in *Maximo Conf.* et *Ioanne Damasceno* observatur. — Patres latini ex parte sequuntur graecos (*Ambrosius, Petrus Chrysost.*). Sed contra naturalismum ethicum *Pelagianorum* peccatum originale negantium gratiam potissimum considerabant ut vulnera naturae lapsae sanantem eidemque omnino gratis collatam. Tamen *S. Augustinus* non ignoravit gratiam naturae etiam innocenti in angelis et protoparentibus additam, disparem utique a gratia praesentis oeconomiae. Data occasione *deificationem* naturae per gratiam celebrat, sed hanc ideam magis ad practicas et mysticas considerationes quam ad excolendam doctrinam de gratia adhibet. Neoplatonicos inter philosophos maximi aestimabat.

250. **Theologi** antiquissimi ut *S. Anselmus* ad supernaturalitatem status primitivi non satis attenderunt, donec per scripta *Ps-Dionysii* et *Ioannis Damasceni* in linguam latinam translata

theologia Graecorum in occidente paulatim magis innotesceret. *S. Bernardus* pulchre disserit de amore in Deum transformativo, *Alexander Halensis* et *S. Bonaventura* de sublimitate creaturae, quae a Deo consecratur in templum, adoptetur in filium, assumatur in coniugium. Abhinc Scholastici clare cognoverunt peccatum originale eiusque sequelas consistere in privatione honorum naturae superadditorum; finem visionis beatificae et media ad hunc finem prosequendum a Deo data excedere proportionem sive vires naturae. *S. Thomas* affirmat haec dona esse supra competentiam et desiderium naturae; sed cum aliquoties etiam de appetitu naturali in beatitudinem caelestem loquatur, multum de eius sententia et de ipsa hac quaestione disputatum est (v. n. 283—285). *Mystici* multi sunt in extollenda deificatione naturae, sed facile in aliquem pantheismum labuntur. Ecclesia errores *Ekardi* damnavit (Dz 510 ss) et supernaturalitatem gloriae contra *Beguardos et Beguinas* defendit (Dz 474 s).

251. Tridentinum contra *Protestantes* iustificationem per dona inhaerentia docuit, sed non praecise eorum supernaturalitatem. Cum *Baius* gratuitatem gratiae Christi nonnisi ex positiva indignitate peccatorum repeteret et dona naturae innocenti gratis superaddita negaret, Pius V primas declarationes Ecclesiae de gratia qua indebita exigentiis naturae creatae dedit (Dz 1001 ss). In controversiis cum *Iansenistis* (cf. *Quesnelli* prop. 34—37 [Dz 1384 ss]; *Pistor.* 16—18 20 [Dz 1516 ss]) et inter scholas catholicas conceptus entis supernaturalis magis expolitus est (cf. inter alios *Suarez* et *Ripalda*). Omnes theologi catholici iam diu supernaturalitatem gloriae, gratiae et actuum salutarium docuerant, sed diversas dabant explicationes. *Scotistae et Nominales* supernaturalitatem actuum modalem tantum statuerunt; *Thomistae et recentiores* fere omnes recte docent actus salutare esse entitative sive secundum substantiam supernaturales. Eorum supernaturalitatem cum *Thomistis Suarez aliisque* imprimis ex obiecto formali actus derivarunt. *Molina, De Coninck, De Lugo, Ripalda* etc. meliorem viam ingressi esse videntur, entitativam supernaturalitatem potius ex subiectiva entitate actus repetentes. Sed *Ripalda* dona gratiae elevata esse voluit super exigentias naturarum creaturarum tantum, non vero creabilium.

252. Influxus funestus *philosophiae modernae* et sic dictae «*illuminationis*» in catholicam quoque theologiam induxit rationalismum vel saltem semirationalismum. Qui om-

nem «supranaturalismum» exhorrens dona physica naturae superaddita negavit atque gratiam, iustitiam, virtutes christianas ut relationes *morales tantum* alicuius probitatis mere naturalis habuit (v. g. *Ben. Stattler* suppressae S. J., *Theologia christiana theoretica*). Similia saec. XIX docebant *Hermes, Günther, Frohschammer* (cf. Dz 1666 ss), neque *I. Kuhn*, professor tubingensis (*Die christl. Lehre von der göttl. Gnade* [1868]), ab his erroribus liber est. — Ex Neoscholasticis imprimis *Clemens, Kleutgen* S. J., v. *Schäzler, Scheeben* suis libris et commentationibus (in periodicis «*Der Katholik*» et «*Hist.-polit. Blätter*») istas tendentias rationalisticas impugnabant. Hoc modo relatio inter ordinem naturalem et supernaturalem accuratius explorata est. — Reactio adversus modernum naturalismum, quae tamen debitos limites excessit, erat *ontologismus* (Dz 1659 ss) et philosophia *Rosmini* (Dz 1891 ss). — Pro concilio **Vaticano** ampla definitio de ordine supernaturali *praeparata* erat (CL 7, 508 s 516 ss 524 547 s 551 566); sed nonnisi exigua pars de revelatione et per transennam de fine et origine supernaturali in definitiones transiit (s. 2 cap. 2; can. 3 [Dz 1786 1808]). — Ultimis decenniis multum disputatum est de necessitate obiecti formalis supernaturalis; quod apud *Thomistas* sensu originario intellegitur (n. 304 ss), apud plurimos alios non amplius quaestione metaphysica, sed potius practica tractatur, scil. quale motivum ex voluntate Dei requiratur, ut actus sit meritorius (n. 724 ss).

253. Historia vocis „supernaturalis“. Aug. Deneffe S. J. in *ZkTh* 46 (1922) 337—360 inter alia haec habet: Vox non invenitur in lingua profana, in S. Scriptura, apud Patres. Latini patres habent terminos: ultra naturam, vis potentior natura, supra conditionem, vel alio modo gratiam opponunt naturae (cf. *Tert., Ambr., Aug.* [R 348 1289 1982 1755]). Apud Patres graecos legimus: *ὑπὲρ τὴν φύσιν* (*Orig.* [R 529]), *ἐκβαίνει τὴν φύσιν* (*Greg. Nyss.* [R 1027]), *ὑπερβαίνοντα φύσιν* (*Chrys.* [R 1185]), *τὸ ὑπὲρ φύσιν, πρὸς τὰ ὑπὲρ φύσιν* (*Cyr. Alex.* [R 2106 2115]). Haec praedicata tribuunt divinae adoptioni, deificationi, participationi hereditatis Christi, sed etiam miraculis. In lingua profana et apud Patres posteriores occurrit adiectivum *ὑπερφύης*, i. e. qui crevit supra mensuram ordinariam, extraordinarius, mirabilis; v. g. *Ps.-Dion.,* Epist. 4 ad Gaium (MG 3, 1072 B): *virgo ὑπερφύως κωδύσα*. — Haec vox a Ioanne Scoto Eriugena († 877) in latina versione Dionysii reddebatur per «supernaturalis». Ibidem est sermo de «supernaturali» simplicitate Dei; sed etiam magis nostro sensu theologico supernaturale opponitur *connaturali* (*συμφύης*). — Iterum occurrit vox «supernaturalis» saec. XII apud *Hugonem a. S. Victore* in commentario Dionysii, «*De caelesti hierarchia*», et in nova translatione Areopagitae a *Ioanne Sarraceno* O. S. B. facta; item in

versione Ioannis Damasceni « De fide orthodoxa » a *Burgundione* confecta et saec. XIII apud *Robertum Grosseteste* († 1253) in versione et commentario « Mysticae Theologiae » Dionysii. — In operibus scholasticis interim manebant termini consueti: supra naturam, supra potestatem naturae, supra naturalia, supra naturale complementum naturae etc. *Albertus M.*, quando interpretatur Dionysium vel citat Damascenum, aliquoties vocabulum « supernaturale » habet. *S. Bonaventura* creationem dicit mutationem supernaturalem (*In 2 d. 1 p. 1 a. 1 q. 2 ad 1; a. 3 q. 1 ad 4*). *S. Thomas* vero frequentissimo usu hoc vocabulum *in linguam scholasticam introduxit*; v. g. in uno a. 7 q. 12 *De ver.* vices et bis legitur. Opponitur « *connaturali* » et adhibetur eodem sensu ac termini: naturam sive proportionem naturae excedens, non attingibile per principia naturae, supra naturalem facultatem existens (cf. 1, 2 q. 62 a. 1). Nunquam dicit Aquinas « excedens *exigentiam* naturae ». Nostrum « *supernaturale simpliciter* » quoad rem habetur v. g. 1 q. 12 a. 4: « Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit *connaturale soli intellectui divino* et quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati. » Aliam notam distinctionem indicat 1 q. 105 a. 7 ad 2: « Supra facultatem autem naturae dicitur aliquid non solum propter *substantiam* facti, sed etiam propter *modum* et ordinem faciendi. » — Abhinc vox « supernaturalis » frequens est, v. g. apud *Henricum Gandavensem* et *Scotum*... — In documentis Ecclesiae a Dz collectis eadem vox primo occurrit in damnatione *Baii* (Dz 1021 et 1023); dein in *Syllabo Pii IX* (Dz 1714); in *Vaticano*: supernaturalis finis, revelatio, virtus (Dz 1786 s 1789); in *Schemate* praeparato (CL 7, 557 s 566)¹.

DE CONCEPTU ENTIS SUPERNATURALIS

254. Cum supernaturale dicat *elevationem* naturae inferioris ad perfectionem naturae superioris, ad hunc conceptum explicandum procedere possumus I. *a termino a quo*, i. e. a natura inferiore elevanda; II. *a termino ad quem*, i. e. a natura superiore, ad cuius perfectionem fit elevatio.

I. Supernaturale opponitur naturae (cf. *Thom.*, *In 4 d. 43 q. 1 a. 1 qc. 3*). Natura et naturale permulta significare possunt, quod elucet e variis oppositionibus, quae fieri solent. *Natura* enim opponitur accidentibus, substantiae, personae, casui, acquisitis, arti, spiritui, Deo etc., *naturale* vero contingenti, fortuito, accidentali, adventicio, acquisito, artificiali, violento, elicitio, morali, libero, spirituali, miraculoso, divino. — Maxime cavendum est, ne sumatur noster conceptus entis

¹ Germanica vox « Uebernatur » invaluit tempore professorum v. Scházler et Scheeben.

supernaturalis in oppositione a) ad naturale, prout dicit *nativum, originarium*, h. e. id, quod inde a nativitate sive ab initio habetur. Sic vox ab *Augustino* aliisque Patribus saepe adhibetur (*Indic.* cap. 4 [Dz 130]: Homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidierunt); — b) ad naturale, quod dicit *conveniens*, consentaneum naturae. Supernaturale non est idem ac violentum, innaturale, contranaturale; — c) ad *mundum visibilem* experientia cognitum. Hoc sensu *moderni* solent Deum, angelos, substantiam animae vocare entia supranaturalia sive transcendentia.

Nos ad efformandum nostrum theologicum conceptum entis supernaturalis procedimus a natura, prout dicit aliquam specificam substantiam creatam, quae ex determinata essentia atque forte ex partibus essentialibus et integralibus *constituitur*, ex qua determinatae proprietates, facultates, vires, dispositiones *resultant*, quae conformiter ad suas potentias activas et passivas *producit et recipit* actus et forte acquirit habitus, quae varia sibi extrinseca *exigit*, ut possit conservari, convenienter agere atque evolvi et finem proprium attingere, ne ipsa et vires eius frustra sint. Quaecunque his modis, sive constitutive sive consecutive sive exigitive, ad aliquam rem specificam pertinent, eidem sunt naturalia; aliis verbis sunt omnia, quae res ex se habet, per vires suas operando sibi comparare potest vel per suas exigentias sibi vindicat. Haec omnia simul constituunt «*debitum naturae*» (sensu latiore; nam sensu presso debetur id, quod exigitur). Sumuntur nunc et natura, cui quaedam debentur, et ipsa bona, quae debentur, non in individuo et quoad gradum, sed *secundum speciem*. Singula enim individua possunt per accidens pati defectus bonorum speciei debitorum, dummodo finem suum attingere possint (qui in solis entibus rationalibus est individualis sive personalis); neque debentur eiusmodi bona in determinato gradu (v. n. 5, 4).

Supernaturale est igitur omne id, quod *naturae* sensu explicato sumptae ex liberalitate Dei *superadditur*; non pertinet ad creaturam tamquam eius pars constitutiva neque tamquam proprietas, potentia, operatio, habitus consequens naturam constitutam neque tamquam aliqua exigentia ad finem huius naturae consequendum necessario implenda. Quare donum supernaturale non solum antecedenter ad creationem est *negative indebitum*, sed etiam naturae iam creatae est

positive indebitum et sola Creatoris largitate bonis naturaliter debitis superadditur. Breviter definitur donum supernaturale in genere: *donum Dei naturae indebitum et superadditum*.

255. II. Quoniam dono supernaturali natura, cui indebitum confertur, supra se ipsam *elevatur*, erit altior quaedam natura, cui talis perfectio propria sit et debeatur (sive formaliter sive eminenter possidenda). Quare ex parte *termini ad quem* supernaturale dicitur illud donum, quod naturam aliquam inferiorem *elevat ad participandam perfectionem enti specificè superiori naturalem*. — Sub hoc respectu distinguitur supernaturale simpliciter (absolute) et secundum quid (relative). Intellegitur elevatio supernaturalis secundum quid ea, quae facit participare perfectionem alicuius superioris naturae *creatae vel creabilis*; v. g. *immortalitas* est supernaturalis homini, naturalis puro spiritui. Supernaturale simpliciter, quod vi vocis omne additum rationem supernaturalis diminuens negat, est super naturam *omnium creaturarum*, etiam possibilium, sive super naturam, quatenus *totum ordinem creaturarum* complectit eumque *Deo opponit*, qui hoc sensu est supernaturalis per excellentiam. Dona igitur simpliciter supernaturalia transcendunt naturam, vires, exigentias omnium creaturarum et sunt bona Deo infinito, prout omni enti finito opponitur, propria. Creatura his donis instructa elevatur ad participanda bona *soli naturae divinae connaturalia*, hinc aliquo sensu deificatur. Eiusmodi dona sunt unio hypostatica, visio beatifica et (secundum theses 9 et 10) etiam quaedam dona gratiae viae.

256. Distinguitur porro supernaturale quoad substantiam et quoad modum. Quoad substantiam sive entitative supernaturale est aliquod donum, cuius substantia (essentia, entitas) ipsa est extra ambitum debiti naturalis, quocumque modo acquiratur vel possideatur (v. g. visio Dei intuitiva pro omni intellectu finito; immunitas a concupiscentia vel a necessitate moriendi pro homine). Supernaturale quoad modum tantum est illud donum, quod secundum suam substantiam consideratum debetur tali naturae, sed confertur vel possidetur aliquo modo naturaliter indebito. Subdividitur, prout iste modus est in fieri (v. g. actus videndi in eo, qui a caecitate miraculose sanatus est) vel in facto esse (v. g. aliqua acies visus, quae per vires naturales haberi nequit). — Super-

naturale quoad modum a nonnullis vocatur praeternaturale; alii sub hac voce aliquod supernaturale secundum quid intellegunt. De terminologia v. *Schiff.* n. 7.

257. Ex dictis patet in natura, quae donum supernaturale recipit, non esse potentiam *activam*, quae quacunque efficientia naturali possit illud donum sive exigentiam eius comparare, neque potentiam *passivam*, quae exigat actuationem per collationem eiusdem doni. Habetur tamen quaedam *capacitas recipiendi* et quoad nonnulla supernaturalia etiam quaedam *possibilitas* sub motione Dei indebita *instrumentaliter cooperandi* ad productionem entis supernaturalis. Talis potentia vocatur oboedientialis, et quidem quatenus recipit, passiva, quatenus cooperatur, activa (v. n. 525). — Ipsa non est aliquid *reale naturae superadditum*, neque est merum ens rationis sive *mera non-repugnantia*, sed consistit in ipsa natura, prout eius notae reales non repugnant notis entis supernaturalis; v. g. homo habet potentiam oboedientialem ad actum salutarem, lapis non habet; nam actus salutaris qua vitalis in conceptu repugnat enti non viventi, non repugnat enti rationali et libero.

258. Terminus «potentia oboedientialis» a Scholasticis formatus est iuxta doctrinam S. Augustini, *De Gen. ad litt.* 9, 17, 32 (ML 34, 406; R 1703): Elementa «habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit... Supra hunc autem motum cursumque rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se: posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi *seminales rationes* habent, non tamen id, quod non in eis posuit, ut de his fieri vel ab ipso possit». Tales rationes a Deo inditae sunt v. g. «modus, quo illa herba sic germinat, illa sic, illa aetas parit, illa non parit, homo loqui potest, pecus non potest... Ut autem lignum... aridum... repente floreat..., ut per iuventam sterilis femina in senecta pariat, ut asina loquatur, ... dedit quidem naturis, ... ut ex eis et haec fieri possent, ... verumtamen alio modo dedit, ut non haec haberent in motu *naturali*, sed in eo, quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret.» — Similiter S. Anselmus, *De conc. virg.* cap. 11 (ML 158, 445s) distinguit triplicem cursum rerum: naturalem, voluntarium, mirabilem. — S. Thomas, *S. th.* 3 q. 1 a. 3 ad 3, distinguit duplicem potentiam passivam in natura humana, unam secundum ordinem potentiae naturalis, quae a Deo semper impletur, aliam secundum ordinem *divinae potentiae, cui omnis creatura oboedit* ad nutum. — 3 q. 11 a. 1 in humana et in qualibet creatura eandem duplicem potentiam passivam agnoscit; altera est «per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem *altiolem* actu, in quem redu-

citur per agens naturale, et quae consuevit vocari potentia oboedientiae in creatura». — *In 4 d. 11 q. 1 a. 3 qc. 3 ad 3* loquitur de «potentia oboedientiae ad conversiones miraculosas» et de modo «oboedientialis potentiae in creatura in aliud convertenda». — Item agit de potentia oboedientiali: *In 1 d. 42 q. 2 a. 2 ad 4; In 2 d. 18 q. 1 a. 2; In 3 d. 2 q. 1 a. 1 sol. 1; De ver. q. 8 a. 4 ad 13; q. 29 a. 3 ad 3; De virt. q. 1 a. 10 ad 13* (cf. n. 283).

Thesis 9. Quaedam dona gratiae transcendunt naturam, vires et exigentias naturales omnium creaturarum et intrinsecus pertinent ad eum ordinem divinum, cuius est visio Dei intuitiva.

259. P V pr. 16; III n. 163—168. — Palm., De Deo elev. th. 30—43. — Mazz., De Deo elev. n. 662—693. — Lah., De Deo elev. n. 122—146. — Schiff. n. 1—10. — Scheeben II n. 592—700. — Pohle I (l. c. n. 247). — Ber., De Deo elev. sect. 1 et 2; sect. 3 n. 451—468.

St. qu. 1. **Nexus.** Gratia salutaris est *gratuita*, quia 1. est indebita *operibus naturae lapsae* (th. 7 et 8) neque 2. exigitur ab *ulla natura creata* (th. 9). — Cf. n. 193 195.

2. **Sensus.** Quaedam dona: quatenam sint, accuratius videbimus th. 10; interim maxime cogitamus de *gratia sanctificante*; — gratiae: huius vitae, non sola gloria caelestis; — transcendunt naturam, vires et exigentias naturales: sunt *supernaturalia*, non pertinent ad naturam *constitutive, consecutive, exigitive* (prout n. 254 explicatum est); — omnium creaturarum: etiam *hominis innocentis* et *angelorum*, immo omnium *creabilium*; — et intrinsecus pertinent: non aliqua *ordinatione mere externa* vel mero aliquo *modo*, sed ipsa sua interna *entitate* seu substantia (n. 256); — ad ordinem divinum: sunt *supernaturalia simpliciter* (n. 255), i. e. transcendendo totum ordinem creaturalem elevant ad participanda dona Deo propria, sive transferunt in ordinem supernaturalem, secundum quem divina providentia creaturas rationales supra naturalem condicionem *dirigit mediis proportionatis ad finem ultimum*. Supernaturalitas huius ordinis mensuratur igitur maxime ex fine ultimo, qui est visio Dei intuitiva. In tractatu de gratia supponitur finem visionis facialis cum correspondente amore et gaudio homini esse praestitutum eumque esse supernaturalem entitative et simpliciter (cf. tractatus de visione beatifica et de ultimo fine hominis; v. g. P II pr. 8 10—13; III pr. 44—47 56—58). Tamen preferimus *nova argumenta* etiam pro supernaturalitate *finis*, qua-

tenus supernaturalitatem *mediorum* independenter ab ipsa probamus et simul ostendimus dona viae et patriae secundum fontes ad *ordinem essentialiter eundem* pertinere.

260. 3. Adversarii. a) Manichaei, Emanatistae et Pantheistae naturae spirituali, quae sit divinum quid, deberi putant, ut ad summam quandam perfectionem et beatitudinem divini ordinis perducatur¹. — b) Beguardi et Beguinæ affirmabant hominem in hac vita posse eum perfectionis gradum acquirere, qui a beatitudine caelestis iam non differat; immo quamlibet intellectualem naturam in se ipsa naturaliter esse beatam nec indigere lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum (Dz 471 ss). — c) S. Anselmus, *De conc. virg.* cap. 13 (ML 158, 448): « Quapropter etiam si purum hominem sic faceret Deus, ut dictum est [miraculose ex virgine], necesse esset eum non minori praeditum esse iustitia et beatitudine, quam fuit Adam, cum primum factus fuit. » Simili modo saepe non satis distinguit inter iustitiam et beatitudinem *naturalem* et *supernaturalem*. Etiam alii prisci theologi eodem fere modo loquuntur; neque omnes posteriores semper satis caute de *appetitu naturali beatitudinis* et similibus quaestionibus locuti sunt (v. v. Schmid, *Sestili* in nota ad n. 285 cit.). — d) **Protestantes** (v. P 113): Secundum Lutherum iustitia Adami non erat « quoddam donum, quod

¹ S. Augustinus, *C. 2 ep. Pel.* l. 2 c. 1 s, ostendit, quomodo et Manichaei et Pelagiani, licet « modis causisque diversis », gratuitatem gratiae destruant; « Manichaei meritis *naturae* bonae, Pelagiani autem meritis *voluntatis* bonae perhibent divinitus subveniri. Illi dicunt: Debet hoc Deus laboribus *membro- rum* suorum; isti dicunt: Debet hoc Deus virtutibus *servorum* suorum. Utrisque ergo merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. » — Pelagiani tamen, quamvis aliquem naturalismum ethicum professi sint, non omnem prorsus naturae elevationem per dona a Christo allata negarunt; cf. Caelestii distinctionem *vitae aeternae*, quae etiam parvulis baptizatis conceditur et ab adultis propriis naturae viribus obtineri potest, et *regni caelorum*, in quo beati cum Christo regnant quodque solis baptizatis reservatur (P n. 81; *August., Serm.* 294 [ML 38, 1335 ss]) et Iuliani verba de effectibus baptismi (*Op. imp.* 5, 9): « Nos vero renasci omnes baptisate debere... testamur, ... ut... qui nascuntur *vilitate*, non tamen noxie, renascantur *pretiose*, non tamen calumniose, quique prodeunt ex institutis Dei, *provehantur* mysteriis Dei, et qui afferunt opera naturae, *dona gratiae* consequantur, ac dominus suus, qui eos fecit condendo bonos, faciat *innovando adoptandoque meliores*. » Hanc vero naturae exaltationem Pelagiani non considerabant tamquam obligatoriam neque ad salutem et beatitudinem vitae aeternae obtinendam necessariam, sed potius ut maioris ornamentis sive augendae gloriae accidentalis causa superadditam (textus v. P 81).

ab extra accederet separatumque a natura hominis», sed fuit vere naturalis, « ut naturae Adae esset diligere Deum, credere Deo » etc. (*In Gen 3*). Flacius Illyricus iustitiam originalem habet quasi *formam substantialem* animae, qua amissa anima substantialiter mutata sit ex imagine Dei in imaginem diaboli (De peccato originis; apud *Palm.*, De Deo elev. p. 435). Secundum alios, v. g. Ioannem Gerhard, saltem aliquod *accidens naturale* est. — Itaque iuxta placita Protestantium dona gratiae *constitutive* vel saltem *consecutive* pertinent ad naturam rationalem innocentem; quare strictissime exigitur, ne Deus eam condat his donis carentem. — e) **Baius** (v. n. 72): Sine his donis natura esset *misera* et in statu *violento*; quare *exiguntur* a natura. — f) **Iansenius** (v. n. 80 et « *Augustinus* », De statu nat. purae 1, 15): Caritas sicut beatitudo non est pars naturae neque ex principiis naturae fit, sed superat eius vires. Est tamen « naturalis », non solum qua conveniens, perficiens, appetibilis, sed etiam, quatenus a ratione naturali dictatur ut obligatoria et est « *finis hominis naturalis*, quo nec inferior ei nec superior dari potest ». — g) **Augustinenses** (v. n. 87): Secundum potentiam *ordinatam*, ex *decentia* Creatoris sive ex lege *iustissimae providentiae* Deus debet naturae rationali innocenti ea adminicula naturae ordinem excedentia dare, quibus eget ad *visionem* Dei obtinendam, *finem suum naturalem quoad inclinationem et appetitum* (cf. *Palm.* p. 321 s). — h) **Semirationalistae** catholici (cf. n. 252), inter quos saeculo XVIII Ben. Stattler et alii, saec. XIX Hermes, Günther et minore gradu Hirscher et Kuhn. Negant vel neglegunt adoptionem et consortium divinae naturae effici per *dona physica simpliciter supernaturalia*; actus salutes ab actibus naturaliter honestis vix distinguunt; sic ad rationalismum modernorum Protestantium aliquatenus accedunt¹. Ceterum Kuhn cum tendentiis *semirationalisticis* miscebat ideas *baianas* sive *augustinianas*: Status naturae purae non sufficeret ideae perfectionis creaturae humanae; quare Deus statum iustitiae ori-

¹ Scheeben (II n. 651 s) describit hunc *rationalismum*, « der im ganzen Christentum nur eine Anstalt zur Erziehung und nachhelfenden Unterstützung des natürlichen Menschen als Vernunftwesens mit obligater Nachlassung der Sünden sieht », et istam tendentiam *semirationalisticam*, de qua *ibid.* ait: « Ueberhaupt beherrschte sie Jahrzehnte hindurch fast die ganze deutsche Theologie, bis sie zuerst durch *Kleutgen* (Theol. der Vorzeit Bd II) von Grund aus und allseitig bekämpft wurde. » De Kuhn dicit v. Schäßler (Neue Untersuchungen p. 344): « Nach Kuhn ist die gesamte übernatürliche Ordnung auf keinen höheren Zweck als auf die Begründung der Obmacht des Geistes über das Fleisch gerichtet. »

ginalis tam certo non denegat, quam ipse est caritas infinita (cf. P 195 not.). — i) Multi moderni theologi russi, inter quos *Macarius Bulgakov*, *Silvester Malevanski*, *P. J. Sviellov*, semirationalismo infecti, visionem Dei tamquam finem naturalem hominis, dona Adamo collata tamquam naturaliter debita considerant, gratiam sanctificantem et elevantem saltem in statu originali valde neglegunt; quidquid a Deo *creatore* inde ab initio datum fuit, vocant naturam et naturale, gratiam vero, quidquid ad Deum *provisorem* spectat, supernaturale non nisi miracula et gratiam Redemptoris. Eorum doctrina est similis sententiis *Baii* et professoris *Hirscher* (v. *Matulewicz* et *Laur. Janssens*, S. th. t. VIII p. 262—265). — k) Postquam Durandus et Maior (John Mayr † 1540) putaverunt substantiam intellectualem a Deo creari posse adeo perfectam, ut visio Dei ipsi connaturalis sit, Molina (*In 1* q. 12 a. 5 disp. 2; cf. *Concord.* q. 14 a. 13 disp. 38 obiect. 4 [Paris. p. 212]) hac quaestione ex professo discussa eorundem opinionem non improbabilem esse censuit; «verum cum in re tam sublimes nihil facile audendum sit, satius nunc videtur aliorum iudicio quam nostro rem definiendam relinquere». **Ripalda** (*De ente sup.* l. 1 disp. 23 sect. 1) multos alios, «quamvis dissimulent», idem sentire affirmat, inter quos *Erice*, *Valentia*, *Becanum*, *Coninck* enumerat; sed fateri debet multo plures adversari. Ipse (sect. 2) duas theses statuit: «1. Stando auctoritati absolute est tuenda sententia, quae negat possibilem substantiam supernaturalem, ac proinde affirmat supernaturalia esse supra omnem substantiam creabilem. 2. Auctoritas talis sententiae negantis tanta non est, ut absque nota temeritatis non *possit defendi libere affirmans.*»¹

261. 4. Qualificatio. *Alìqua* veri nominis *elevatio* indebita supra naturam humanam videtur fidei proxima et definibilis esse. — *Elevatio supra naturam angelicam* est theologice certa. — Sententiae *Augustinensium* et *Ripaldae* nullam solidam probabilitatem habent.

262. Prob. I. Ecclesia. 1. Secundum **Viennense**, Errores Beguardorum et Beguinarum 5 (Dz 475), anima indiget lumine gloriae ipsam *elevante* ad Deum videndum; ergo visio Dei est finis saltem *vires* naturae excedens (de *exigentia* nihil explicitè dicitur).

¹ Haec sententia placet *M. Morlais* (Revue du clergé français 31 [1902 III] 464—495).

2. Ecclesia damnavit doctrinam **Baii** et **Iansenistarum**:

A. «De prima hominis iustitia.» **Baii pr. 21** (Dz 1021): «Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae condicionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.» Haec prop. quoad rem invenitur apud Baium (cap. 1 4 6), sed bulla adhibet verba theologis usitata. Quod communiter vocatur naturae sublimatio etc., secundum Baium nihil est aliud nisi status *normalis* naturae humanae, homini innocenti *debitus*. Pius V econtra docet: Ista sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae non erat debita naturae integrae; erat *supernaturalis*, non naturalis. Est sermo de donis, quae non solum vires, sed etiam *exigentias* naturae transcendant. — **pr. 26** (e cap. 4): «Integritas primae creationis non fuit debita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius condicio.» Ergo ista primaeva integritas, quae ex mente Baii etiam totam *iustitiam internam* comprehendit, est debita exaltatio, non naturalis condicio¹. — Effugia Iansenistarum, qui doctrinam nonnisi in sensu *Protestantium* damnari voluerunt, et Quesnelli, qui ista dona esse *personae* debita, naturae sanae et integrae debita affirmavit, excluduntur damnatis Quesn. prop. 35 et 37 (Dz 1385 1387) et authentica Pii VI adversus Pistorienses interpretatione pr. 16 (Dz 1516): Quatenus doctrina synodi innuit statum innocentiae, complectentem etiam iustitiam interiorum et impulsum caritatis, sequelam fuisse creationis, *debitum ex naturali indigentia* et condicione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium, est *falsa, erronea, damnata* in Baio et Quesnellio, favens haeresi pelagianae. — Baii **pr. 23** et **24**, licet iam propter *modum impugnandi* catholicos theologos («Absurda est eorum sententia», «A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reicienda est») damnari mereantur, etiam propter *doctrinam* in ipsis contentam reiciuntur; haec enim est *eadem* atque ea, quae pr. 21 et 26 *absolute* damnatur. Baius admittit fidem, spem,

¹ Baius in *Apologia* ad Pium V ulterius contendit haec dona, utpote media necessaria ad naturalem finem perfectae Dei possessionis, fuisse debita naturae innocenti, non esse gratiam supernaturalem, nisi postquam naturae lapsae reddita sint, sicut visus eatenus tantum dici possit supernaturalis, quatenus forte miraculo restitutus sit. *Doctores vero lovanienses* agnoverunt in his donis «gratuitum munus et debitum naturae beneficium». *Universitas salmanticensis* propositionem Baii declaravit *erroneam* (v. *Le Ba-chelet*, DdTh 2, 67ss).

caritatem, adoptionem nonnisi a Deo donari, sed negat his donis hominem supra exigentias naturae innocentis exaltari. — In pr. 22 secundum mentem Baii eadem cogitatio subest. Cf. pr. 55 78 s.

263. B. «De meritis operum.» Doctrina Baii ita damnatur, ut supernaturalitas gloriae relate ad naturam *humanam innocentem* et etiam ad naturam *angelicam* eluceat. a) **Pr. 1 3 7 9** Baius merita angelorum et hominis integri cum *natura* eorum comparat. Notandum est gratiam triplici sensu sumi posse: 1. late et improprie pro donis *naturalibus*; 2. stricte et proprie pro donis *naturae indebitis* et superadditis; 3. magis particulariter et strictissime pro donis *positive indigno* collatis. Eiusmodi revera est gratia Redemptoris. Quare *S. Scriptura* et *S. Augustinus* maxime de gratia 3° sensu sumpta loquuntur, quin 2^{um} excludant. *Pelagiani* vero, quando necessitatem gratiae concedebant, maxime de 1° sensu cogitaverunt, id quod 5 episcopi africani ad Innocentium I scribentes iis exprobrant (*Ep. Aug.* 177 n. 7; cf. supra n. 5, 4). Baius ea, quae ista epistula de 1° dicit, applicat ad 2^{um} scil. ad dona supernaturalia homini integro angeloque concessa. Haec igitur ab eo non alio sensu agnoscuntur gratia, quam «gratia Dei qua *creati* sumus, ut nonnihil essemus... et viveremus et sentiremus et intellegeremus» (*Epist. Aug.* 177 n. 7). Praeter hanc gratiam improprie dictam non admittit nisi 3^{am} Merita igitur angelorum et primi hominis, quae supponunt gratiam sensu 2°, non sensu 3°, Baius, tamquam ex principiis naturaliter debitis procedentia, gratiam veri nominis vocare renuit. Hanc *ineptam terminologiam*, quippe quae in *erronea doctrina* de iustitia originali naturaliter debita fundatur, Ecclesia iure reicit. — Cf. Quesnelli pr. 34 (Dz 1384).

b) **Pr. 2 4 5 6 11** Baius comparat bona opera hominis integri et angelorum cum eorum *fine ultimo*. Statuit aliquam *legem universalem* (pr. 2), etiam ad naturam reparatam applicabilem (pr. 11), quam vocat «naturalem» (pr. 4—6), nam «unumquodque id ex natura sua esse dicitur, quod est *ex prima sui institutione*» (*Apologia*). «Naturale» sumere eodem sensu atque «originarium» (cf. n. 254) est quidem ambiguus modus loquendi, sed per se non est error. Baius vero ubique cum hoc sensu vocis «naturalis» coniungit notionem «*naturaliter debiti*». Sentit enim Deum creaturis rationalibus ab initio nihil dedisse, nisi quod eorum natura exigeret. Hoc falso sensu ab assertore intento istae sententiae damnantur. — Ita-

que *secundum doctrinam catholicam* operibus bonis, quae solis viribus et auxiliis naturaliter debitis ab angelo vel homine integro fierent, vita aeterna non responderet tamquam merces proportionata. *Finis* enim creaturae rationali revera praestitutus *vires et exigentias naturae superat*; quare *opera naturalia* non possunt eundem finem mereri, sed opera dumtaxat naturae elevatae. Hoc magis directe habetur damnatione sequentium propositionum:

c) **Pr. 13 15 12 17.** His Baius negat ad meritum vitae aeternae requiri supernaturalem elevationem subiecti operantis. Doctrina est eadem in omnibus 4 propositionibus, quare «*modales*» pr. 12 et 17, quae adversariis pelagianismum obiciunt, pariter damnantur ac «*absolutae*» pr. 13 et 15. Operibus igitur bonis ratio meriti vitae aeternae inde provenit, quod operans sit filius adoptivus Dei per gratiam et Spiritum inhabitantem, qua gratia ad statum deificum sublimatur. — Cf. pr. 61 et 62.

264. 3. Adversus **Augustinenses** dici potest: Magna, quam praetendunt, eorum a Baio differentia non videtur existere. a) Baius quoque de exigentiis, non de constitutivis et consecutivis naturae loquitur, porro de *actuali*, non de *habituali caritate*¹. — b) Similiter ac Baius docent *ordinatam* Dei potentiam debere exigentiis creaturae rationalis consulere, ne misera evadat. — c) Habent eundem errorem fundamentalem, scil. creaturam rationalem non posse beari nisi *Deo, uti est in se, possesso*; qui error *Vaticano* proponebatur damnandus (CL 7, 555 etc.; cf. DdTh 2, 73 s).

265. 4. Contra **Semirationalistas** saeculi XIX Ecclesia imprimis urgebat supernaturalem revelationem, quae *mysteria* vires rationis transcendentia contineret. Hac occasione etiam de fine ultimo supernaturali sermo erat. — Pius IX a. 1862 de erroribus Iacobi Frohschammer ad archiepiscopum monacensem (Dz 1666 ss): Ad humanae rationis et philosophiae provinciam non pertinent supernaturalis hominis finis et ea omnia, quae ad ipsum spectant (1669). Ratio non potest pro-

¹ Post Benedictum XIV, qui eorum systema ut catholicum et a Iansenismo liberum agnovit (Epist. die 31 Iulii 1748 ad supremum Hispaniae Inquisitorem [*Norisii Opera omnia*, ed. Ven. 1769 t. 1 p. VII—IX]), Pius VI contra Pistorienses (Dz 1516) absolutam gratuitatem «impulsus in Deum per amorem caritatis», i. e. auxilii quoque actualis, docuit. Ergo condicio Augustinensium nunc quadamtenus difficilior facta est, quam tempore Benedicti XIV erat.

gredi ad ea, quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt (1671). Fide nobis revelantur mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt (1673).

266. 5. **Vaticanum** ex iis, quae in proposito schemate de toto ordine supernaturali dicebantur, pauca de revelatione et fine supernaturali in suas definitiones transumpsit: sess. 3 cap. 2 (Dz 1786): Revelatio est absolute necessaria, quia Deus ex infinita *bonitate* sua (ergo non propter *exigentias* creaturae) *ordinavit* (*mediis* ad hoc aptis) hominem ad finem supernaturalem (et quidem *simpliciter* supernaturalem; nam pergitur:), ad participanda *bona divina*, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant (quem finem homo viribus naturalibus, si ne *intelligere* quidem potest, a fortiori non poterit *efficaciter appetere*). — Cf. can. 3 (Dz 1808): Ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi potest homo. — cap. 2 (Dz 1785): Placuit Dei sapientiae et bonitati, *supernaturali via* se ipsum ac voluntatis suae aeterna decreta humano generi *revelare*. — cap. 4 (Dz 1796) est sermo de *mysteriis* divinis, quae suapte natura intellectum creatum excedunt. — Hinc Vaticanum finem ultimum clare exhibet ut *simpliciter* supernaturalem sive ordinis divini, docet Deum ordinasse hominem ad hunc finem, quod fieri nequit nisi *mediis proportionatis*, i. e. similiter supernaturalibus, et unum ex his mediis, idque obiectivum, *revelationem* scil. supernaturalem, expresse indicat. Haec revelatio iam ex eo solo, quod est aliqua locutio sive testificatio Dei ad suas creaturas, iure dici videtur non solum secundum quid et quoad modum, sed *simpliciter* et *quoad substantiam* supernaturalis. Nam quae creatura efficere vel exigere possit, ut Deus infinita sua auctoritate se testem veritatis exhibeat atque hoc modo ipsi offerat aliquam *certitudinem super omnia*, non lumine rationis creatae, sed *ipsa prima veritate testante innixam*?¹ Eo magis simpliciter supernaturalis erit revelatio, si mysteria stricte dicta contineat. Quare cum magna probabilitate inferre possumus: Si Deus ad finem supernaturalem dedit medium obiectivum simpliciter supernaturale, non minus fini proportionata erunt media subiectiva, i. e. dona gratiae. Dando

¹ Alia tamen quaestio est, utrum revelatione habita homo viribus naturalibus possit elicere actum *fidei* sic dictae *acquisitae* (cf. n. 309).

enim revelationem, qua finis supernaturalis *cognoscatur*, Deus vult, ut homo modo naturae rationali et liberae consentaneo, *scienter scil. et volenter*, suum finem appetat. Sed nisi etiam *subjective ad proportionem finis elevaretur*, nihilominus deficeret a fine fructuose appetendo. Ergo haec subjectiva elevatio asserenda est. — Salutaris fides etiam subjectiva docente Vaticano (Dz 1789 1791) est supernaturale donum gratiae¹.

267. 6. Ex actis Vaticani. In priore schemate cap. 16 « De ordine supernaturali et de supernaturali statu originalis iustitiae » haec legebantur: « Deus liberrimo infinitae bonitatis suae consilio dignatus est creaturam suam donis caelestibus superadditis evehere ad perfectionem in ordine longe sublimiori, qui sicut omnes naturae vires, ita eius *exigentiam* excedit atque *ideo* ordo *supernaturalis* est. In hac enim supernaturali exaltatione homo ordinatus est *ad Deum intuitive videndum*, amore huic visioni respondente amandum beateque possidendum eo modo, qui est supra omnes vires naturales. Quapropter etiam dives in bonitate Deus hominem ornavit ea *sanctitate*, quae supra omnem *naturae creatae exigentiam* et supra quodvis *meritum operum naturalium* eum constitueret filium adoptionis et heredem Dei vereque esset gratia Dei sanctificatoris. » Dein anathemate feriuntur, qui negant « dona ac instituta divina . . . *vere supernaturalia*, quae *exigentiam et vires* naturae creatae eiusque intra suum ordinem perfectibilitatem superent », qui affirmant « visionem Dei intuitivam . . . non esse supra vires naturales » etc. (516 b c). — cap. 18 « De supernaturali ordine gratiae, quae nobis per Christum Redemptorem donatur. » « Haec renovatio est creaturae ad Dei similitudinem et societatem *super omnes exigentias, et vires naturae creatae* exaltatio atque *ideo vere supernaturalis*, ut per gratuitam adoptionem filii Dei nominemur et simus » (517 s). — Explicatur haec doctrina in adnotationibus (524 b 547 s 551 s). — Schema reformatum, licet quaedam de ordine naturali, quae in priore schemate legebantur, omissa vel mutata sint, ne doctrina *Augustinensium* videretur damnata (v. *Mansi* 50, 132 C 134 C 174 C—175; porro ibid. 334 D—335 vel CL 7, 1624), tamen quoad ordinem supernaturalem essentialiter eadem habet: cap. 3 De hominis elevatione et lapsu (CL 7, 555—558); cap. 5 De gratia Redemptoris (562—565); canones (566 s).

¹ Cf. de his *J. M. A. Vacant*, Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican I (Paris 1892) n. 323—329 336—339, et *Th. Grandérath* S. J., Constitutiones dogmaticae S. Oecum. Concilii Vaticani (Friburgi 1892) 79 s. — E relatione episcopi principis Gasser in Concilio data haec notentur: « Ergo docetur *finis* supernaturalis, ad quem homo *ordinatur* a Deo » (CL 7, 135 d). — Emendatio 24 vult accuratius definiri finem supernaturalem; « scil. ad illud mirandum consortium divinitatis inchoandum per gratiam, consummandum per gloriam »; quoad substantiam emendationis nihil esse animadvertendum, tamen finem supernaturalem hic solum eatenus tangendum esse, quatenus ad necessitatem revelationis requiratur; alia ad caput de elevatione naturae humanae amandanda (137 a b).

268. 7. **Pius X** in encyclica «*Pascendi*» (Dz 2103) queritur, quod quidam catholici «quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam reiciunt, ea tamen pro *apologesi* utuntur; idque adeo *incauti* faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a *modernistis* invehitur, qui volunt *moderatiores* audiri.»

269. **II. Scriptura** docet conferri iam in hac vita quaedam dona realia internae gratiae, quibus homo constituatur 1. filius Dei adoptivus, 2. heres regni caelorum, 3. consors divinae naturae, et 4. habeat inchoationem quandam futurae gloriae. Atqui eiusmodi dona sunt *entitative et simpliciter supernaturalia* et sunt in eodem ordine divino, in quo est *visio Dei*¹. — Quoad singula:

1. Filiatio adoptiva, et quidem *viodesota* quaedam, quae multo magis quam ea, quae inter homines fieri potest, cum *generatione* conveniat (cf. 1 Io 3, 9: semen Dei), saepe docetur: Rom 8, 14—24; Gal 4, 4—7; Eph 1, 5; Io 1, 12s; 1 Io 3, 1s; Tit 3, 5—7; Iac 1, 18; 1 Petr 1, 3s (cf. th. 15 n. 425—429). Adoptio autem est «personae *extraneae gratuita* ad hereditatem assumptio». Habet igitur in conceptu: a) participationem iurium et honorum, quae sunt propria patris et iure naturae *debentur solis filiis naturalibus*; — b) factam *extraneo*, qui *ex se nullum ius* ad ea bona habet (n. 426). — Insuper gratuitas expresse indicatur 1 Io 3, 1: *ποταπήν ἀγάπην* — qualem *caritatem*; Iac 1, 18: *βουληθεῖς* — voluntarie; Tit 3, 5: «non ex operibus iustitiae . . . , sed secundum suam misericordiam». — Haec gratuitas nequit ex sola condicione *peccatoris* derivari. Adoptio enim non est in hoc, ut filio indigno condonetur crimen commissum et *restituantur* iura filii *deperdita*, sed est in eo, ut iura filialia ei conferantur, qui eadem *naturaliter exigere nequit*. Erit utique eo magis gratuita, quo indignior adoptandus est.

2. Hereditas regni docetur: Rom 8, 17; Gal 4, 7; Eph 1, 14 18; Col 3, 24; Hebr 9, 15; 1 Petr 1, 4 (cf. th. 15 n. 425—428).

¹ Nunc sola supernaturalitas horum donorum probanda est, realitas physica eorundem probabitur th. 13. — Cf. maxime *Palm.* th. 37 et *Rademacher*.

— Haec *κληρονομία* est regnum, in quo simul cum Christo regnant sancti eius. Mt 25, 34: « Possidete paratum vobis regnum. » — Lc 22, 29: « Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. » — Apc 3, 21: « Dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego... sedi cum Patre meo in throno eius. » — Eph 5, 5: « hereditatem in regno Christi et Dei ». — Ad eiusmodi hereditatem *nulli creaturae* ratione naturae ullum ius competere potest. Nam omnis creatura relate ad Deum essentialiter est *serva*. Atqui repugnat servum habere ius hereditandi regnum regis et domini sui sive regnandi cum filio regis.

3. Consortium divinae naturae docetur 2 Petr 1, 4 (cf. th. 14 n. 408—410). Deus per Christum pretiosa et maxima *επαγγέλματα* donavit, i. e. probabilius: res promissas dono dedit (non: promissiones fecit), « ut per haec efficiamini divinae consortes naturae », probabilius iam in hac vita (n. 410, 3); sin proxime de donis eschatologicis sermo est, argumentum valet assumpto 4° (n. 270). — Patres etiam afferunt Ps 81, 6: « Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes »; Gen 1, 26 et Sap 2, 23: Homo creatus ad imaginem et similitudinem Dei. — Divinae naturae *κοινωνία*, si secundum traditionem (n. 273 ss 412 s) sensu non mere ethico, sed reali et physico intellegitur, est participatio bonorum, quae sunt supra omnem naturam creatam et creabilem. Nam collatis donis naturae *humanae* proportionatis homo non communicat altiori naturae. Si dona *angelis* specificè propria reciperet, consors fieret angelicae naturae sive quodammodo « angelificaretur ». *Divinae* autem naturae vere consors non efficitur, vero aliquo sensu non « deificatur » nisi collatis iis bonis, quae naturae divinae qua tali prae omnibus creaturis exclusive sunt propria.

270. 4. Inchoatio gloriae. Scriptura dona gratiae viae non exhibet *quomodocumque tamquam media* ad attingendum finem gloriae caelestis¹, sed simul tamquam *formalem inchoationem* eiusdem gloriae. Habetur inter utraque dona relatio seminis ad fructum, sementis ad messem, primitiarum ad totum proventum, arrae ad solutionem integrae summae, status imperfecti quoad caritatem, adoptionem, vitam aeternam

¹ « Il ne faut pas se représenter le mérite des bonnes œuvres comme un pur titre juridique, sorte de billet d'entrée au ciel », dicit E. Delaive S. J. (Nouvelle Revue théologique 53 [1926] 576).

etc. ad statum perfectum. Ergo ista media versantur in ordine perfectionis essentialiter eiusdem atque ipse finis; aliis verbis: *eadem supernaturalitas* competit donis viae et patriae (cf. *Thom. S. th.* 2, 2 q. 24 a. 3 ad 2).

a) Ἀρραβών. Eph 1, 14: «... in quo [Christo] et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est ἀρραβών τῆς κληρονομίας ἡμῶν» (cf. 2 Cor 1, 22; 5, 5). — Ἀρραβών, lat. arra vel arrabo, est vox originis semiticae; proprie non significat pignus (*Pfand*), rem alterius speciei, quae *aufertur*, quando oppignoratum redditur, sed «pecuniam, quae in emptionibus eo consilio solvitur, ut totius pretii postea solvendi fides fiat» (*Zor.*; *Angeld.*, *Handgeld*). Haec pecunia non aufertur, sed *completur*. Sic Spiritus Sanctus nunc datus est fidelibus, non ut pignus aliquando auferendum, sed ut arra solutione totius rei promissae complenda (cf. *August. Serm.* 23, 8 s; 156, 15 s [ML 38, 158 s 858]; *Rademacher* p. 238 s).

b) Ἀπαρχή. Rom 8, 23: τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες. Primitiae sunt «primae fruges ex agro desumptae, ut per earum oblationem tota messis Deo consecratur» (*Zor.*). Hic intellegendae sunt aut primitiae *donorum* Spiritus (genetivus partitivus) in hac vita datae, cum reliqua pars in altera vita danda sit, aut primitiae, quae consistunt in *ipso Spiritu Sancto* (gen. epexegeticus), qui nunc iam datus est nobis ut arra postea complenda. — In utroque casu significatur aliquod initium, quod ea, quae sequentur, iam aliquo modo *in se continet et repraesentat* (cf. *Al. Schäfer*, Erklärung des Briefes an die Römer [Münster 1891]).

c) Filiatio adoptiva. Nunc iam accepimus πνεῦμα υἰοθεσίας, sed *consummationem* huius adoptionis adhuc gementes *expectamus* (Rom 8, 15 23). Haec consummatio consistit in glorificatione corporis, ergo in beatitudine caelesti omni ex parte completa. — Iam sumus filii nati ex Deo, semine eius in nobis manente; sed nondum *apparuit* (ἐφανερώθη), quid erimus (1 Io 3, 2 9). Ergo nihil deest nisi «apparitio» alicuius filiationis, quae iam *latenter* adest. Apparitio vero consistet in maiore quadam assimilatione ad filium Dei naturalem.

d) Ἡ ζωὴ αἰώνιος est donum nunc iam collatum, sed aliquando plenius conferendum. Io 3, 36: «Qui credit in Filium, habet vitam aeternam» (iam nunc). — 1 Io 2, 25: «Et haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeter-

nam » (futuram). — Io 17, 2 s: « ut . . . det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te . . . » (nunc et in caelo). — Cf. *Knabenbauer*; *Monse* p. 140—143; *Schauf*, *Sarx* p. 25.

e) *Tò φῶς*, attributum aliquod *divinum* (1 Io 1, 5 7; 1 Tim 6, 16) *participatur* ab hominibus per Christum (Io 1, 4 ss; 8, 12), et quidem cum per *gratiam* (Col 1, 12; Eph 5, 8) tum per *gloriam* (Apc 21, 23 s; 22, 5). — Cf. *Rademacher* p. 155—157.

f) Caritas nunc manet et nunquam excidit (1 Cor 13, 13 8). — Cf. *August.*, *Serm.* 23, 8 s.

g) Sicut *Abraham* iam demorabatur in terra repromissionis, sed tamquam *πάροικος*, hospes et peregrinus in terra aliena, in mobili tentorio, non in firmo et stabili aedificio, adhuc exspectans fundamenta habentem civitatem, ita *nos* per *fidem* iam sumus in terra promissa, sed imperfecto interim et incerto modo, nondum acquisito iure civitatis inamissibili (Hebr 11, 9 s; cf. 11, 1: Fides est *ἐπιζομένων ὑπόστασις*).

h) Aliae ideae cognatae saltem insinuantur: Sponsa et uxor (Apc 21, 2), fetus et partus (Rom 8, 22), semens et messis (Gal 6, 9; 2 Cor 9, 6). — Tandem doctrina Scripturae de operibus *ex iustitia mercedem gloriae* poscentibus (v. n. 706 s) huc spectat. Ut natura opera tanti valoris peragere possit, necesse est, ut elevetur ad eum ordinem, in quo versatur praemium.

271. Saepe etiam provocatur ad 1 Cor 2, 6 ss, ubi S. Paulus summis laudibus celebrat sublimem et mysteriosam *sapientiam*, quam nemo principum huius saeculi cognovit et *solus Spiritus*, qui profunda Dei scrutatur, revelare potest. Etiam Vaticanum s. 3 cap. 2 (Dz 1786), ubi loquitur de participandis bonis divinis, quae humanae mentis intellegentiam omnino superent, adhibet notum v. 9: « oculus non vidit » etc.; qui versus utique non exclusive spectat ad dona patriae, sed potius ad *totam oeconomiam salutis*, prout est obiectum istius sapientiae (v. *Cornely*). Sed non videtur certo excludi posse explicatio istius pericopae de liberis voluntatis divinae consiliis, quae non possunt cognosci nisi Deo per S. Spiritum revelante; quare non est certum hic agi de mysteriis strictissime dictis.

272. Ad v. *Harnack* in op. n. 247 cit. terminos S. Scripturae et Patrum apostolicorum de regeneratione etc. colligit et bene ostendit, quam *vana et arbitraria* sit methodus multorum recentiorum interpretum (professoris R. Reitzenstein et scholae eius), qui

singulorum terminorum originem et prototypum *in religione et mysteriis gentilium* se invenisse gloriantur. SS. Paulus, Ioannes, Clemens Rom., Ignatius etc. ideis et figuris non aliunde accersitis, sed propriis et originariis doctrinam christianam explicaverunt; voces autem et formulas magna ex parte iam in V. T. invenerunt¹. Sed Harnack ipse illas ideas nimis ieiune de donis mere ethicis explicat.

273. III. Patres. A. Graeci. Maxime excolunt ideam deificationis. Apud **Patres apostolicos** (Didache, Epistula Barnabae, Clemens Rom.) quaedam *germina* inveniuntur; longe plurima apud **S. Ignatium** (cf. *Baur*, ThQS [1917] 234 ss), qui saepe de participatione Dei in praesenti et futura vita et de unione cum eodem loquitur: *θεοῦ εἶναι, μετέχειν, τυχεῖν, ἐπιτυγχάνειν; θεοφόροι καὶ νοσοφόροι, χριστοφόροι, ἁγιοφόροι* (v. g. *Ad Eph.* 4, 2; 9, 2; 10, 1; 12, 2 [cf. R. 40 43 61]). Eucharistiam vocat *φάρμακον ἀθανάσιον* (20, 2)².

Inter **Apologetas** Tatianus loquitur de unione maritali (*συνζυγία*) cum divino Spiritu, Theophilus Antiochenus de assimilatione per Spiritum Sanctum ad Deum invisibilem et immortalem, qui omnes creaturas transcendit, Ps-Iustinus (*Or. ad Graecos*) dicit de virtute Verbi in animam intrante: *παιδεύουσα ποιεῖ τοὺς θνητοὺς ἀθάνατους, τοὺς βρωτοὺς θεοῦς*

¹ « In der Septuaginta ist bereits nahezu alles an Ausdrucksmitteln und Formeln verstreut zu finden, was in dieser Abhandlung als althristlich zusammengestellt ist » (p. 141). « Aber die Triebkraft entsprang... der Sache selbst. Dafür bürgt die Fülle der Gedanken und Bilder, die sofort angeeignet wurden. An keinem haftete man ausschliesslich, und als Ausdruck des geschichtlichen und innerlichen Erlebnisses wurde das Rezipierte ein Neues. Das ist das Siegel der Ursprünglichkeit » (p. 140). « Die geistige und seelische Luft der Zeit war erfüllt von dem Atem eines sublimierten religiösen Lebens und von den Dämpfen überhitzter und in einer Läuterung sich befindender Kulte. Alles wogte durcheinander... In diese Zeit trat die christliche Religion ein mit ihrem originalen geschichtlichen Erlebnis und mit einer inneren religiösen Produktionskraft... Weder bei Paulus noch bei Johannes usw. aber darf man sich das Recht nehmen, aus Mysterien-Worten auf Mysterien im griechischen Sinn zurückzuschliessen, vielmehr hat man von jenen zunächst auf helle Erlebnisse und klare Gedanken zurückzugehen, die sie in solche Worte gekleidet haben » (p. 141 s).

² « Nirgends aber tritt uns der den Mysterien geläufige Gedanke entgegen, dass es sich bei dieser *ἐνωσις* um eine Umwandlung in Gott, um ein Aufgehen in der göttlichen Allsubstanz... handle. Sie ist vielmehr eine Angleichung, die aber zugleich eine real-physische, qualitative Erhöhung des menschlichen Wesens durch Gottes reale Gnadenkraft besagt, die ihren sprechendsten Ausdruck in der Unsterblichkeit findet » (*Baur* l. c. p. 252).

(*Baur*, ThQS [1920] 29 35—37)¹. — **S. Irenaeus** primus integrum systema huius doctrinae composuit. Impugnat Gnosticos, qui totum processum salutis modo mere *physico* concipiunt: *Σπέσματα πνευματικά*, e natura divina emissa et materiae admixta, in hominibus pneumaticis ad divinum *πλήρωμα* reducuntur; ergo neque est locus gratuita elevationi naturae neque liberae acceptationi salutis. Contra has haereses Iren. suam doctrinam statuit: Solus Deus est naturaliter et essentialiter perfectus, sed creaturae prope ad Ingenitum accedere possunt (*Adv. haer.* 4, 38, 3). «Oportet enim te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participare gloriae Dei» (4, 39, 2). Haec participatio consistit in aliqua assimilatione, unione, communionem cum Deo (*ὁμοίωσις, ἔνωσις, κοινωνία*), quae non eo sensu est physica, quasi ad constitutiva naturae pertineret, sed neque est mere ethica. Natura enim humana hac unione e suo ordine entitative elevatur ad ordinem spiritualem et divinum. Eiusdem elevationis fundamentum obiectivum est *incarnatio*: «Verbum Dei... semetipsum homini et hominem sibimetipsi assimilans, ut per eam, quae est ad Filium, similitudinem pretiosus homo fiat Patri» (5, 16, 2). Unio realis efficitur *per Spiritum Sanctum* (2, 34, 4). «Propter effusionem Spiritus spiritualis et perfectus homo factus est; et hic est, qui *secundum imaginem et similitudinem factus est Dei*» (5, 6, 1). Superior vita ab homine libere suscipitur, custoditur, perficitur (1, 6, 7). Gloria (*δόξα*) Dei participatur per immortalitatem et incorruptionem, per Dei visionem et dilectionem (4, 20, 5 [R 236]). Peccato amittitur *τὸ πνεῦμα*, sed natura humana eo non destruitur, sicut etiam primum facti sumus homines, dein dii effecti (5, 16, 2). Interim partem Spiritus ut *arram* accepimus, ut praeparemur ad incorruptelam et assuefiamus capere et portare Deum (5, 8, 1)². — Clemens Alex.: Verus gnosticus est *ἐσόμενος θεός*. Immo possibile est eum *ἤδη γενέσθαι θεόν*. *Ἐξ ἀνθρώπου*

¹ Vox *θεοποιεῖν* alio sensu apud Tatianum et Athenagoram occurrit, scil.: gentiles creaturas «deificant».

² «Die materiellen Gedankenquellen der irenäischen Lehre liegen innerhalb der christlichbiblischen Tradition... Der Gedanke, dass die Menschen dazu bestimmt seien, Götter zu werden oder vergöttlicht zu werden, ist von Irenäus aus Ps 81 (82) entnommen» (*Baur* [1920] p. 184 s). — Cf. etiam *Stoll et Strucker*. — *Hugo Koch* (Theol. Studien u. Kritiken 96/97 [1925] 183—214) cum *Harnack* aliisque sine ratione convincente tenet primum hominem secundum S. Irenaeum similitudinem cum Deo et Spiritum Sanctum non in re, sed in spe tantum habuisse (cf. Scholastik 1 [1926] 612 s).

θεός ἀποτελεῖται (Strom. 7, 1, 3, 6; 4, 23, 149, 8; 7, 16, 95, 2)¹. — Origenes magis attendit ad liberam hominis operationem et *ethicam* cum Deo unionem. Sed bene novit etiam *internam unionem realem* cum Deo, quae primario in humana natura *Christi*, dein secundario in *Christi fidelibus* invenitur (v. g. *C. Celsum* 3, 28). — Cf. *Sträter*, Erlösungslehre des hl. Athanasius 7—10.

274. Athanasius, in philosophia *platonica* bene versatus atque doctrinas *Origenis* et *Irenaei* secutus, multa disseruit de intima cum Verbo divino per Spiritum Sanctum unione, primo *apologetice* ad gentiles («*Oratio contra gentes*», «*De incarnatione Verbi*»), dein *polemice* adversus Arianos. Docet unionem cum moralem tum realem et mysticam. In prioribus operibus *non tam clare distinguit* inter dona *naturae* et *gratiae*. Sicut secundum Platonem res participatione aeternarum idearum exsistunt, sic Athanasius omnia bona, quae habemus, ad participationem τοῦ Λόγου reducit. Possumus tamen *diversos gradus participationis* distinguere: in omni existente, in homine rationali, in iusto, cui Spiritus Sanctus similitudinem Verbi impressit². — In scriptis polemicis gratuita a naturalibus omnino distinguit, v. g. *Adv. Arian. or. IV* 2, 58 s (MG 26, 272 s; cf. R 766): Deus hominem non solum creavit, sed etiam genuit et adoptavit; sic πατήρ κατὰ χάριν ὕστερον γίνεται. Etiam *De incarn.* 3 (MG 25, 101) loquitur de similitudine Dei hominibus concessa, de participatione Verbi etc. tamquam de donis indebitis. — Libenter tractat de deificatione hominis eamque cum incarnatione Verbi arcte coniungit. *De inc.* 54 (R 752): Ἀὐτὸς γὰρ ἐνηθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν. *De decr. Nic. Syn.* 14 (MG 25, 448): Verbum incarnatum est, ut nos, Spiritum eius participantem, deificari possemus. — Fusede *De inc. Dei Verbi et c. Ar.* 8 (R 788), ubi differentiam inter Christum et nos ostendit: Ἀὐτὸς οὖν κατὰ φύσιν υἱὸς ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ἡμεῖς δὲ κατὰ χάριν. Ipse est θεὸς σαρκόφθορος, persona divina, quae gratuito et accessorie carnem assumpsit;

¹ Cf. *Faller* (Gregorianum 6 [1925] 427 ss).

² Non omnia effata, quae primo aspectu inter dona naturalia et superaddita distinguere videntur, necessario hunc sensum habent. «*Natura*» enim creaturarum secundum Athanasium est, ut *nihilum* sint, et quidquid communicatione Verbi recipiunt, etiam mera existentia creatione collata, est «*supra naturam*». Similiter explicari potest, quod *De Incarn.* 4 (R 749) de primis hominibus dicit: «*Praecepti transgressio illos εἰς τὸ κατὰ φύσιν reduxit.*»

nos sumus *ἄνθρωποι πνευματοφόροι*, essentialiter homines, accidentaliter elevati. — V. Sträter, Pell, Atzberger, Bornhäuser, Cremers.

275. S. Basilus saepe ostendit Spiritum Sanctum *natura sanctum esse*, angelos et homines nonnisi *participatione* S. Spiritus (*μεταλαμβάνουσι, τὰ μετέχοντα* [R 941 944]). In creaturis sanctitas est extra substantiam (*ἐξωθεν τῆς οὐσίας*) et dat iisdem perfectionem (*τὴν τελείωσιν*) per communionem Spiritus (*διὰ τῆς κοινωνίας τοῦ πνεύματος* [R 950]). Distinguit creationem angelorum per Verbum et sanctificationem per Spiritum Sanctum (R 960). — **Gregorius Nyssenus** celebrat magnam gratiam, quae in eo est, ut homo, qui pro nihilo existimatur, fiat familiaris et filius adoptivus Dei. *Ἐμβαίνει τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ὁ ἄνθρωπος*, immortalis factus ex mortali, incorruptibilis ex corruptibili, aeternus ex caduco, *καὶ τὸ ὄλον θεός ἐξ ἀνθρώπου γινόμενος* (R 1027). — **Chrysostomus**, *In Rom hom.* 10, 2 (R 1185) ostendit *περίσσειαν χάριτος*, quae sit in regeneratione, resuscitatione, sanctificatione, adoptione, intima cum Christo capite unione. Sic accepimus *φάρμακον* non solum par vulneri (gratia sanans), sed etiam sanitatem, pulchritudinem, honorem, gloriam et dignitates *πολὴ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνοντα φύσιν* (gr. elevans).

276. Summum huius doctrinae fastigium cernitur apud **S. Cyrillum Alexandrinum**¹. *Weigl* totum systema, quod Cyrillusquam data opera qua tale proponit, reconstruere conatur: Praeter naturalem participationem Verbi divini omnibus rebus creatis communem est altior quaedam vitae divinae communicatio, gratis collata, creaturam supra propriam naturam elevans. Dona, quibus hoc fit, ad naturam non pertinent, licet eam perficiant et compleant. Iis amissis natura remanet (W. p. 36 39). Verbi incarnatio ad restitutionem huius vitae divinae fuit summi momenti (W. 63; R 2115). Videtur Cyrillus (similiter ac S. Thomas) naturae humanae Christi etiam quandam causalitatem *physicam* hac in re adscribere (64). Ex deificatione creaturae per efficientiam Verbi et S. Spiritus eorundem

¹ «Während Irenäus und auch Athanasius im grossen und ganzen noch stark platonische Elemente aufweisen, ist bei ihm die streng platonische Denkweise bereits abgestreift. Man wird nicht fehl gehen zu behaupten, dass bei diesem Kirchenvater eine auf Grund der Schrift und Väterlehre fussende, unter Zuhilfenahme philosophischer Ideen fortgebildete, schon weit entwickelte einheitliche Lehranschauung vorhanden ist» (*Weigl* p. 7).

divinam naturam probat (R 2079). Differentiam naturalis filiationis in solo Christo et gratuita in omnibus iustis *contra Nestorium* urget (W. 126). Communicatione salutis *pneumatica* per S. Spiritum et *somatica* per eucharistiam efficimur unus spiritus et unum corpus cum Christo (W. 140 ss 152). — Novit omnino gratiam creatam, sanctificationis qualitatem (*τῆς ἐν ἀγιασμῶ ποιότητος*), quam S. Spiritus, forma Christi, tamquam divinam figurationem (*τὸν θεῖον ἐξεικονισμόν*) in nobis imprimit quodammodo per se ipsum (R 2063). Sic vetere naturae pulchritudine recuperata ad divinam naturam reformati sumus. *Ἀναβαίνομεν εἰς τὸ ὑπὲρ φύσιν ἀξίωμα διὰ Χριστόν*. Non erimus filii Dei sicut ille absque discrimine, sed *διὰ τῆς κατὰ μίμησιν χάριτος...* *Ἡ μὲν γὰρ πεποιημένη καὶ δούλη κτίσις καλεῖται πρὸς τὰ ὑπὲρ φύσιν νεύματι γυμνῶ καὶ θελήσει τοῦ πατρὸς* (ergo nequaquam secundum exigentiam naturae). Econtra Filius Dei proprium ipsius substantiae bonum *κατὰ φύσιν* accipit (R 2106). Per istam *μεταμόρφωσιν* transformamur in aliam *ἐξιν*. Pro hac transmutatione habet terminos *μετασχηματισμός, μετάπλασις, μεταχαλκεύειν, μεταστοιχειοῦν* etc. (W. 182 184). — Magis attendit ad gratiam increatam: Spiritus Sanctus, tota Trinitas secundum suam substantiam iustis se dono dat. Sic oritur *ἐνωσις σχετική*, ut in Christo est unio hypostatica (185 s). Unio iustorum cum Deo non quidem est substantialis, sed neque mere moralis; est aliqua unio *interna et realis*, licet *accidentalis* (201). — Gratia efficimur quasi cognati, consanguinei Dei (*οἰκειότης φυσική*; W. 227). Habetur relatio filii ad Patrem caelestem, sponsae ad Filium Dei (228—230). Adoptione elevamur ad gloriam et dignitatem incomprehensibilem et proprie divinam (237), acquirimus ius hereditandi totum ambitum bonorum Patris (238). — Inter bona supernaturalia *praesentis* et *future* vitae non est differentia nisi *gradualis*. Idem *πνεῦμα* posthac habebimus copiosius et abundantius (248). Statui finali paulatim appropinquamus¹.

277. Ps.-Dionysius, De eccl. hier. 1, 3 (R 2286): Voluntas Trinitatis est nostra et supernarum substantiarum *λογική σωτηρία*; quae non aliter potest fieri nisi *θεουμένων τῶν σωζο-*

¹ « Die Erlösung des einzelnen ist ein fortdauernder, gnadenvoller Vergöttlichungsprozess » (Weigl 259). « So ist das gesamte Heilsleben ein grosser Prozess physischer und ethischer Pneumatisierung » (266). — Summam totius doctrinae S. Cyrilli eiusdemque comparisonem cum prioribus Patribus necnon cum Augustino v. W. p. 345 ss.

μένων. Ἡ δὲ θεώσις ἐστὶν ἢ πρὸς θεόν, ὡς ἐφικτόν, ἀφομοιωσίς τε καὶ ἔνωσις (R 2286)¹. — **Maximus Confessor** Areopagitam commentat eiusque orthodoxiam defendit. Distinctissime de deificatione loquitur, v. g. *Quinquies centena capita*, 1, 76; 2, 13; 2, 26 (οὐ φύσει, ποιότητι δὲ ταύτην ἐδέωσεν); 4, 19 (θεῶν ὁμοιωσις, δι' ὁμοιότητος ταυτότης, θεώσις); *Quaest. ad Thalassium* q. 59 (MG 90, 1212 1225 1229 1312 608 s; cf. *Scheeben, Dogm.* II n. 691). — **Ioannes Damascenus** doctrinam Patrum graecorum de regeneratione, adoptione, deificatione, unione cum Deo et de diversitate inter Filium naturalem et adoptivum recapitulat (v. g. *De fide orth.* 4, 13 15 [MG 94, 1137 1164]).

278. Exaggerando et crude intellegendo defigurant hanc doctrinam graecorum Patrum complures moderni Protestantes, maxime Albr. Ritschl, *Die christl. Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung* I, Einleitung. — Ad. Harnack, *Dogmengeschichte* II (4. Aufl. p. 44 ss), *Wesen des Christentums* (13. Vorlesung). — Lepsius (in quadam oratione de cruce Christi). — « Vergottung, immer wieder Vergottung als hyperphysischer und darum physischer Prozess » (*Harnack DG II*, p. 67); « die Erlösung vom Tode ganz realistisch als pharmakologischer Prozess » (*Harnack, W. d. Chr.*, Akad. Ausg. p. 145). *Lepsius* (p. 11) loquitur de mixtione incorruptibilis substantiae divinae cum humana ad modum unionis *chimicae*; hoc modo putat mediantibus Graecis spiritum *buddhisticum* intrasse in Ecclesiam. Summum bonum salutare Graecorum secundum *Ritschl* (p. 4) et *Harnack* (*W. d. Chr.* p. 145) est ἡ ἀθανασία sive ἀφθαρσία, i. e. duratio sine fine. — Alii Protestantes loquuntur de ideis *magicis* vel omnia ex *mysteriis* hellenicis derivant (cf. n. 248 et 272). — Iastas calumnias, quatenus adversus Athanasium et Damascenum diriguntur, Bornhäuser (opere n. 247 cit.) bene refutat. Sed erronee putat hos Patres deificationem intellexisse *pure ethicam*. Id ex reiectione deificationis « chimico-pharmacologicae » nondum sequitur. Nam potest esse aliqua realis elevatio ad bona divini ordinis, quae est physica, sed accidentalis et gratuita, necnon includit simul aliquam moralem ad Deum assimilationem. — Defensionem Irenaei v. apud *Baur* (ThQS 1920, 42s 48), Cyrilli Alex. apud *Weigl* (p. 63—66 249 258 266). — Ceterum *Harnack* doctrinam S. Scripturae et Patrum apostolicorum explicando non vitavit idem contrarium extremum, in quod *Bornhäuser* incidit interpretando Athanasium et Damascenum (cf. n. 272).

¹ « Er ist nicht so originell, wie man lange geglaubt hat. Er steht am Strom der kirchlichen Tradition (*Stiglmayr*). Nur schillert und flimmert die alte Ueberlieferung bei ihm in ganz fremdartigen Farben. Er redet in beständiger Anlehnung an die Terminologie der Mysterien » (*Bardenhewer, Patrologie* 3. A. p. 467). — Eius doctrinam de mystica unione cum Deo et deificatione hominis v. apud *Jos. Stiglmayr* S. J., *Aszese und Mystik* des sog. Dionysius Areopagita (*Scholastik* 2 [1927]), praesertim p. 170 ss 199 ss.

279. B. Latini non adeo multa de hac re habent. S. Ambrosius ideas S. Basilii de Spiritu Sancto repetit (R 1283) et loquitur de paternae imagine substantiae, in anima bene picta elucente (R 1318). — Petrus Chrysol., *Serm.* 72 (ML 52, 405): Scire nequit, «quid potissimum mirari debeat, creatura: utrum quod se Deus ad nostram deposuit servitutem, an quod nos ad divinitatis suae rapuit dignitatem» (cf. *Serm.* 68; *Scheeben* n. 685). — Leo M., *Serm.* 21, 3: «Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire» (R 2193).

280. Multa S. Augustini dicta Baio et Augustinensibus videntur favere. Sed ad haec attendas oportet: Agit S. Pater *de ordine reapse a Deo instituto*, in quo carentia gratiae semper est malum et peccatum (cf. n. 110). Porro «naturale» saepissime vocat id, quod inde *ab origine* adest, vel quod *convenit* naturae eamque *perficit* (n. 254). Hoc duplici sensu gratia est «naturalis», eius carentia est contra naturam. — S. Augustinus agnoscit dona naturae supra eius exigentias addita: *De Gen. c. Man.* 2, 8, 10 (ML 34, 201): Deus hominem primo fecit «*animalem*» dando corpus et animam, dein «*spiritualem*» constituendo eum in paradiso, h. e. in beata vita. — Revocat quidem falsam exegesim 1 Cor 15, 45 (*Retr.* 1, 10, 3), sed ipsam rem neque ibidem negat neque *De Gen. ad litt.* 6, 20 ss, 31 ss (ML 34, 352 ss), ubi Gen 2, 7 aliter explicat. — De gratia status primitivi fuse disserit *De corr. et gr.* cap. 10—12 (cf. n. 548 et R 1952 ss). Haec est quidem *dispar* a gratia praesentis status (non est adiutorium *quo*, sed adiutorium *sine quo non*), tamen est magna gratia. Non est meritis comparata. An etiam supra exigentias naturae fuerit, isto loco *non explicite* dicit. Sed ex tota doctrina S. Augustini scimus: a) *gratuitatem omnis verae gratiae* tamquam proprietatem maxime essentialem et iam ipso nomine expressam saepe *urget* (n. 191 not. 1); b) ex altera parte eam gratuitatem, quam dona *naturaliter debita* habent, vix ut sufficientem ad veri nominis gratiam agnoscit (*Epist.* 177, 7; cf. n. 5, 4). — Secundum *Enchiridion* 106 (ML 40, 282) sine gratia neque in statu iustitiae originalis ullum meritum esse potuisset. — Immunitatem a fomite et a necessitate moriendi, prout in statu primitivo erat, aliquoties *expresse* declarat fuisse gratias homini *non debitas*: *De Gen. ad litt.* 6, 25, 36 (R 1699): «Mortalis ergo erat *condicione corporis* animalis, immortalis autem *beneficio* creatoris.» — 11, 31, 41: «*intrinsecus* gratia

deserente, omnino nudati... concupiverunt». — *C. Iulianum* 4, 16, 82: «*Gratia* quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat.» — *De civ. Dei* 13, 20: «licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem, qui status eis de ligno vitae... *miraibili Dei gratia* praestabatur»; cf. 13, 13 et *De pecc. mer. et rem.* 1, 16, 21. — *Retr.* 1, 9, 6 (R 1967): «Ad miseriam iustae damnationis pertinet *ignorantia et difficultas*, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae... Quam miseriam Pelagiani nolunt ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum; quamvis ignorantia et difficultas, *etiamsi* essent hominis *primordia naturalia*, nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset.» — Ergo ex mente S. Augustini Deus sine iniustitia et iniquitate potuit hominem in statu eius ignorantiae et difficultatis, quae nunc est poena peccati originalis, innocentem creare, quamvis (uti ex multis aliis textibus elucet) *magis deceat* divinam largitatem specialibus donis gratuitis suam creaturam rationalem ab eiusmodi defectibus praeservare. Etiam in angelis gratiam naturae additam agnoscit. *De civ. Dei* 12, 9, 2 (R 1755): «Et istam [bonam voluntatem] quis fecerat, nisi ille, qui eos *cum bona voluntate* i. e. *cum casto amore*, quo illi adhaerent, creavit, simul iis et *condens naturam* et *largiens gratiam?*» — Gratiae gratuititas destruitur non solum *merito operum* sensu Pelagianorum, sed etiam *debito naturae* sensu Manichaeorum (v. n. 260 not. 1).

281. Neque desunt textus, quibus Augustinus de adoptione et deificatione hominis necnon de relatione horum donorum ad divinitatem et filiationem *Verbi incarnati* prorsus *ad modum Patrum graecorum* loquitur. **Serm. 166** (ML 38, 907 ss) n. 1: Apostolus postulat, ut deponamus mendacium. Sed «*omnis homo mendax*». «An impossibilia per Apostolum Deus iubet? Non. Quid ergo iubet? Audeo dicere... hoc iubet Deus, *ut non simus homines*»; — n. 2: sicut etiam 1 Cor. 3, 4 «exprobrans et obiurgans ait: Nonne homines estis? Quid ergo eos fieri volebat, nisi quod in Psalmo (81, 6) dicitur: *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes?*» Ad hoc Deus vocat, sed subiungit opprobrium: «Vos autem *sicut homines* moriemini.» Vetus homo exuendus, novus induendus est. — n. 4: «Ut enim *non sis homo*, ad hoc vocatus es ab illo, qui propter te factus est homo... , ut sis inter eos, quibus dedit potestatem *filios Dei* fieri. Deus enim *deum te vult facere*, non natura, sicut est

ille, quem genuit, sed *dono suo et adoptione* . . . Veteres homines eratis; accessistis ad gratiam Dei, facti estis homines novi. Mendacium ad Adam pertinet, veritas ad Christum. Depo- nentes ergo mendacium, loquimini veritatem, ut et *caro* ista mortalis . . . praecedente novitate spiritus mereatur et ipsa *innovationem et commutationem* tempore resurrectionis suae ac sic *totus homo deificatus* inhaereat perpetuae atque incom- mutabili veritati. » — *De div. quaest.* 83 q. 67, 4 (ML 40, 67 s) : « nondum vocantur filii Dei, quia nondum crediderunt, sed *tantum creatura* ». — *In Ps* 49, 2 (ML 36, 565) : « Homines dixit deos, ex gratia sua *deificatos*, non de substantia sua natos . . . Si *filii Dei* facti sumus, et *dii* facti sumus; sed hoc *gratiae* est adoptantis, non *naturae generantis*. » — Cf. *Epist.* 140 *ad Honoratum* n. 9 ss de filiatione naturali et adoptiva. — *De perfectione iust.* 13, 31 : « Volunt remanere *filii hominum* et non esse *filii Dei*, cuius gratia homo fit bonus, ut faciat bonum. » — Utique S. Augustinus has ideas *vix adhibuit* ad complendam suam *de gratia doctrinam*. Quare Doctor gratiae *supplemento* indiget ex doctrina *Graecorum et Scholasticorum*, et hoc modo *theologi catholici* systema omni ex parte comple- tum excolere conati sunt (cf. n. 194). *Reformatores* autem et *Iansenistae* doctrinam S. Augustini nonnisi ex ea parte, ex qua *manca* remanserat, receperunt eamque *exaggerando* etiam amplius *in unam hanc partem* detruserunt¹.

282. IV. Theologi antiquissimi, ut S. Anselmus († 1109) et adhuc Guilelmus Parisiensis († 1249), *De causis, cur Deus homo* cap. 1—5, cum S. Augustino realem primi hominis statum vocant « naturalem ». — S. Bernardus († 1153), *De diligendo Deo* cap. 10, vim amoris deificantem pulchre describit. — Paulatim theologi coeperunt *reflexe* examinare, quae bona creatura rationalis qua imago Dei mere naturalis efficere vel exigere possit, quae vero eius vires et exigentias excedant. Comparando naturam creatam ad finem visionis intuitivae ex revelatione cognitum, explicite negarunt proportionem inter hunc finem et vires, opera, exigentias eiusdem naturae, atque docuerunt Deum, ut talis finis efficaciter appeti posset, addidisse dona supernaturalia, quae natura non exigeret et quibus ad ordinem divinum elevaretur. Sic Hugo a S. Victore, *De sacramentis* 1, 6, 17, ad merendum praemium supra naturam

¹ Cf. P. Rousselot († 1914), La grâce d'après s. Jean et s. Paul : RechScRel 18 (1928; Mélanges Grandmaison) 87—104.

requirit virtutem et motum supra naturam ex gratia¹. — Magister, *Sent.* 1. 2 d. 3, gratiam et virtutes angelorum ab eorum natura distinguit; d. 24: Per gratiam creationis Adam poterat stare, sed non sine alia gratia mereri salutem; poterat bene vivere quodam modo, sed non spiritualiter vivere, quo vitam mereretur aeternam; cf. d. 26 29. — **Alexander Halensis** multa de hac materia habet; v. g. *S. th.* 2 q. 91 m. 1 a. 3: «Quodam modo *generaliter* . . . omnia facta a Deo illi sunt accepta; *specialiore* modo et proprio creatura rationalis, in quantum est creatura huiusmodi; *specialissime* sive propriissime creatura rationalis, in quantum consecratur Deo, ut sit eius templum, adoptatur in filium et sumitur in sponsam. Haec autem sublimatio creaturae rationalis est *supra naturale complementum*, et ideo nec consecratio nec adoptio nec assumptio huiusmodi fit per aliquam proprietatem naturae, sed per *donum superadditum naturae*, consecrans animam, ut sit templum, assimilans Deo, ut sit filius sive filia, confoederans Deo sive uniens per conformitatem voluntatis, ut sit sponsa. Hoc autem fit a Deo mediante gratia gratum faciente.»² — **S. Bonaventura** (*In* 2 d. 29 a. 1 q. 1; cf. *Brevil.* 5, 1) eandem doctrinam de templo, filio, sponsa profert additque: «quae quidem conveniunt ei non secundum tropum aut transumptionem, sed secundum veritatem aut proprietatem.» Porro negat ex potentia oboedientiae oriri *exigentiam* creaturae. *In* 2 d. 18 a. 1 q. 2: «Haec [ubi est sola potentia oboedientiae, v. g. cum multi panes multiplicantur ex pane uno] fiunt secundum rationes causales, quas Deus servavit in sua voluntate, quia non fiunt secundum *exigentiam* creaturae, sed secundum *exigentiam* dispositionis aeternae.»

283. S. Thomas in omnibus operibus hanc supernaturalitatem gratiae et gloriae explicite docet. *In* 2 d. 26 q. 1 a. 3: Nullius operatio supra facultatem naturae operantis extenditur. Si extenditur, oportet, quod etiam natura quodammodo supra

¹ *Scheeben*, Dogm. II, n. 694: «Ueberhaupt scheint die Frage nach dem Unterschied und dem Verhältnis des Natürlichen zum Uebernatürlichen . . . seit Hugo ein Hauptthema der jungen Scholastik gewesen zu sein.» — Cf. A. *Landgraf*: Scholastik 4 (1929) 1ss.

² Minus bene rationem supernaturalis elevationis attingere videtur, quando 3 q. 61 m. 1 dicit: Quoniam super omnia debet diligere summum bonum, creatura autem rationalis de virtute sua non potest quidquam summe vel *plus quam se diligere*, «necesse est, quod detur ei donum, quo *elevetur* supra se». S. Thomas (1, 2 q. 109 a. 3) hanc rationem non nisi pro natura *corrupta* admittit et ex ea necessitatem gratiae *sanantis*, non *elevantis*, deducit.

se ipsam elevetur. Primum donum gratis infusum debet igitur ipsam essentiam animae *in quoddam divinum esse elevare*, ut idonea sit *ad divinas operationes*. Quare Dionysius ait: «Ille, qui non est adeptus divinum esse per spiritualem regenerationem, non potest participare divinas operationes.» — **De ver.** q. 6 a. 2: Si Deus libere vult aliquid facere, consequenter per modum *debiti* debet facere ea, sine quibus illud esse non possit, v. g. homini debet dare rationem. Sed secundum *meram liberalitatem* addere potest, sine quo esse possit. Sic ad naturam se habent gratia et gloria. — q. 8 a. 4 ad 13: «Aliquid est in potentia ad alterum dupliciter: Uno modo in potentia *naturali*, et sic intellectus creatus est in potentia ad omnia illa cognoscenda, quae suo lumine naturali manifestari possunt, et nihil horum angelus beatus ignorat; ex horum enim ignorantia remaneret intellectus angeli imperfectus. Quaedam vero potentia est *oboedientiae* tantum, sicut dicitur aliquid esse in potentia ad illa, quae supra naturam Deus in eo potest; et si talis potentia non reducitur in actum, non erit potentia imperfecta; et ideo intellectus angeli beati non est imperfectus, si non cognoscat omnia, quae Deus potest ei revelare.» — q. 14 a. 2: Est duplex hominis bonum ultimum; unum est proportionatum naturae: felicitas, de qua philosophi locuti sunt; aliud proportionem naturae excedens, quia ad ipsum *obtinendum, cogitandum, desiderandum* vires naturales non sufficiunt, sed ex sola divina liberalitate repromittitur (1 Cor. 2, 9). — q. 14 a. 10 ad 2: «Natura humana est ordinata in finem beatitudinis, non quasi in finem debitum homini secundum naturam eius, sed ex sola divina liberalitate. Et ideo non oportet, quod principia illius naturae sufficiant ad finem illum consequendum, nisi fuerint adiuta donis superadditis ex divina liberalitate.» — q. 22 a. 7: «Homini inditus est *appetitus ultimi finis sui in communi*, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, . . . non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, adiuta divina gratia, apprehendit aliquod *speciale* bonum ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc, quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod *non naturaliter appetit*, ut *visionem Dei*, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit.» — q. 27 a. 1 distinguit acceptionem, secundum quam Deus omnibus creaturis vult *bonum naturae*, et secundum quam vult alicui *bonum supernaturale*, quod est vita aeterna. Hac

vita dignus fit homo per gratiam supernaturalem. «Ex natura autem sua homo *non est dignus* tanto bono, cum sit supernaturalis.» — a. 2 analogiam principiorum vitae supernaturalis cum principiis vitae naturalis ostendit. In naturalibus distinguitur *natura* proportionata ad aliquem finem, *inclinatio* naturae in hunc finem per appetitum naturalem et *motus* in finem per operationem *virium* naturalium. Sic in naturali ordine non solum debet esse operatio supernaturalis per *virtutes* infusas et *inclinatio* affectus in finem supernaturalem per *caritatem* infusam, sed etiam «oportet, quod detur homini, ... per quod ipsa natura... elevetur ad quandam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens, et ad hoc datur *gratia*». — S. th. 1 q. 62 a. 1: «Sed super hanc felicitatem est alia felicitas, quam in futuro exspectamus, quia videbimus eum, sicuti est, quod quidem est supra cuiuslibet intellectus creati naturam.» — 1, 2 q. 62 a. 1 iterum de duplici beatitudine loquitur. — q. 111 a. 1 ad 2: Duplex est debitum, *ex merito* et *secundum condicionem naturae*. Dona naturalia carent priore debito. «Sed dona supernaturalia *utroque* debito carent, et ideo specialius sibi nomen gratiae vindicant.»¹ — q. 112 a. 1: «Donum gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit quam quaedam *participatio divinae naturae*, quae excedit omnem aliam naturam... Sic enim necesse est, quod solus Deus deficiet.» — q. 114 a. 2: «Vita autem aeterna est quoddam bonum *excedens proportionem* naturae creatae, quia etiam excedit *cognitionem et desiderium* eius secundum illud 1 Cor 2, 9.» — Cf. q. 110 a. 3.

284. Non esse debitum exigentiae quoad visionem Dei etiam elucet ex Aquinatis doctrina de statu puerorum in limbo. In 2 d. 33 q. 2 a. 2: Adultus potest se praeparare ad gratiam et hoc sensu est «proportionatus ad vitam aeternam consequendam»; hinc si eam amittit, maximus est dolor. Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad habendam vitam aeternam, «quia nec eis debebatur ex principiis naturae... nec actus proprios habere potuerunt..., et ideo *nihil omnino dolebunt* de carentia visionis divinae, immo *magis gaudebunt* de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate in perfectioni-

¹ Cf. 1 q. 21 a. 1 ad 3 de conceptu debiti et indebiti naturae: «In nomine debiti importatur quidam ordo *exigentiae vel necessitatis* alicuius, ad quod ordinatur... Debitum est alicui rei creatae, quod habeat id, quod ad ipsam ordinatur, sicut homini, quod habeat manus et quod ei alia animalia serviant.» De potentia oboedientiali secundum doctrinam S. Thomae v. n. 258.

bus naturalibus». — *De malo* q. 5 a. 3 probabilius iudicat has animas *nescire* se ad visionem Dei destinatas esse, sed « naturali cognitione non carent, qualis *debetur* animae separatae secundum suam naturam ».

285. Omnibus his perpensis manifestum est S. Thomam non solum proportionem *virtutis*, sed etiam debitum exigentiae excludere et tale desiderium naturale, quod, si non impletur, aliquam gignat *tristitiam*. Sed saepe loquitur de desiderio sive appetitu naturali *visionis beatificae*, v. g. *S. th.* 1 q. 12 a. 1; *Comp. th.* c. 103—106 et maxime in l. 3 **S. c. g.**, ubi ex desiderio naturali, quod *non possit esse inane*, fuse probat intellectum creatum posse pervenire ad videndum Deum. Immo cap. 50 dicit: « Non potest esse, quod in tali Dei cognitione [ex creaturis hausta] *quiescat* naturale desiderium substantiae separatae. » — Ad haec explicanda multa scripta sunt¹. Illud desiderium praeter absolutam possibilitatem sive capacitatem potest includere etiam summam convenientiam huius finis, qui naturae neque violentum neque indifferens quid, sed *summum bonum, summa perfectio* est. Fortasse S. Thomas rationibus saltem suadentibus *possibilitatem* huius finis, cuius realitatem fides docet, positive probare vult; sed asserto appetitu capacitatis et convenientiae nihilominus negat appetitum exigentiae.

286. Simile quid dicendum videtur de aliis theologis (extra scholam Augustinensium), licet verba nunc inusitata adhibeant;

¹ Inter alia: *Joach. Sestili*, In Summam theol. S. Thomae 1 q. 12 a. 1 (Neapoli 1896) 178 ss; *Al. v. Schmid*, Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie (1900) 182 ss; *A. Gardeil* O. P., art. « Appétit » in *DdTh* I (1903) 1692—1700; *H. Kirfel* C. SS. R., Das natürliche Verlangen nach der Anschauung Gottes (Divus Thomas [Wien] 1 [1914] 33—57; *R. Garrigou-Lagrange* O. P., De Revelatione I² [1921] 384 ss). — Ultimis annis: *R.-M. Martin* O. P., De potentia passiva hominis ad gratiam et de potentia oboedientiali (Ephem. Theol. Lovan. 1 [1924] 352—354); *G. de Broglie* S. J., De la place du surnaturel dans la philosophie de S. Thomas (RechScRel 1924, 193 ss 481 ss; 1925, 5 ss (cf. Archives de Philosophie 3, 2 [1925] 55 ss); *R. Mulard* O. P., Désir naturel de connaître et vision béatifique (RevScPhTh 14 [1925] 5 ss); *A. Gardeil* O. P., L'âme sujet récepteur de la grâce (RevThom 30 s [1925 s]); Le désir naturel de voir Dieu (ibid. 31 [1926] 381 ss; cf. 477 ss); *J. Stufler* S. J., in *ZkTh* 50 (1926) 326 ss, ubi recenset *K. Eschweiler*, Die zwei Wege der neueren Theologie (Augsburg 1926); *Ed. Brisbois* S. J., Désir naturel et vision de Dieu (NouvRevThéol 54 [1927] 81—97); *J. Sestili*, De natura Deo subiecta in ordine ad supernaturalia quid Augustinus, concinente Thoma, senserit (DivThom [Placentiae] 30 [1927] 57—93; *G. Laporta* O. S. B., Natur in Genade (Ons Geloof 12 [1926] 433—452); Les notions d'appétit naturel et de puissance obédientielle chez S. Tomas d'Aquin (Ephem. Theol. Lovan. 5 [1928] 257—277); *M. Cuervo* O. P., El deseo natural de ver a Dios y los fundamentos de la Apologética imanentista (incipit: La Ciencia Tomista 37 [1928 I] 310—340). — Plura de hac controversia v. *Scholastik* 1 (1926) 308 ss; 2 (1927) 301 ss 612 ss; 3 (1928) 614 s.

v. g. Scotus loquitur de potentia *naturali* quoad haec dona. V. AL. v. Schmid (Apologetik p. 187 ss) et De Broglie (RechScRel 1924 p. 485 ss), quomodo theologi de naturali appetitu beatitudinis, innato et elicito, disputaverint, et De Broglie, (l. c. p. 196 ss), quomodo S. Thomam intellexerint. Cf. etiam Suarez, *De ultimo fine* disp. 16; Scheeben II n. 712 930—934; Kleutgen (2. Aufl.) t. 5 n. 478—490. — Tota controversia veterum theologorum multo magis videtur esse de *verbis* quam de *re*. Recentiores autem ex parte non satis vitare videntur sententias Augustinensium vel etiam Baii.

Theologi nostram thesim *contra oppositos errores* defenderunt, v. g. Soto et B. Rob. Bellarminus contra Protestantas, Ripalda contra Baium, Dechamps, Tournely etc. contra Iansenistas, Kilber (Wirceb.) contra Rationalistas, Kleutgen, Scheeben, v. Schüzler contra Semirationalistas.

287. V. Ratio 1. non potest probare a) necessitatem ordinis supernaturalis; nam non est necessarius; — neque b) eius existentiam; nam ordo simpliciter supernaturalis transcendit omnem *experientiam* huius vitae; — probabilius neque c) *positive* probare eius **possibilitatem**; nam visio beatifica videtur esse *mysterium stricte dictum* (cf. P II prop. 13).

Haud pauci quidem theologi tam prisca quam moderni censent hanc probationem fieri posse; De Broglie (RechScRel 1924, p. 484 ss) pro hac sententia praeter S. Thomam affert inter alios Gregorium de Valentia, Vazquez, Granado, Franciscum de Sylvestris Ferrariensem, Dom. Soto, Ant. Perez O. S. B., Barth. de Medina, Ioannem a S. Thoma; e modernis Palmieri, Sestili, Ehrhard; Scotus, nonnulli Scotistae, Toletus potestatem huius probationis soli naturae humanae, in sensus demersae, non naturae angelicae denegant. Probationem aut ex desiderio naturali beatitudinis aut, quod fere in idem recidit, ex naturali indole spiritualium facultatum desumunt. Sic Palm., *De Deo elev.* th. 36, p. 305—308: Intelligentia et voluntas creaturarum sunt *subiective finitae*; quare non possunt consequi vel exigere quantamlibet perfectionem cognoscendi et volendi, atque quaedam huiusmodi perfectiones soli enti infinito sunt naturaliter propriae. Sed istae facultates etiam sunt *obiective infinitae*, sunt capaces omnis veri et omnis boni, dummodo ipsis rite proponatur. Atqui, si tamquam instrumenta virtutis divinae moventur, possunt sine dubio attingere actus maioris perfectionis, quam si ipsae ut causae principales agunt. Videntur igitur hoc modo ad possessionem eorum bonorum pervenire posse, quae secus a nulla creatura possunt attingi vel exigi, sive quae entis infiniti intelligentiae et voluntati sunt exclusive propriae. — Dicendum videtur: Intellegimus quidem spiritum creatum per facultates intellegendi et volendi esse capacem recipiendi a Deo, quidquid in tota amplitudine veri et boni *finito modo communicari* potest. Sed est et manet in quaestione, utrum bonum intellectuale *visionis Dei intuitivae* et correspondentia bona volitiva finito modo

a spiritu creato participari possint. Cum certitudine probare affirmantem partem huius quaestionis intellectus noster, suis relictus viribus, probabilius nequit (cf. P III n. 168; *Schiff.* n. 9; *Suarez* Metaph. quaest. disp. 30 sect. 11 n. 50; *Ehrhard*, *Le Surnaturel* 182ss).

288. 2. Ratio potest a) satis solvere obiectiones contra possibilitatem elevationis supernaturalis fieri solitas (v. *Palm.* p. 303—305). — b) Supposita possibilitate, quam simul cum existentia huius ordinis ex revelatione discit, potest ratio ostendere, quam conveniens sit, quantopere naturam perficiat et omnem appetitum omneque desiderium perfectissime impleat (v. *Scheeben* n. 712). — c) Supposito *fine* supernaturali divinitus praestituto ratio ostendit, quantopere deceat *Dei sapientiam*, ut hominem iam in statu viae iis instruat donis, quibus modo vere humano actibusque proportionatis istum finem appetat. «Tunc enim unaquaeque res optime disponitur, cum ad suum finem convenienter ordinatur» (*Thom.*, S. c. gent. 1, 1).

289. 3. Ratio theologica probat «*possibilem creaturam supernaturalem*», prout **Ripalda** eam concipit, aegerrime conciliari cum conceptu entis simpliciter supernaturalis, quem fontes exhibent. Filiatio divina, hereditas Dei, consortium divinae naturae non possunt ab ulla creatura exigi. Eiusmodi dona secundum Patres soli Filio unigenito et Spiritui Sancto *ψύσει* et *οὐσίᾳ* communicari possunt. Creaturae, praecise quia creaturae sunt, haec dona non nisi *κατὰ χάριν* et *ἔξωθεν τῆς οὐσίας*, participatione accidentali, recipiunt, idque ex mera Dei liberalitate, sine omni ipsarum exigentia. Idem est conceptus veterum theologorum; v. supra *Alexandrum* et *Bonaventuram*. *S. Thomas* saepius intellectum creatum eo modo opponit divino, ut pateat includi etiam omnem intellectum creabilem, v. g. *De ver.* q. 27 a. 2; *S. th.* 1 q. 12 a. 4 (v. n. 253); 1, 2 q. 112 a. 1. Auctoritas pro sententia negante, quae iam tempore Ripaldae ipso fatente permagna erat (v. n. 260 k), interim sane multum crevit, etiam iis, quae Pius IX et Vaticanum de participandis donis divinis dixerunt. — Porro argumenta a Rip. prolata rem non evincunt (cf. *Pesch* II n. 51). Urget imprimis: Quidquid perfectionis Deus *per duas entitates finitas*, per substantiam naturalem et accidens supernaturale, obtinere potest, hoc etiam potest *per unam entitatem*, substantiam nempe supernaturalem, quae se sola aequivaleat perfectioni ex substantia naturali simul cum accidente supernaturali resultanti. — At perfectiones supernaturales, de quibus hic agitur,

teste revelatione sunt eiusmodi, ut postulent esse aut accidentales, aut, si sunt substantiales, infinitae. *Filiatio* divina aut erit accidentalis et consequenter adoptiva aut, si per ipsam substantiam habetur, haec substantia erit filius Dei naturalis, consubstantialis Patri.

290. Corollarium. De merito, dispositione, impetratione.

Inter naturam creatam et dona ordinis divini est distantia infinita, quae a solo Deo pertransiri potest eo, quod ad creaturam misericorditer se demittit eamque ad participanda haec dona elevat. Creatura exigentiam gratiae, quam ex natura non habet, *nulla operatione naturali* inducere potest, neque per modum *meriti* neque per modum *dispositionis*. Nam actibus naturalibus, licet in suo genere optimi sint, neque ex iustitia neque ex decentia quidquam debetur, quod omnes exigentias creaturarum superet. Dispositio, quam creatura operibus honestis efficere potest, ordinem naturae non transcendit; quare non ordinatur nisi *ad finem naturalem*. Quominus actus naturales sint dispositio *negativa* ad supernaturalia, nihil obstat; nam exinde non importatur ulla exigentia. — Docente Ecclesia adversus *Baium* natura innocens sine gratia elevante nequit mereri *gloriam* (Dz 1002 1004—6 1011—15 1017). Ex eadem ratione nequit mereri *gratiam*.

291. Utrum orationi naturali aliquis valor impetratorius mere in actu primo adscribi possit, th. 7 nondum decisum est (v. n. 196 fin. 209). Si seposito omni valore meritorio et dispositivo oratio naturalis, appellando ad solam divinam liberalitatem et misericordiam, dona supernaturalia impetrare posset, per se *gratuitas gratiae non laederetur*, sicut elemosynae mendico petenti gratis dantur. Quare Ripalda et Palmieri, quod oratio naturalis de facto non impetrat gratiam, ex eo solo derivant, quod Deus statuerit se propter talem orationem non daturum dona supernaturalia, Van der Meersch (De div. grat. n. 167) autem ex indignitate speciali, quae nunc ex statu *peccati* accessit. — Sed melius in quocumque statu entitative naturali omnis valor impetratorius negatur. Nam ad talem valorem *aliqua saltem proportio* inter petentem et donum petitum requiritur. Si mendicus a divite *modicam elemosynam* humiliter petit, valor impetratorius non deest; si *ingentem* postulat *summam*, insolens petitio potius meretur repudiationem. Eo magis deesset omnis valor impetratorius ei

petitioni, qua homo mendicus et vilis a rege adoptari et heres regni constitui vellet, etiamsi antea non offendisset regem. Quod si fecisset, tali petitione utique magis ineptiret. Potest haberi valor impetratorius, quando *mortis reus* petit remissionem vel mitigationem poenae. — Quae si ad nostrum casum applicamus, dicendum erit: *In alio ordine* naturalis petitio peccatoris posset fortasse valere aliquid ad impetrandam a Deo *remissionem poenae aeternae*; saltem non est evidens tali petitioni omnem proportionem deesse. At rogare, ut Deus creaturam, sive peccatricem sive innocentem, *adoptet* in filiam; assumat in *sponsam*, reddat *consortem divinae naturae*, adeo est improporionatum conditioni creaturae essentialiter servae, ut iam ex ipsa indole petitionis nullus ei competat impetratorius valor. Quare Deus omnino *consentaneae ad naturam rerum* talem orationem non ita acceptat, ut propter eam conferat gratiam.

Thesis 10. Praeter gratiam habitualementiam actus salutare et eorum principia, habitus infusi virtutum et actualia gratiae auxilia, sunt entitative et simpliciter supernaturalia.

292. P 66—68. — Lah. 71—81. — Schiff. th. 12 13. — Ber. 66—68. — V. d. Meersch 242—248. — Franz Schmid, Die Uebernatürlichkeit der menschlichen Heilsakte (ZkTh 12 [1888] 263—289 419—459).

St. qu. 1. Nexus. Ex th. 9 constat aliqua dona viae esse entitative et simpliciter supernaturalia. Nunc inquiritur, quaeenam haec sint.

293. 2. **Sensus.** Praeter gratiam habitualement sive sanctificantem, quae speciali probatione non indiget — est enim causa formalis consortii divinae naturae, filiationis adoptivae etc. (th. 14 15) et ultima radix totius vitae supernaturalis; alia vero dona eatenus sunt supernaturalia, quatenus ordinem ad ipsam habent (cf. Rip. disp. 4); — etiam actus salutare, i. e. positive promoventes salutem animae, sive ut de condigno meritorii gloriae sive ut disponentes ad iustificationem (cf. n. 34); — et eorum principia; supernaturalia enim principia secundum th. 1 2 8 ad omnem actum salutarem sunt absolute necessaria, idque secundum n. 188 ad superiores vires physicas conferendas. Haec autem principia sunt duplicis generis, uti postea probabitur (th. 13 et 18): habitus operativi virtutum,

imprimis theologiarum, infusi idque per se, i. e. qui nullo modo naturaliter acquiri, sed sola divina infusione haberi possunt, — et actualia gratiae auxilia, quae consistunt in aliquo transeunte influxu Dei supernaturali in animam superiorem sive in aliqua transeunte illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis. Discussionem ulteriorem de numero et natura horum auxiliorum habitualium et actualium interim transmissa (v. th. 13 18 19 cum scholiis) asserimus: Quidquid superioribus animae facultatibus tamquam immediatum principium habituale vel actuale actuum salutarium divinitus confertur, est entitative et simpliciter supernaturale sicut ipsi actus salutes et gratia sanctificans (ac tandem etiam sicut actus visionis facialis et lumen gloriae). — In thesi maxime attendimus ad *actus salutes*, de quibus potissimum agebatur controversia. Occasione data necessaria de *habitibus et gratia actuali* adduntur. Facile enim constabit de supernaturalitate *causae*, ubi primum supernaturalitas *effectus* probata fuerit.

Quid sit supernaturale entitative et simpliciter, ex n. 255 s et ex tota th. 9 iam constat. Sed specialia quaedam de supernaturalitate alicuius *actus vitalis* praemonenda sunt. Actus intellectivus et volitivus est accidens quoddam spirituale animae, quo aliquid obiectum cognoscitur vel cognitum appetitur. Hinc eius proprietates considerari possunt tam ex parte *subiectiva*, prout actus est aliquid absolutum ens physicum, quod ut accidens potentiae animae tamquam suo subiecto inhaeret, quam ex parte *obiectiva*, prout simul est ens relativum, quod versatur circa aliquid obiectum tamquam terminum sive cognitionis sive volitionis et ab eodem obiecto determinatur. Quare etiam *supernaturalitas* actus sive eius transcendentia super vires et exigentias naturales per se potest esse a) ex parte *subiectiva* actus, b) ex parte *obiectiva*, c) ex *utraque* parte. Similiter etiam magis vel minus perfectum esse potest a) id, ex quo aliqua statua effecta est (marmor, aurum), b) id, quod repraesentat, et ratio, sub qua illud repraesentat. In *thesi* maxime attendimus ad supernaturalitatem ex parte subiecti, et in *scholio* examinamus, quid de obiecto supernaturali tenendum sit.

294. 3. Sententiae. a) «Theologi ante Tridentini aetatem propositam quaestionem vix unquam agitarunt» (*Ber.* n. 66). «Mens antiquorum theologorum in re praesenti non est omnino aperta. Negasse seu *ignorasse* videntur actus intrin-

sece supernaturales *Guilelmus Parisiensis*, ... *Durandus*, ... *Okamus* ...» etc. (*Ripalda* disp. 44 s. 1). Quare caute accipiendi sunt longi catalogi patronorum et adversariorum huius doctrinae, quos *Suarez* (l. 2 cap. 4 5), *Rip.*, *Lah.* (n. 75) conficiunt. — Dicitur potest: Nonnulli, imprimis S. Thomas et Thomistae, de anima cum suis potentiis et operationibus ad ordinem divinum elevata ita loquuntur, ut ex dictis sponte fluat *entitativa* supernaturalitas habituum et actuum (saltem quatenus caritate formantur). Alii vero, praesertim Scotistae et Occamistae, sed etiam nonnulli Thomistae, supernaturalitatem actuum salutarium eo modo quaesierunt in aliqua *accidentali actus modalitate*, ut substantialem eius elevationem ignorasse et saltem virtualiter negasse videantur. Habitus infusi secundum hos auctores dant maiorem intensitatem, facilitatem, promptitudinem, delectabilitatem, acceptabilitatem, durationem, discretionem etc. Audiatur *Did. Deza* Hispalensis, egregius thomista († 1523), qui *In 2* d. 28 q. 1 a. 4 argumenta *Durandi* contra necessitatem habitus infusi et supernaturalis illustrationis ad credendas veritates supernaturales solvit distinguendo: Assentire possumus *qualicumque assensu*, sed non *perfecte*. « Perfecte autem assentire est *firmiter et faciliter ac delectabiliter et discrete* assentire; et isto modo *S. Thomas* intellexit, ubi allegatus est pro conclusione et ubicumque de ea re loquitur. » Provocat ad *Thomam*, *In 3* d. 23 q. 3 a. 3 qc. 2; *S. th.* 2, 2 q. 5 a. 3; *De ver.* q. 14 a. 10 ad 10. Eadem fere de habitu fidei dicit *Capreolus*, *Defens. theol.*, *In 2* d. 28 q. 1 a. 3 § 1 ad arg. *Durandi* contra 1^{am} conclus., et *In 3* d. 24 q. 1 a. 3 § 2 ad arg. *Scoti* contra 2^{am} conclus.

b) Post Tridentinum theologi accuratius supernaturalitatem omnium donorum infusorum et omnium actuum salutarium considerare coeperunt. Abhinc Thomistae supernaturalitatem quoad substantiam valde urgebant eamque imprimis *ex obiecto formali* actuum specificè diverso repetebant. Secutus est *Suarez* cum aliis Iesuitis. — *Vazquez* admisit actus quosdam vere salutes et remote disponentes ad iustificationem, entitative tamen naturales (v. n. 120 et 131). — *Molina*, *Ripalda*, *Lugo*, *Granado*, *Oviedo*, *Viva* et alii, maxime e S. J., *negabant* actus supernaturales a correspondentibus actibus naturalibus *obiecto formali* vel motivo obiectivo *distingui*; quare a Thomistis inde a *Thoma de Lemos* in Congregationibus de Auxiliis usque ad nostra tempora traducuntur, quasi cum Scotistis et Nominalibus supernaturale

modale tantum docuerint¹. Revera omnes hi auctores entitativam actuum salutarium supernaturalitatem clarissime docent, sed eam ex *subiectiva* parte actuum derivant.

295. Quam iniuste v. g. **Molina** adversariis actus quoad substantiam supernaturalis adnumeretur, facile patebit legenti *Conc. q. 14 a. 13 disp. 38* (ed. Antverp. 1595 p. 152 ss; Paris. 1876 p. 211 ss). Comparat assensum supernaturalem fidei infusae cum assensu naturali in idem obiectum ex eodem motivo. « Hinc constat rationem distinctionis unius illorum actuum ab alio et commensurationis unius fini supernaturali et non alterius tandem reduci ad influxum supernaturalem Dei, quo Deus assensum nostrum, qui alioquin futurus fuisset circa idem obiectum naturalis, ... evehit ad esse supernaturale alterius speciei ab assensu Lutherani et ab assensu, qui circa idem obiectum futurus erat in nobis, nisi Deus ita supernaturaliter nobiscum influeret » (153 b; 213). « Illud deinde est observandum, ut supra in hoc opere *non semel dictum* est atque in sequentibus *repetemus*, in actibus fidei, spei et caritatis supernaturalibus non dari aliquid re aut formaliter distinctum, quod tamquam pars actus, etiam metaphysica, dicatur ac sit influxus Dei, neque item ibi dari *aliquid*, quod sit *naturale*, et *aliquid*, quod sit *supernaturale*, sed totum actum esse supernaturalem quoad genus et differentiam, tametsi genus per accidens supernaturale, quia coniunctum in ea specie cum differentia speciei supernaturalis... Itaque actus totus est supernaturalis... Actio tamen illa, sicut ab influxu voluntatis nostrae habet, quod sit libera, et non ab influxu habitus supernaturalis, qui ad illam concurrat, ita *ab influxu habitus supernaturalis* habet, quod sit supernaturalis atque alterius speciei, ac esset, si nulla causa supernaturalis ad eam concurreret, et non ab influxu nostro » (155 a; 215). Prorsus aliud dicendum est de actibus habituum per accidens infusorum, « quales fuerunt habitus scientiarum rerum naturalium a Deo primis parentibus infusi. Quia enim naturales in se sunt atque eiusdem virtutis et efficaciae cum acquisitis solumque sunt supernaturales per accidens quoad modum, quo producti ac infusi sunt, utique non maiorem diversitatem efficiunt in actu, ad quem concurrunt, quam si fuissent acquisiti » (158 a; 219). Ad *obiectionem*: « non sufficere, ut actus illi specie distinguantur, si unus eorum ab extrinseco ratione particularis influxus sit supernaturalis, alter vero, ad cuius productionem non concurrat talis influxus, non sit supernaturalis, dicendum est: Si actus ille prior ex tali influxu solum sit supernaturalis *quoad modum* pro-

¹ Reg. Garrigou-Lagrange O. P. in *Rev. Thom.* 23 (1918) 292: « Ils tendent à réduire l'acte surnaturel de la foi à une connaissance rationnelle... revêtue d'une *modalité surnaturelle*, qui fait penser à la lame d'or appliquée sur le cuivre pour faire du doublé »; p. 296 loquitur iuxta Lemos de « *surnaturel plaqué* ». Cf. 21 (1913) 324; 22 (1914) 21 ss. Secundum P. Rousselot S. J. ipse A. Gardeil O. P. conservavit aliquem « *morceau de scotisme* »; v. *RechScRel* 4 (1913) 33.

ducendi, non vero *quoad naturam* ipsam actus producti, quemadmodum visus caeco nato a Christo restitutus supernaturalis erat solum *quoad modum* producendi et non *quoad rem* productam, quia eiusdem rationis atque speciei erat cum aliis, qui naturaliter in aliis producebantur hominibus, id quidem est verum; ceterum longe aliter rem habere in re, de qua disputamus. Ut enim explanatum est, actus ille prior supernaturalis est ex illo influxu *quoad rem ipsam productam* alteriusque superioris naturae et speciei ab actu dilectionis, quem vires omnes naturales producere valent » (159 b; 221 s). « Si sint duo actus de eodem obiecto elicitii ab eadem potentia, quorum unus naturalis illi sit, alter vero supernaturalis, non ratione modi producendi, sed quia est eminentioris naturae ac essentiae, actus illos esse distinctos specie eminentiamque ac distinctionem superioris ab inferiori provenire efficienter ac radicaliter ex influxu causae superioris, quae ad eum actum adiuvat potentiam, comparatione cuius is actus est supernaturalis » (160 b; 222). Eadem est doctrina aliis locis, v. g. disp. 7 (p. 24 b; 34); disp. 14 membr. 1 (44 b; 61). Clarius et expressius supernaturalitas mere modalis reici vix potest. — Eadem claritate **Ripalda** (disp. 44 sect. 3—8) entitativam et essentialem supernaturalitatem actuum salutarium docet, licet (sect. 9—11) quaedam sat mira de entitativa supernaturalitate *sensationum* quarundam addat¹. — Iam reiecitimus th. 9 attenuationem conceptus entis *simpliciter* supernaturalis a Molina et Ripalda tentatam.

¹ Unicum argumentum, quo Garrigou-Lagrange tot Molinistas adhaerere doctrinae supernaturalitatis modalis ostendere conatur, est hoc: « *Actus specificantur ab obiecto*. Ergo qui negat obiectum supernaturale, negat specificam differentiam actus supernaturalis a naturali. » Iure conqueritur H. Pinard S. J. adversus *Gardeil et Garrigou-Lagrange* (*RechScRel* 4 [1913] 449): « Le surnaturel quoad substantiam que reconnaissent les théologiens de la Compagnie de Jésus divinise l'acte humain jusque dans sa racine. N'importe; c'est là une conception » minimiste « et suspecte de rationalisme »; et ibid. in nota: « N'est-ce donc rien, qu'une spécification ontologique qui transporte l'acte dans l'ordre divin? » Monet (p. 448) magnam confusionem ex eo oriri, quod distinctio « *quoad substantiam* » et « *quoad modum* » et in ordine logico et in ordine ontologico intellegi possit (cf. P 66—68). Substantia actus in sua specie logica considerati constituitur essentiali in obiectum proprium tendentia, et quidquid hanc non mutat, concipitur ut actui accidentale et modale. Quare actus supernaturalis et naturalis, v. g. fidei, *eadem definitione essentiali* exhibentur; supernaturalitas vero et naturalitas ad instar modi accidentalis concipi possunt. Notissima est distinctio impletionis praeceptorum « *quoad substantiam* » et « *quoad modum* » apud veteres Scholasticos (cf. th. 5). Sed si sensu ontologico sive physico de supernaturalitate actuum salutarium agitur, omnes omnino Iesuitae (exceptis *Vazquez* et *Schiffini* quoad actus remote disponentes) actus salutes secundum totam suam substantiam intrinsecus esse supra naturam elevatos contendunt. Eiusmodi esse doctrinam Molinae *Suarez*, qui in quaestione obiecti supernaturalis est eius adversarius, ingenue concedit (*De fide* disp. 9 s. 2 n. 29; *De grat.* l. 2 d. 9 c. 5 n. 1 s).

296. 4. Qualificatio. Quoad *actus salubres* et *gratiam actualem*: sententia communis et tam certa, ut sine aliqua temeritate negari non posse videatur. — Quoad *habitus* per se infusos: saltem aequae certa. — Quoad *caritatem* infusam: non minus certa videtur quam quoad gratiam sanctificantem, i. e. saltem theologicæ certa.

Secundum Suarez (l. 2 c. 5 n. 2) Thomistae quidam (*Cano, Soto, Zumel, Medina, Alvarez*) in qualificanda thesi *exaggerant*. Theologi Societatis Jesu *moderatus* loquuntur. Franc. Torres putat hanc doctrinam a theologis *probabili* tantum discursu e fontibus deduci. Hoc Ripaldaë parum videtur (disp. 44 sect. 7 n. 45). Plerique cum Suarez et Lugo eam habent sententiam «*veram et communem*». Oppositam opinionem, praesertim si restringitur ad actus quosdam salubres ante fidem proprie dictam, non audent censurare (v. *Pinard, RechScRel* 1913, 448 s). — Interim sane certitudo thesisi *ex auctoritate omnium moraliter theologorum recentiorum* haud parum aucta est. Tamen Lahousse (n. 75 fin.) censet quaestionem *libere disputari* inter catholicos, etsi ipso iudice implicite in doctrina Patrum et conciliorum contineatur. Schiffini (th. 12 s) cum Vazquez admittit quaedam auxilia gratiae interioris et salutaris, quae supernaturalia tantum sint quoad modum; actus proprios virtutum infusarum et correspondentia auxilia gratiae interioris dicit *probabiliter* esse entitative et quoad speciem supernaturalia. Franc. Schmid (l. c. p. 268 et 278) contrarias sententias supernaturalitatis extrinsecae et intrinsecae mere modalis tamquam *certo falsas* reicit, sed ne de priore quidem forma diiudicare vult, an *censuram theologicam* mereatur.

297. Prob. Arg. I. Ex modo, quo fontes de absoluta necessitate gratiae ad actus salubres loquuntur. Hoc modo loquendi excluditur omnis supernaturalitas mere modalis, et quidem

1. ea, quae spectat ad modum actui extrinsecum, quo is a Deo et homine producitur vel a Deo acceptatur. Sic actus salutaris, prout physice in homine existit, non esset diversus ab alio actu non salutari et a solo homine producto. Uterque actus haberet eandem physicam perfectionem internam tam substantialem quam accidentalem; sed Deus unum actum prae altero ad salutem hominis acceptaret, sive *ex solo suo gratuito beneplacito*, sive quia *persona operans* aliqua supernaturali dignitate, in actum *moraliter* redundante gaudet (qua iusta, fidelis etc.), sive quia *Deus* indebito auxilio concurrens est *speciali modo principium efficiens* talis actus. Atqui haec omnia non satisfaciunt modo loquendi fontium. Nam secundum fontes credere, velle agere etc., sicut oportet, *non valemus* nisi per infusionem et inspirationem S. Spiritus (*Araus. can.* 6 [Dz 179]); ad ali-

quod bonum salutare cogitandum, eligendum etc. naturae *deest vigor*, illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti conferendus (*Araus. can. 7* [Dz 180]); Christus in iustificatos tamquam caput in membra et vitis in palmites iugiter *virtutem* influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent (*Tridentinum* s. 6 cap. 16 [Dz 809]). Ergo gratia in actus salutares eum exercet *influxum efficientem*, quo hi actus tales redduntur, quales ex naturae viribus esse non possent. Obvio verborum sensui minime satisfaceret explicatio: Deus actus ex gratia factos propter hanc originem supernaturalem vel propter aliquam dignitatem personae agentis inde provenientem *aliter acceptat* quam actus aequae perfectos, sed a solo homine naturaliter elicitos. Potius dicuntur hi actus in fontibus per vigorem physicum naturae viribus superadditum evadere *physice perfectiores*, quam sine tali auxilio gratuito fieri possent. — Ceterum satis arbitrarium et irrationale esset, si Deus aliquem actum ad praemium supernaturale praecise ex hac ratione acceptaret, quod homo, quamvis eundem prorsus actum solus efficere posset, eum reapse a Deo specialiter adiutus fecisset. — *Mera dignificatio moralis* operum per gratiam Christi sive per baptismum S. Augustino et conciliis antiquis non satis erat; eam Pelagiani concedebant; cf. *Pelagii epist. ad Demetriadem* cap. 19 (ML 33, 111s); *Caelestius* (eius doctrinam ex variis testimoniis S. Augustini collectam v. P 81 init.); *Julianus Aecian.* (*August., Opus imperf.* 3, 106s). — Etiam S. Scriptura, quando docet nos solos ad cogitationem salutarem non esse idoneos (2 Cor 3, 5), Deum in nobis operari velle et operari (Phil 2, 13), nos relate ad haec opera esse quasi mortuos (Eph 2, 1—10; cf. n. 41—43), insinuat auxilio divino actus fieri intrinsecus perfectiores, quam sola natura eos efficere valeat. — Cf. etiam *schema Vaticano propositum*, De doctr. cath. cap. 18 et *schema reform.* cap. 5 n. 4 (CL 7, 518 563s).

298. 2. Item excluditur merus modus accidentalis, actui in facto esse internus. Id, quod gratia actui salutari addit, iuxta fontes est aliquid, quod *nulla vi naturali et nullo adiumento mere extrinseco* obtineri potest. Nam ut actus credendi, diligendi etc. sint, sicut oportet ad salutem consequendam, *absolute* necessaria declaratur interna illuminatio et inspiratio S. Spiritus (*Arausicanum* can. 6s; *Tridentinum* s. 6 can. 3; *Vaticanum* s. 3 cap. 3; cf. th. 1 et 2). Tam absoluta necessitas inter-

nae gratiae non intellexeretur, si mera accidentalis quaedam perfectio actus, quoad substantiam etiam naturaliter possibilis, auxilio gratiae procuranda esset. Cur enim natura requisitam intensionem, facilitatem, promptitudinem, delectabilitatem, suavitatem, firmitatem, durationem etc. nunquam solis suis viribus agendo vel auxilio externo tantum adiuta attingeret? Constat tamen aliunde a) actibus saepe repetitis et habitibus exinde acquisitis istas actuum dotes in infinitum fere augeri posse et b) non requiri ad salutes actus determinatam adeoque magnam intensitatem, durationem, delectabilitatem (quoad contritionem v. B. *Francolini* S. J., De dolore ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum necessario, l. 2 [Romae 1706]). Numquid martyrium non potest esse salutare, nisi cum interna delectabilitate subitur?

299. Si fontes primo aspectu aliquem modum innuere videntur (« sicut oportet », « ut expedit »; S. Spiritus dat « suavitatem » in consentiendo et credendo; cf. *Araus.* can. 6 s; *Vat.* s. 3 cap. 3), ad explicationem dicendum est: a) Logice supernaturalitatem tamquam modum substantiae actus superadditum concipere possumus (v. notam ad n. 295). — b) Mysterium elevationis supernaturalis talibus verbis humanis metaphoricis et analogis vel certe insufficientibus exprimitur. — c) Iidem fontes innuunt actus naturales ideo non esse sicut oportet, quia non attingant ordinem divinum. Sic *S. Augustinus* (*C.* 2 *ep. Pel.* 4, 6, 13): « In omnibus, quae quisque agit *secundum Deum*, misericordia eius praevenit eum »; et *Bonifacius II* in *Epist. confirmante conc. Araus.* n. 2 (*Dz* ed. 16 n. 3039; *ML* 45, 1791): « nihil esse prorsus *secundum Deum* boni, quod sine Dei quis gratia aut velle aut incipere aut perficere possit ».

300. Arg. II. Ex consideratione variarum classium actuum salutarium.

1. Actus meritorii iustorum. a) Saltem in his actibus habetur inchoatio vitae gloriosae per fidem et cognitionem Patris et Filii, per participationem lucis divinae, per caritatem nunquam excidentem (v. n. 270). — b) Hi actus de condigno merentur visionem facialem, et quidem secundum fontes non unice, quia ex persona agente moraliter dignificantur, sed simul, quia Christus iustis intime coniunctus iisdem *virtutem* influit, quae eorum bona opera antecedit et comitatur et subsequitur (*Tridentinum* s. 6 cap. 16; cf. arg. I 1). Atqui inter meritum de condigno et praemium est *stricta proportio*. Quae cum ex ratione modo allata in nostro casu *non sit mere moralis et iuridica*, concludendum est actus meritorios etiam in

ordine *physico* esse eius perfectionis, ut interno valore adaequant visionem beatificam. — c) Gratia sanctificans, quae ipsa sine dubio est entitative et simpliciter supernaturalis, his actibus, tamquam ultimum vitae supernaturalis principium quo, propriam supernaturalitatem communicat. Nam ipsa formaliter efficit aliquam regenerationem, renovationem, novam creationem hominis, eamque ordinis non mere moralis, sed *etiam physici*, et sic est ultimum physicum principium quo istius novae vitae supernaturalis (v. th. 13). Operationes igitur vitales, quae ex hoc principio vitali procedunt, sine dubio versantur in eodem ordine entitativae perfectionis atque ipsum principium vitale, i. e. in ordine simpliciter supernaturali et divino. — Patres ita explicant consortium divinae naturae et inhabitationem S. Spiritus, ut ex deificatione naturae sequantur divina quoque opera; cf. th. 9 *Cyr. Alex. et Aug.* (n. 276 cum nota et 280 s); item Thomas sequens *Areopagitam*: *Essentia animae in quoddam esse divinum elevatur, ut idonea sit ad divinas operationes. Natura, affectus et opera elevanda sunt, ut finis supernaturalis sit competens, appetibilis et attingibilis* (cf. n. 283 *In 2 et De ver.* q. 27 a. 2).

301. 2. Omnes actus, qui ex habitibus per se infusis procedunt¹. Certo virtutes theologicae sunt habitus per se infusi (th. 13). Sunt autem habitus *proxime operativi*, i. e. directe tendunt in producendos actus. Atqui nulla ratio excogitari potest, cur tales habitus divinitus infundantur et ex parte etiam amissa gratia sanctificante informes conserventur (th. 17), nisi haec, ut inserviant eliciendis actibus entitative supernaturalibus. Ergo et actus ope horum habituum producti et ipsi habitus tamquam causae supernaturalitatis actuum sunt entitative supernaturales. — Prob. min. (cf. arg. I). Mera *divina acceptatio* infusionem habitus non rationabiliter ut condicionem praerequireret. *Dignitas moralis* potius provenit ex habitu entitativo gratiae sanctificantis. Certa *intensitas, duratio* etc. non exigitur et, si exigeretur, alia via comparari posset (cf. n. 298). *Difficultas mere moralis* actus saepe non est tanta, ut non possit potentia naturali vel habitu sive acquisito sive per accidens infuso superari. Insuper theologi docent eosdem habitus etiam angelis et primis paren-

¹ Est unicum argumentum, quod Schiffini (n. 146) ut efficax admittit.

tibus fuisse infusos (P III 183s 392 fin.). Ergo unica explicatio rationi conformis est: Infunduntur habitus entitative supernaturales, *ut actus elevati connaturaliter procedant ex permanentibus principiis elevatis*. Nam hi actus sunt *effectus univoci habituum infusorum*. — Habitus infusos sua entitate pertinere ad ordinem *essentialiter eiusdem perfectionis physicae*, cuius est gratia sanctificans, etiam elucet ex modo, quo *Tridentinum* s. 6 cap. 7 (Dz 799s) eos arcte cum eadem gratia coniungit, et quo *Vaticanum* s. 3 cap. 3 (Dz 1791; cf. *Tridentinum* s. 6 cap. 15 [Dz 808]) habitum fidei, licet commisso peccato mortali a gratia sanctificante separatum, tamquam donum supernaturale agnoscit¹. — Habitus autem caritatis certo est aequae supernaturalis ac gratia sanctificans; nam secundum multos theologos cum eadem est *realiter identicus*, secundum alios, ut S. Thomam (S. th. 1, 2 q. 114 a. 4), gratia est principium meriti *principaliter per caritatem*.

302. 3. Actus dispositivi, qui ex sola gratia actuali procedunt.

a) In hoc casu gratia actualis secundum recentiores theologos transeunter supplet, quod secus ab habitibus praestatur. Certe actus supernaturales fidei et spei, qui fiunt ab homine habitibus infusis carente, non minus *positive disponent* ad iustificationem, quam iidem actus in aliquo peccatore, qui habitus istos servavit. Ergo etiam actus salutares ex sola gratia actuali procedentes sunt entitative supernaturales. — b) Etiam pro his actibus et pro primo initio fidei gratia aliqua interna, illuminatio scil. et inspiratio S. Spiritus, est secundum fontes absolute necessaria (th. 1 2 8) et confert vires physicas (n. 188). Atqui hoc non potest aliter explicari, nisi eo, quod agitur de actibus *entitative supernaturalibus* producendis (cf. arg. I). Ergo etiam hi actus salutares et eorum principium gratuitum, i. e. gratia actualis illuminationis et inspirationis internae, sunt entitative supernaturales. — c) Cum agatur de forma simpliciter supernaturali inducenda, quidquid non pertinet ad eundem ordinem divinum, nequit

¹ Schmid p. 269 ita argumentatur: «Zur vollen Ausstattung der Gotteskindschaft gehören neben der heiligmachenden Gnade immer auch die eingegossenen Tugenden. Wie nun diese Tugenden zugestandenermassen auf der einen Seite mit der heiligmachenden Gnade auf der gleichen Höhe stehen, so sind sie andererseits ihrer Natur nach wesentlich zu einer entsprechenden Tätigkeit hingebordnet. Ist man da, so fragen wir, nicht geradezu gezwungen, wenigstens den aus diesen Tugenden hervorgehenden Heilsakten ein höheres physisches Sein zuzuschreiben?»

habere rationem *positivae dispositionis* ad hanc formam, secundum principium iam ab Aegidio Rom. enuntiatum: «Talis requiritur dispositio patientis, qualis est actus receptus et qualis est perfectio impressa» (n. 225 fin.)¹ Atqui isti actus positive disponunt ad iustificationem (*Tridentinum* s. 6 cap. 6 [Dz 798]). Ergo sunt entitatis simpliciter supernaturalis.

Ex eo, quod actus disponentes sunt entitative et simpliciter supernaturales sicut gratia sanctificans, tamen non sequitur eos de condigno hanc gratiam mereri. Nam ad tale meritum insuper requiritur, ut persona operans sit proportionata praemio. Sed quamdiu homo est inimicus Dei, hanc proportionem minime habet. Potest autem homo, quamvis simpliciter, i. e. qua tota persona, sit obiectum divini odii, tamen secundum quid, i. e. secundum aliquem actum vel habitum informem, Deo esse *supernaturaliter gratus et acceptus*. Quare status peccati non est obstaculum actus vel operativi habitus entitative supernaturalis.

303. Arg. III. Ex auctoritate theologorum, qui iam per complura saecula unanimitate morali hanc thesim docent, et quidem plerique tamquam moraliter certam; nonnulli etiam opinionem negantem censuris theologicis notant (cf. n. 294—296).

Scholium. De obiecto formali supernaturali.

304. Scripta de hac quaestione v. apud *Em. David*, De obiecto formali actus salutis (Bonnae 1913) p. VI ss. Praeterea *Reg. Garrigou-Lagrange*, De revelatione I² (1921) et comment. in *Rev Thom* 1913 ss. — *Henri Pinard* S. J. in *RechScRel* 1913, 443 ss.

I. De qua re agatur. Quaestio valde obscura reddita est eo, quod termini *obiecti formalis, motivi* etc. cum suis subdivisionibus tam varie exponuntur, «ut vix duos inter se per omnia consentientes invenias» (*Lossada* apud *Schiff*. n. 207). Si cum *Ripalda* (disp. 45 n. 37—40) et aliis multae divisiones statuuntur, sine dubio inveniri potest aliqua «ratio sub qua» sive «ratio attingibilitatis obiecti», quae actui supernaturali prae naturali sit propria. Talis autem non est pure obiectiva, sed potius ex actu in obiectum quasi proicitur. Sic quidam adversarii obiecti formalis supernaturalis tamen interdum ita loquuntur, ut patronis adnumerandi appareant. Ipse *Molina*

¹ Hanc necessitatem a theologis antetridentinis generatim non satis cognitam esse antea vidimus. Thomas iunior, *In* 2 d. 28 q. 1 a. 4, contradictorium huius principii affirmat (n. 219). Bonaventurae ad dispositionem sufficit «gratia gratis data», quae «tenet quasi medium» (n. 218).

(*Conc. q. 14 a. 13 disp. 38* [Antv. p. 156 a; Par. p. 216]) docet ex diversitate in principiis efficientibus seu cooperantibus resultare diversas «rationes sub quibus» in obiectis, in ordine ad quas actus intrinsece distinguantur specie¹. — Nunc non agitur de illa quaestione magis practica, quam P 69 vocat moralem, an Deus decreverit se supernaturali gratia non elevaturum esse nisi eos actus, qui procedant ex aliquo *motivo supernaturali*, i. e. ex revelatione supernaturali hausto. De hac quaestione solet tractari inter *condiciones meriti* (n. 724—727). Praesens quaestio est metaphysica; inquit enim, utrum entitativa et specifica differentia actus supernaturalis ab actu naturali necessario exigit aliquod *specificum obiectum formale*, quod in nullo actu naturali attingatur, et praesertim aliquod *motivum obiectivum*, quod in nullo actu naturali pro motivo sumi possit. Quaeritur, «utrum obiectum, quod actus salutaris cognoscat vel appetat, sit eiusdem supernaturalitatis, cuius sit ipse actus salutaris» (*David* p. 7). Hoc affirmant Thomistae, v. g. *Salmanticenses* (t. 9 tr. 14 disp. 3 dub. 3, praes. n. 40 ss) et *Garrigou-Lagrange* (v. g. *De revel.* I p. 451 501; *Rev Thom* 1918, 310 s), atque Suarez (l. 2 cap. 11 n. 1)².

¹ Schiffini (n. 207) monet, ut bene distinguantur notiones *obiecti*, quod est terminus, et *motivi*, quod est principium actus qua causa efficiens moralis. Obiectum formale sive *ratio formalis obiecti* est res considerata in ea ratione tantum, secundum quam habet, ut a tali potentia, habitu vel operatione sit attingibilis. *Motivum obiectivum* movet ut quoddam apprehensum (in oppositione ad *motivum formale*, quod movet informando potentiam tamquam principium ut quo). Negat igitur Schiff. (th. 20) *formalem rationem obiecti* posse esse eandem in actu supernaturali et naturali, sed admittit idem utriusque actus *motivum obiectivum*. Quare *David* (p. 54) iure dicit eum quoad rem defendere sententiam negantem. Sed idem dicere debuit de Pesch, qui (n. 69—71) praesertim iis, quae in ed. 4 de libro doctoris *David* addidit, clare ostendit se non admittere obiectum supernaturale sensu Thomistarum. Verbis asserendo obiectum formale supernaturale vix plus videtur dicere quam hoc: Actus supernaturalis, positive promovendo hominem ad finem supernaturalem, *praestat aliquid* quod nullus actus naturalis praestare potest, et hoc sensu «attingit obiectum supernaturale». Ceterum tota *analysis fidei* Christiani Pesch adversatur doctrinae, quae affirmat obiectum supernaturale.

² Doctrinam suorum adversariorum Suarez sic enuntiat: «Contendunt posse hominem assentiri rebus revelatis sufficienter propositis per vires suas sine auxilio gratiae sub eadem ratione formali obiecti et ex eodem motivo, ex quo credimus per gratiam et per christianam fidem... Addunt circa idem obiectum materiale et formale posse versari actus specie et substantia differentes non ex obiectis, sed ex modo tendendi in illud nobiliori et altiori vel inferiori et ignobiliori, et hac ratione dari circa idem obiectum actum in substantia supernaturalem et actum naturalem specie et entitate omnino diversos.»

Hoc sensu negat obiectum formale supernaturale v. g. Billot (De virt. p. 72 s)¹.

305. II. Historia huius quaestionis (v. *David* cap. III p. 27 ad 57; *Garrigou-Lagrange*, *De revel.* I² p. 462—498). **S. Thomam** utraque pars sibi vindicare studet². — S. Bonaventura videtur docere obiectum formale supernaturale fidei (*David* p. 45).

¹ « Quod in actibus supernaturalibus virtutum viae formalitas supernaturalitatis, faciens, ut actus sint proportionati conditione obiectorum secundum se, non provenit ex obiecto, prout quoad nos munere obiecti fungitur, videlicet neque ex obiecto materiali, quod creditur, quod speratur, quod diligitur, neque ex obiecto formali, propter quod creditur vel speratur vel diligitur, sed unice ex principio gratiae, qua elevatur operativa potentia ad eum ordinem perfectionis, cuius ultima consummatio est in unione per lumen gloriae ad divinam essentiam ut ad formam intellegibilem. »

² Saepe quidem necessitatem habitus infusi ad actus virtutum theologiarum *S. Thomas* ex eo ostendit, quod earum obiecta vires naturae transcendunt (sic quoad *fidem S. th.* 2, 2 q. 5 a. 3 ad 1; q. 6 a. 1; quoad *caritatem* 1, 2 q. 109 a. 3 ad 1; 1 q. 60 a. 5 ad 4), vel morales virtutes infusas et acquisitas distinguit « secundum speciales et formales rationes obiectorum » (1, 2 q. 63 a. 4). Sed novit etiam alia principia habitus specificantia. 1, 2 q. 54 a. 2: « Sic igitur secundum *tria* habitus specie distinguuntur: uno quidem modo secundum *principia activa* talium dispositionum; alio modo secundum *naturam*; tertio vero modo secundum *obiecta* specie differentia. » Duo posteriora 1, 2 q. 63 a. 4 magis explicat, ubi data opera inquirat, sitne virtus acquisita eiusdem speciei cum virtute infusa. Dupliciter ait habitus specie distingui: a) secundum speciales et formales rationes *obiectorum* (quod de temperantia infusa et acquisita ostendit); b) « secundum ea, ad quae *ordinantur*. Non enim est eadem specie *sanitas hominis et equi* propter diversas naturas, ad quas *ordinantur*. Et eodem modo dicit *Philosophus* in 3^o *Politicorum*, quod diversae sunt virtutes civium, secundum quod bene se habent *ad diversas politias*. Et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales *infusae*, per quas homines bene se habent in ordine ad hoc, quod sint cives *Sanctorum* et *domestici Dei*, et aliae virtutes *acquisitae*, secundum quas homo se bene habet in ordine ad res humanas. » Ergo ex mente *S. Doctoris* possunt esse habitus et consequenter actus specie diversi ex alio principio specificante quam ex obiecto (v. *Schiff.* n. 206 s). Quod insuper ex formalibus rationibus obiectorum virtutes infusas ab acquisitis specie distinguit, hoc *Billot* (p. 84—89) et *Schiff.* (n. 209) conformiter ad suam sententiam explicari posse censent. *David* (p. 44) id saltem a se demonstratum esse existimat « auctoritatem *S. Doctoris* non posse afferri tamquam manifesto faventem sententiae [oppositae] »; posse enim explicari mentem *Aquinatis*: « Sunt quaedam obiecta, quae de facto a solis actibus salutaribus attinguntur. » — Verba *Aristotelis*, *Politic.* l. 3 c. 2 n. 2 (Bekker II 1276^b 30—33), sunt haec: *Ἀπὸ τὴν ἀρετὴν ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ πολίτου πρὸς τὴν πολιτείαν. Ἐπεὶ οὖν ἐστὶ πλείω πολιτείας εἶδη, δῆλον ὡς οὐκ ἐνδέχεται τοῦ σπονδαίου πολίτου μίαν ἀρετὴν εἶναι τὴν τελείαν.*

— Patet Scotum aliosque asseclas supernaturalitatis mere modalis (n. 294 a) admittere idem obiectum materiale et formale in actu fidei infusae et acquisitae.

306. **Molina** primus ex professo et fuse de nostro problemate egit. Vocat quidem more veterum actus naturales et salutare identicos « *secundum substantiam* », sed dicit eos omnino « *specie* » et *tota sua entitate* differre (supra n. 295). Obiecta autem formalia actuum salutarium negat esse absolute supra vires naturae. Quae postquam breviter *Conc.* q. 14 a. 13 disp. 7 et 15 proposuerat, epistula cuiusdam theologi varia obicientis per-motus, disp. 38 funditus de obiecto formali actus salutaris disserit ostenditque principium formale supernaturalitatis actuum non esse eorum obiectum formale, sed aliquid actibus ipsis intrinsecum, quod receperint ex principio efficiente (*David* p. 47 s). — **Suarez** (*De grat.* l. 2 cap. 11—16 et alibi) mutata veterum terminologia supernaturalitatem actuum specificam vocat « *secundum substantiam* », quem morem abhinc omnes theologi assumpserunt (cf. n. 295 not.). Docet autem hanc substantialem actuum supernaturalitatem omnino exigere *obiectum formale ipsis exclusive proprium*. Magnopere enititur, ut singulis actibus salutaribus eiusmodi obiectum formale viribus naturae prorsus inaccessibile inveniatur (*David* 48 s). Quare *actum fidei* salutaris ita *resolvit*, ut auctoritas Dei propter se ipsam credatur, quod sane natura assensu rationabili minime potest (cf. P VIII prop. 19). — Nonnulli Iesuitae atque etiam De la Bastida in *Congreg. de Aux.* obiectum supernaturale defenderunt (*David* 51). — Maiore zelo id semper a **Thomistis** fiebat, maxime a Ioanne a S. Thoma (t. 5 disp. 20, 1) et a Salmanticensibus (l. c.), qui tamen admittunt actus salutare virtutum *acquisitarum* ex influxu caritatis supernaturalitate mere *extrinseca* dotatos (*David* 52 s). — Plurimi autem **Molinistae** suum etiam in hac quaestione secuti sunt ducem. **De Coninck** (*De moralit.* cap. 5) progressum methodologicum introduxit, non amplius de proprietatibus singularum virtutum, sed de actibus salutaribus in genere et simpliciter ut talibus tractando. Supernaturalitatem ex actuum perfectiore *esse* repetit, necessitatem obiecti formalis specie distincti negat (*David* 49 s). Similiter Iac. Grano, Ioannes Dicastillo, Ripalda (disp. 45), Lugo, strenuus adversarius Suarezii in explicanda analysi fidei (*De fide*, disp. 9 s. 1; *David* 50 s).

307. Saeculo XIX lis revixit. Postquam Scheeben (Dogm. 3. Buch n. 730 ss) obiectum supernaturale asseruit, Fr. Schmid (l. c.) illud negavit; qui cum Lugone aliquam specialem attaingibilitatem obiecti admittit, sed omnem diversitatem in ipso obiecto excludit (p. 440)¹. — Controversia, quae inde ab anno 1893 in *ZkTh* aliisque periodicis et integris libris agebatur, potius est de quaestione «*moralis*». Sed Emil Lingens, *ZkTh* 18 (1894) 293—335, etiam quaestionem metaphysicam tractat atque obiectum formale supernaturale ut *in terminis pugnans* reicit. — Praeter Thomistas etiam Mazzella (n. 54 ss) tenet obiectum supernaturale, sed non sine multis distinctionibus; item aequaliter J. V. Bainvel S. J. (*La foi et l'acte de foi* [Paris 1898] chap. 9). Longe plurimi id nunc reiciunt, inter quos Gutberlet (*Heinrich-Gutb., Dogm. Theol.* VIII [Mainz 1897] 671 ss); Atzberger (*Scheeben-Atzb., Dogm.* Buch 6 [Freiburg 1898] n. 737); Pohle (*Dogm.* II⁷ [Paderborn 1921] p. 341); V. d. Meersch (p. 219); Masi (*De virt. fidei* p. 62) et Iesuitae fere omnes².

¹ Ei non placet explicatio eorum, qui actibus salutaribus «subjektiv ein edleres Sein zuschreiben, ohne sich viel darum zu kümmern, ob durch dieses subjektive Moment auch die *moralische* Seite unseres Tugendlebens gehoben und veredelt wird. So ist z. B. eine Uhr mit goldenem Gehäuse offenbar kostbarer als eine silberne, aber als Uhr leistet deswegen die erstere keine besseren Dienste als letztere» (442). Aliud exemplum praefert: «Man denke sich zwei Messer von äusserlich durchaus gleicher Form und Beschaffenheit. Das eine ist aber aus gewöhnlichem Eisen, das andere aus dem besten Stahl verfertigt. Wird man da behaupten können, das letztere sei bloss dem Metallwert nach besser als das erstere? Gewiss nicht. Auch als Messer ist das letztere dem ersteren bei weitem vorzuziehen, nicht zwar wegen der Form oder Grösse, vielleicht auch nicht einmal wegen der augenblicklichen Schärfe, sondern einzig, weil es kraft der eigentümlichen Güte des Stoffes, aus dem es besteht, seinem Zwecke als Messer in ganz eigentümlicher Weise entspricht. Auf gleiche Weise soll im Sinne der vorgetragenen Lehre der unter dem Einfluss der übernatürlichen Gnade entstehende Tugendakt infolge seiner subjektiven Beschaffenheit oder des mehrgedachten *modus attingendi obiectum* eine eigentümliche, das ganze moralische und meritorische Sein erfassende und durchdringende Veredlung erhalten» (442). — Si ita est, hoc certe libenter admittimus. Res per se non videtur impossibilis. Nam bonitatem moralem etiam ex parte subiectiva actus, v. g. ex eius intensitate, augeri nemo est, qui neget. Fatemur tamen rem illo exemplo nobis non satis probari.

² Włod. Ledóchowski, Praep. Gen. S. J. in *Epist. de doctrina S. Thomae*, 8 Dec. 1916 (*ZkTh* 42 [1918] 237), hoc «doctrinae caput, ex quo alia non pauca pendent» affert exemplum, quod «quandoque ea [sententia], quae primum minus placere visa esset, postea communis evaserit et approbata fuerit... Sententia enim nunc longe communior docet actus supernaturales non differre necessario a

308. III. Solutio. 1. Necessitas obiecti formalis supernaturalis non probatur efficaciter, neque theologice, quia omnes textus, qui afferuntur, de maiore perfectione subiectiva actuum salutarium satis bene explicantur, neque philosophice, quia principium «*Actus specificantur ab obiecto*» solvitur distinctione: «*Etiam, concedo — solum, nego.*» Nos utique specificam actuum differentiam ex eorum obiectis experimur, quia actus in suo esse subiectivo non immediate perspicimus; sed haec non est ratio, cur excludamus alia principia specificationis actuum. Neque *Aristoteles* neque *Thomas* haec excluderunt (n. 305 not.). Actus cognoscitivi sunt repraesentationes rerum; quare apte comparantur imaginibus. Sed imagines certe non exclusive specificantur obiecto; non minus specificans potest esse earum classificatio secundum materiam vel secundum factorem¹. Quare *Suarez* (l. 2 c. 11 n. 23), *Salmanticenses* (n. 49 60), *Garrigou-Lagrange* (De revelatione I² 217 491; RevThom 1913, 325; 1914, 24) sine causa timent, ne admissa aliqua distinctione specifica actuum sine correspondente diversitate obiecti formalis tota philosophia evertatur.

309. 2. Non potest ostendi obiectum formale sive motivum obiectivum in ullo actu supernaturali huius vitae, quod absolute nequeat esse obiectum vel motivum actus naturalis. Hoc monstrant irriti conatus hucusque facti. *Suarez* sic pervenit ad suam *analysim fidei* prorsus sanae rationi adversantem. *Salmanticenses* (n. 37 ss) difficultatem ingenue agnoscunt, varias solutiones insufficientes refellunt, tandem (n. 40) dicunt posse quidem testimonium Dei ut auctoris et finis naturalis esse motivum fidei acquisitae, minime vero testimonium Dei ut auctoris et finis supernatu-

naturalibus ex obiecto formali, eamque tenent PP. Lugo, Ripalda, Wirceburgenses, Emin. Card. Billot, Lahousse, Mendive, Palmieri, Schiffini. Quae tamen doctrina ex illis est, quas in *Molinae Concordia* haud pauci damnandas dicebant.»

¹ Schmid (p. 452): «Nach der objektiven Seite der Darstellung wird man religiöse und profane, historische und sogenannte Genre-Bilder unterscheiden. Nach der subjektiven Seite hingegen kann man gezeichnete und in Farben gemalte Bilder, Oelgemälde und Mosaikbilder, Originalwerke und Kopien, Kunstschöpfungen und handwerksmässige Leistungen unterscheiden. Dabei wird niemand behaupten mögen, die unterscheidenden Merkmale der zweiten Einteilungsreihe seien in keiner Weise als wesentliche Unterscheidungsmerkmale anzusehen oder die Einteilungen der zweiten Art liessen sich, wenigstens sofern das unterscheidende Merkmal sich als ein wesentliches herausstellt, vollkommen auf die Einteilungen der ersten Art zurückführen.»

ralis. — Sed a) nullo modo intellegitur *testimonium Dei* in utroque casu esse diversum motivum fidei. Deo secundum Vaticanum (Dz 1789) credimus, quia *nec falli nec fallere potest*. Deus autem est aequae sciens et verax, sive in aliquo ordine secus naturali *servis* suis quasdam veritates supernaturaliter testatur, sive in ordine vere supernaturali suis *filiis* adoptivis intima suae naturae mysteria voluntatisque consilia revelat. Fortasse in secundo casu aliud est motivum *pri credulitatis affectus*, sed *assensui intellectuali*, in quo actus fidei formaliter consistit, idem praebetur motivum infinitae primae veritatis logicae et moralis. Neque Vaticanum ullo modo talem diversitatem innuit. — b) Dato, quod Deo *auctori gratiae* ex motivo specificè alio crederemus quam Deo *auctori naturae*, nondum intellexeretur, cur homo, postquam quacunq̄ue via certam notitiam de revelatione Dei auctoris gratiae acquisivit (quam *daemones* quoque habent, eamque actu non per gratiam elevato), non posset, si vellet et si a Deo viribus naturalibus relinqueretur, hisce viribus ex motivo auctoritatis Dei ut auctoris gratiae actum fidei acquisitae elicere¹.

310. 3. Si motiva obiectiva assensus supernaturalis et naturalis diversa essent, ex reflexione psychologica uterque actus discerni posset. Sed ipsi adversarii concedunt hoc ordinarie nequaquam cum certitudine fieri posse.

Garrigou-Lagrange (RevThom 1914, 27) citat Suarez (l. 2 c. 11 n. 35) ad hanc obiectionem sic respondentem: « Cum in his actibus semper concurrant aliquo modo et naturalia et supernaturalia motiva, ut dixi, nunquam homo satis evidenter discernit, an ex pura supernaturali ratione moveatur et operetur, et hoc est satis, ut nunquam possit omnino esse certus de fide vel operatione sua, quamvis de illa magnas possit habere coniecturas. » Videtur igitur *arbitrarie* statui actum naturalem posse habere motivum supernaturale partiale, sed non totale. — Patrem Pinard, qui eandem obiectionem urget, provocando ad experien-

¹ Salmanticenses (n. 55 fin.) de tali casu dicunt: « Non posset eius intellectus tendere in obiectum revelatum ob illam Dei revelationem, quae est motivum fidei theologicae; sed tenderet *sub alio motivo* aut ratione, quae divinum testimonium *naturalizaret*, ut sic loquar, in ratione motivi. » Eiusmodi effugium ne umbram quidem probabilitatis habere videtur. Neque Garrigou-Lagrange (praesertim RevThom 1914, 28ss) nova et meliora profert, distinguendo (p. 31) in facto revelationis *aspectum exteriorem* rationi naturali accessibilem et *aspectum interiorem* soli lumini interiori fidei patentem. Non minus improbabilia et inintellegibilia sunt, quae habet G. de Broglie S. J. in RechScRel 15 (1925) 29—40, praesertim 31—33, et alibi (cf. Scholastik 1 [1926] 309).

tiam internam, quae litem dirimat, *Garrigou-Lagrange* (p. 32s) indignabundus comparat empiristis, qui *substantiam* phaenomenis subiacentem, et mechanistis, qui *principium vitale* oculis volunt cernere, antequam eius existentiam admittant. Sed imparitas est in hoc, quod in nostro casu asseratur *motivum obiectivum*, i. e. motivum, propter quod cognitum actus fiat et quod in omni et solo actu supernaturali habeatur. Iure postulamus: «Ostendite nobis hoc motivum psychologica actus analysi.» At tale quid hucusque ostensum non est neque videtur posse ostendi. — Alex. Mercier O. P., *Les actes surnaturels* (RevThom 1907, 55s) putat motivum supernaturale saepe manere in subconscientia et esse potius instinctivum, praesertim in actibus donorum S. Spiritus. — Istius difficultatis, cuius gravitatem *Salmanticenses* aperte fatentur, *Garrigou-Lagrange* (RevThom 1914, 33s) solutionem valde simplicem proponit: Homo *penitus carens sensu musico*, quando symphoniam aliquam a *Beethoven* compositam audit, eosdem materialiter sonos integre audit atque homo musicus. Sed verum eorum *sensum*, eorum «*motivum formale*», non audit nisi is, cuius *aures* ad hoc *aptae* sunt (cf. *De revelatione* I p. 448 505). Sic daemon et homo naturalis revelationem divinam et mysteria supernaturalia materialiter tantum audiunt. Fidelis autem gratia fidei illustratus per verba ab Ecclesia proposita formaliter audit *voce[m] Patris caelestis*; non credit formulam dogmaticam de Trinitate, sed mysterium in Deo absconditum. Animalis vero homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, et non potest intellegere. — Postea (RevThom 1918, 309ss) contra obiectiones sic defendit suam sententiam: Fides, quae, ut attingat supernaturalia mysteria, auctoritate Dei, *auctoris gratiae, in vita sua intima et ut patris* considerati, nititur, motivo infinite distat ab ea fide divina, quae in aliquo ordine essentialiter naturali niteretur auctoritate Dei revelantis ut *auctoris naturae* (cf. n. 309 *Salmant.*). Christiani, licet non expresse de hac re moneantur, tamen manifesto credunt Deo ut patri, actu supernaturali et salutari; nam «facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam» (v. n. 245 not.). Fides pure naturalis, si omnino, certe rarissime inter homines invenitur; sed apud daemones occurrit. Hi signis evidentibus ad fidem coguntur; aliud autem obiectum formale habent. Mysteria Dei materialiter tantum attingunt, sicut immusicus symphoniam; fidelis vero mysteria supernaturalia formaliter qua talia attingit (p. 316s). — Libenter concedimus «fidem» daemonum habere prorsus aliud motivum quam fidem supernaturalem Christianorum. Sed nunc agitur de supposito, quod homo bonae voluntatis sine auxilio internae gratiae propter summam auctoritatem Dei revelantis (ut auctoris naturae, si placet), ad honorandam eandem auctoritatem, iis, quae scit Deum revelasse, firmissime assentitur, et quaeritur, an talis actus ab actu fidei salutari differat motivo specifico. *Garrigou-Lagrange* statum quaestionis omnino mutavit, actui fidei naturalis supponendo alium actum, qui non est actus fidei proprie dictae. — Addit (p. 314): Interdum experientia conversis ad fidem ostendit transitum a iudicio credibilitatis naturali ad fidem supernaturalem. Sed exempla, quae

affert, ostendunt fortasse transitum a «scientia testimoniali» ad fidem auctoritatis; quomodo autem ostendant diversum motivum specificans in fide auctoritatis naturali et supernaturali, prorsus non apparet¹.

¹ In nota (RevThom 1918, 317s) Garrigou-Lagrange haec habet: «Le lecteur privé de la foi infuse, ne pouvant juger dans la même lumière intérieure que l'auteur inspiré, ne comprendra pas *formellement tout le sens* des mots et des propositions du livre divin. Qu'est-ce qui lui échappera? C'est, comme le remarque un bon thomiste, »un élément irréductible à l'analyse, et qu'on est donc en droit d'appeler synthétique. Voulez-vous que nous l'appellions *l'esprit* des concepts et des paroles, entendant par esprit, quelque chose de mystérieux, d'imperceptible aux sens et à l'intelligence qui analyse, d'impalpable comme l'esprit, flottant autour des choses comme leur double, principe de vie par excellence, sans lequel on n'a dans les mots parlés que des squelettes et des osselets» (P. Lacombe O. P., *Questions de Principes concernant l'exégèse catholique contemporaine*, 1914, p. 152). — Quelle différence entre la lecture d'une Epître de saint Paul faite par le philologue le plus instruit mais incrédule, et celle faite par un saint, qui retrouve vraiment sous la lettre la pensée surnaturelle de saint Paul. Pour entendre en effet *le sens de cette Epître*, il ne suffit pas de connaître avec la grammaire et le lexique *le sens grammatical très exact de chaque mot* (comme pour apprécier une symphonie, il ne suffit pas d'entendre chaque note), il faut encore en lisant mettre l'accent sur ce qui dans la pensée de saint Paul est le principal et non pas sur ce qui est l'accessoire.» — Sed non quaeritur, quid aliquis Sanctus fortasse in S. Scriptura inveniat. Deberet ostendi aliqua ratio obiective cognita, quae esset in supernaturali actu fidei hominis etiam rudissimi et maximi peccatoris, sed in actu naturali hominis doctissimi et volentis Deo credere nullo pacto inesse posset. Impossibilitatem tale quid ostendendi omnia ista tentamina abunde demonstrarunt. Ergo modificentur «principia», e quibus adeo improbabilia sequuntur, neve fugiatur ad mysteriosum quid, quod claris conceptibus et quotidianae experientiae pariter repugnat.

SECTIO TERTIA

DE GRATIA IUSTIFICATIONIS

ARTICULUS I

DE PROCESSU IUSTIFICATIONIS

DE CONCEPTU BIBLICO

IUSTITIAE ET IUSTIFICATIONIS

SECUNDUM CATHOLICOS ET PROTESTANTES

311. P 336. — Mazz. 878—889. — *M.-J. Lagrange* O. P., La justification d'après s. Paul (Rev. Bibl. 11 [1914] 321—343 479—503); Epître aux Romains (2^{me} éd. 1922) 19 s. — *R. Lemonnyer* O. P. « Justification » in DdTh 8, 2042—2077. — *F. Prat* S. J., La théologie de s. Paul II⁷ (1923) l. 5 ch. 1. La foi principe de justification, p. 279—304. — *B. Bartmann*, St. Paulus und St. Jacobus über die Rechtfertigung (Bibl. Stud. 2 [1897]). — *Ed. Tobac*, Le problème de la justification dans s. Paul (Lovanii 1908). — *R. Frutsaert* S. J., La « justice de Dieu » dans s. Paul (RechScRel 2 [1911] 167—181). — *Heinr. Denifle* O. P., Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über Justitia Dei (Rom 1, 17) und Justificatio (Mainz 1905). — *K. Krogh-Tønning*, Die Gnadenlehre und die stille Reformation (Christiania 1894); De gratia Christi et de libero arbitrio S. Thomae Aqu. doctrina (Christiania 1898). — Plurima alia scripta infra nominata.

312. *Iustitia* (*δικαιοσύνη*) in genere est rectitudo, aequitas, congruentia cum aliqua norma, praesertim conformitas cum norma morum, rectitudo moralis (*sittliche Rechtschaffenheit*). Multa, quae cum recto ordine morali cohaerent, metonymice vocantur iustitia; sic *lex*, quae iustum praecipit (Ps 18, 9), vel *iūs*, obiectum iustitiae (Is 5, 23). Sensu proprio intellecta iustitia seu rectitudo moralis est ea qualitas, qua aliquis vel aliquid (homo, lex, opus) normae morum congruit. Imprimis iustitia dicitur ea virtus, qua quis iustus est seu normam rectitudinis moralis servat. S. Anselmus definit: « Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata » (*Dial. de ver.* cap. 12 [ML 158, 480—484]). A iustitia universali omnes virtutes complectente, quibus mores recte ordinantur, distinguitur iustitia particularis, virtus cardinalis, quae inclinatur

voluntatem ad suum cuique reddendum. Nunc agitur de iustitia universali et quidem de ea, qua homo *in hoc ordine supernaturali* dici potest simpliciter recte ordinatus quoad mores. Haec est iustitia interna, coram Deo, supernaturalis. *Externa* iustitia operum sive observantia legum coram hominibus quidem valet — nam « de internis non iudicat praeter » — sed coram Deo non sufficit (Mt 6, 1; Rom 4, 2). Cum vero homo a Deo ordinatus sit ad finem supernaturalem, sola iustitia *supernaturalis* a Deo accipitur. Nunc non tractamus de iustitia actuali, quae invenitur *in uno actu* vel *in collectione actuum*, sed de habituali, quae est aliqua *permanens dispositio* hominis ad omnes actus virtutum recte quoad ordinem supernaturalem exercendos. Adaequate consistit in *omnibus simul donis* permanentibus, quibus homo ad finem supernaturalem recte ordinatur, formaliter sive essentialiter in eo dono, quod inter omnia est maxime essenziale et formale, i. e. in *gratia sanctificante*. Qui iustitiam habitualem possidet, a Scriptura vocatur simpliciter iustus (*δικαιος*), qui ea caret, iniustus (*ἀδικος*), peccator (*ἁμαρτωλός*), malus (*πονηρός*), v. g. Mt 13, 49; 1 Petr 3, 18.

313. Iustificatio (*δικαίωσις*) est illa *actio*, qua Deus infundit, vel illa *passio*, qua homo suscipit iustitiam. Potest igitur et activo et passivo sensu sumi. Terminus a quo potest esse a) mera *absentia* iustitiae supernaturalis, quae statum iustitiae saltem in signo rationis praecedat (in angelis et protoparentibus); b) *privatio* rectitudinis debitae sive positiva iniustitia (in praesenti statu naturae lapsae); c) *minor gradus* iustitiae (augmentum iustitiae, quod etiam vocant iustificationem secundam; cf. Apc 22, 11). Metonymice iustificatio potest significare *legem* divinam, quae docet et praecipit iustitiam (sic saepius in Ps 118). — Vocabula *δικαιοῦν* et *δικαίωσις* in Scriptura aliquoties occurrunt eo sensu, qui vocatur forensis sive iudicialis. Sic non significant iustum *facere*, sed iustum *declarare*, quod est iudicis absolventis accusatum; v. g. Prov 17, 15, et simili sensu Lc 10, 29 (sicut etiam nos dicimus *sich rechtfertigen*).

314. Sensus termini biblici iustificationis apud catholicos traditionalis accuratius examinari et defendi debuit, postquam **Luther** hoc termino abusus est ad doctrinam haeticam iustificationis mere externae stabiliendam. Is iam a. 1515—16, explicans Rom, principale huius epistulae documentum putavit

esse doctrinam de *iustitia Christi nobis externe tantum imputata*. Cum concupiscentia secundum ipsum cum peccato originali identica sit et manifesto non tollatur baptismo, remanere ait in baptizato peccatum et infectione huius peccati iustum in omni opere peccare (*Luth.* prop. 2 31 s [Dz 742 771 s]). Deus autem fidei *non amplius imputat* peccata, quia iustitia Christi sola fide apprehensa peccata *tegit* (v. *Denifle*, Luther u. Luthertum I² [Mainz 1906] 464—522; *Grisar*, Luther I [Freiburg 1911] 72 ss). Hanc doctrinam, quam maxime ex exemplo *Abrahae* (Rom 4) probare studuit, postea ulterius excoluit addita *fide speciali*, qua propria iustificatio summa fidei certitudine credenda sit. Eadem doctrina iustificationis invenitur in **libris symbolicis** Lutheranorum (*Conf. August.* art. 4; *Form. Conc. Epit.* 3. aff. 5; *Sol. Declar.* 3, 17 [Müller, Symb. Bücher, 11. Aufl. p. 39 528 613]), Zwinglianorum (*Conf. helv. poster.* 1562, n. 15 [K. Müller, Bekenntnisschriften p. 191 s]), Calvinistarum (*Catech. genev.* 1545 [ibid. p. 127]).

315. Haec de iustificatione doctrina a Protestantibus solet vocari «articulus stantis et cadentis Ecclesiae»¹. Tamen hoc principale caput doctrinae Novatorum hodie fere ab omnibus derelictum est. Id de Lutheranis ostendit **Kroggh-Tonning** opusculis n. 311 citatis, in quorum altero p. 67 ait: «Revera apud recentiores Lutheranos propria doctrina Lutheri de iustificatione omissa est. Factum hoc est reformatione quadam, quam »tacitam« vocavimus.» Sed terminologia a catholicis adhuc eo discernuntur, quod sub voce iustificationis non comprehendunt internam sanctificationem et renovationem, quam tamen cum iustificatione, i. e. cum remissione peccatorum, coniungi affirmant². — Hodierni exegetae sive

¹ Friedr. Loofs, *Theol. Stud. u. Krit.* 90 (1917) 323—420, ostendit originem et evolutionem huius nominis. *S. Augustinus* (Enchir. c. 64) similia verba de remissione peccatorum habet; *Lutherus* saepe suum de iustificatione articulum tali modo laudat, sed non omnino hisce verbis. Multi sequentes eandem cogitationem exprimunt, *V. E. Löschner*, ut videtur, a. 1712 primus eo tenore, qui nunc in usu est.

² Quoad Germaniam valere ait, quae A. Zahn, *Abriss einer Geschichte der evangelischen Kirche* (Stuttgart 1893) p. 49 dicit: «Die Rechtfertigungslehre Luthers ist nicht mehr in Deutschland vorhanden, und niemand erschrickt darüber.» De aliis nationibus idem fere dicendum: «Reverterunt maximam saltem partem Lutherani ad doctrinam catholicam de iustificatione quoad rem. Doctrinam Lutheri integram et immutatam vix lucerna Diogenis invenias» (p. 68). «Keine Macht der Welt kann die Erkenntnis mehr zurückdrängen, welche im Herzen der Menschheit liegt, dass

theologi biblici protestantes, rationalismo magis minusve infecti, sed veterum « orthodoxorum » praeiudiciis non amplius impediti, genuinum S. Pauli sensum volentes eruere, mira rerum mutatione pervenerunt ad hoc, ut *doctrinam iustificationis* tamquam inter paulinas omnino *levioris momenti*, e *pharisaismo* residuam et *evangelio Iesu adversam* contemnunt¹.

316. Varias modernas explicationes huius ideae paulinae et a Protestantibus et a Catholicis datas proponit M.-J. Lagrange O. P. in Rev. bibl. 1914.

1. **Protestantes** omnes quoad rem ab explicatione Lutheri recedunt: a) Minus aperte Holtzmann (*Lehrbuch der ntl. Theologie* II [1897]), Sanday and Headlam (*Comm. on the ep. to the Romans* [1896]), Kühl (*Der Brief des P. an die Römer* [1913]), Häring (*Δικαιοσύνη Θεοῦ bei P.* [1896]). Hi auctores verbo *δικαιοῦν* tribuunt sensum *forensem*; internam hominis iustitiam verbis negant, sed admittunt eum unione cum Christo et susceptione S. Spiritus *realiter sanctificari* (sic maxime Holtzmann). — b) Titius (*Der Paulinismus unter dem Gesichtspunkt der Seligkeit* [1900]) et minus clare Feine (*Theologie des N. T.* [1910]): Apud Iudaeos iustificatio

das, worauf es schliesslich sowohl Gott wie den Menschen gegenüber ankommt, nicht ist, gut zu scheinen, sondern gut zu sein. Zu dieser einfachen ethischen Anschauung kann zuletzt die ganze Frage zurückgeführt werden » (*Die Gnadenlehre und die stille Reformation* p. 76 s). — Cf. de his etiam Grisar II p. 748 ss.

¹ Ernst von Dobschütz, qui ipse S. Paulum interpretem evangelii maxime ingenuum habet, hoc ostendit sua dissertatione: *Die Rechtfertigung bei Paulus, eine Rechtfertigung des Paulus* (Theol. Stud. u. Krit. 85 [1912] 38—67): « Einst galt die Rechtfertigung aus dem Glauben als die Grundlehre des Protestantismus; sie hatte Luther bei Paulus wiederentdeckt, das war die Reformation... Auf die Bergpredigt mit ihren evangelischen Ratschlägen berief sich wohl der Katholizismus. — Wie haben sich die Zeiten verändert! Bei Paulus hat unsere Theologie eine Fülle anderer Gedanken und Motive entdeckt, die von den meisten jetzt als viel wichtiger eingeschätzt werden: mystische Elemente (Holtzmann, Deissmann), Geisteswirkungen (Gunkel, Weinel), Engelspekulation (Everling, Dibelius), Sakramentales (J. Reville, Heitmüller), kosmische Erlösungslehre (Wrede). Daneben spielt der Rechtfertigungsgedanke nur noch eine untergeordnete Rolle. Und wo er sich findet, wird er geringschätzig als ein Residuum des Pharisäismus, als blosser Kampflehre abgetan, als etwas jedenfalls, das mit dem Evangelium Jesu nichts zu tun habe. Ist es doch heute Stil, in Paulus den Begründer des Katholizismus zu erblicken, der wie kein zweiter das Christentum in die falsche unevangelische Bahn gelenkt habe, während das Evangelium allein in der Bergpredigt zu finden sei » (p. 38 s).

erat declaratio, qua Deus iustitiam agnosceret et aditum ad bona messiana concederet. Sed S. Paulus, inter primum et secundum Messiae adventum distinguens, istam *declarationem* non *eschatologice* tantum, sed etiam *proleptice* pro praesenti aevo sumit eique hunc tribuit effectum, ut homo plenitudine bonorum messianorum per fidem accepta *revera iustus* efficiatur. Feine statuit aliquam iustitiam, quae interim *ex parte mere imputata* et in fine saeculi perficienda sit, sed iam veram internam renovationem contineat. — c) Alii simpliciter concedunt verbo *δικαιοῦν* apud Paulum significari *communicationem internae iustitiae*. Jülicher (*Komm. zum Römerbrief*): Paulus reiceret imputationem iustitiae ordini rerum non consonam. Iustificacione homini datur donum ex propria Dei essentia. Wrede (*Paulus*, 2. Aufl. [1907]): Si Paulus putasset solam fidem a Deo reputari pro iustitia, doctrina eius moralis iudaica esset inferior. Terminus *δικαιοῦν*, quem propter Iudaeos elegit, apud ipsum *omni sensu forensi caret*; nam Deum exhibet ut donatorem gratiae, non ut iudicem. Quare Luther formulas paulinas repetens genuinum sensum nequam assecutus est. Zahn (*Der Brief des Paulus an die Römer*): Paulo *δικαιοῦσθαι* est idem ac *καταλαμβάνειν δικαιοσύνην*, non autem iustum declarari. Lietzmann (*An die Römer* [1906]) vertit *δικαιοῦν* *gerecht machen* admittitque in homine veram iustitiam. — d) Etiam ii, qui ipsum terminum *δικαιοῦν* sensu *forensi* sumere malunt, tamen *unionem fidelium cum Christo*, quam Paulus docet, sensu *valde realistico* interpretari solent. — Lagrange (p. 326 s) sperat exegetas independentes mox agnituros esse doctrinam concilii *Tridentini* optime respondere ideis S. Pauli¹.

¹ Praeter auctores ab ipso relatos possunt nominari G. P. Wetter, *Charis* (Leipzig 1913) v. g. ad Rom 3, 21 ss (p. 21): «Dem ganzen Zusammenhang nach ist es notwendig, diese Verse auf eine wirkliche Tat Gottes, nicht auf ein göttliches Urteil zu beziehen»; ad Rom 5, 12 ss (p. 41 s): «*Ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης* bedeutet, dass sie gerecht gemacht werden, als eine wirkliche, reale Gabe, nicht nur eine Freisprechung, nicht nur ein Erlassen der Sünde. Das ist mit *χάρις* weit mehr der Fall.» — Aug. Dieckmann, *Die christl. Lehre von der Gnade* (Berlin 1901) ob progressus exegeseos et theologiae biblicae tempus esse censet, «das protestantische Zentraldogma von der Rechtfertigung aus Gnade und Glaube in seiner orthodoxen Fassung einer Revision zu unterziehen» (7). In hac materia recidere in catholicismum et mutuari doctrinas magnorum virorum mediae aetatis ecclesiae evangelicae et honestum et utile est. «Ueberhaupt ist die Aufgabe keineswegs von der Hand zu weisen, dass von der Basis der richtig erhobenen biblischen Gnadenlehre aus eine Verständigung zwischen der katho-

317. 2. Nonnulli moderni exegetae **catholici** aliquatenus concedunt primitivum sensum forensem verbi *δικαιοῦν* et sensum theologicum sive genitivum possessivum in formula *δικαιοσύνη θεοῦ*, sed demonstrant ex mente Pauli divinae declarationi respondere internam iustitiam hominis: Bernh. Bartmann (op. cit.) Rom 1, 17 et 3, 26 explicat de iustitia Deo propria, non absolute immanente, sed ad extra communicanda. Idem de verbo *δικαιοῦν* dicit: Quidquid hoc verbum in V. T. significat, apud Paulum est iustum facere, neque admittendus est sensus forensis, nisi quando agitur de iudicio Dei proprie dicto. — Similiter Benz, *Die Ethik des Apostels Paulus* (Bibl. Stud. 17 [1912]); cf. ThQS 94 (1912) 590—592: *Δικαιοσύνη θεοῦ beim Apostel Paulus*. — R. Lemonnyer O. P., *Ép. de s. Paul* (Paris 1905) *utrumque sensum coniungit*: Iustitia est attributum Dei et fons iustitiae homini collatae; iustificatio est sententia in ultimo iudicio proferenda et actus, quo Deus nunc hominem iustum reddit. — Éd. Tobac (op. cit.) sensum verbi primitus *eschatologicum* admittit hoc modo: Deus sententia iudiciali aditum ad bona messiana concedit, agnoscendo iustitiam non operibus legalibus acquisitam, sed ab ipso gratis donatam. Iustitia Dei salvifica iustitiam hominis, quam pronuntiat, prius ipsa operata est. Aliud est *δικαιοσύνη θεοῦ* (Rom 1, 17), aliud *δικαιοσύνη ἐκ θεοῦ* (Phil 3, 9). — R. Frutsaert S. J. exprobrat *Tobac*, quod, Protestantes secutus, nimius sit in reperiendis ideis pharisaicis et eschatologicis S. Pauli. Iustitia Dei sumenda est sensu anthropologico; est iustitia in homine ex Deo (gen. originis sive auctoris). Paucis locis exceptis, in quibus sensus forensis et eschatologicus contextu docetur, *δικαιοῦν* est iustum facere. — F. Prat S. J. etiam *reicit extremas sententias Tobac*, sed existimat sensum *theologicum* aliquatenus *coniungendum esse cum anthropologico*: Iustitia Dei potest intellegi attributum divinum, dummodo iustitia redemptrix concipiatur *causa efficiens et exemplaris* iustitiae hominis. Sensus *forensis* iustificationis ne statuatur nisi contextu id exigente; excluditur, ubi termini *πίστει* (dativus instrumenti) et *διὰ πίστεως* designant medium acquirendae iustitiae. — C. Toussaint (*Comm. in*

lischen und evangelischen Kirche... angebahnt werde» (16). — Ernst Sommerlath, *Der Ursprung des neuen Lebens nach Paulus*, 2. Aufl. (Leipzig 1927) 76 s 127 (cf. Scholastik 3 [1928] 416 s). — Doctrinam calvinisticam exhibet v. g. F. D. Jenkins, *The subjective side of Salvation in its initial stages* (Princeton Theological Review 24 [1926] 472—493).

Rom): Iustificare apud Paulum aliquoties sensum *primitivum forensem* retinet, sed saepe ampliore significatione indicat donum *mysticum*, quod praeter remissionem peccatorum conceditur.

318. 3. Propriam sententiam **Lagrange** (l. c. p. 331 ss et in *Comm.* ad Rom 1, 17) exponit. A. Δικαιοσύνη Θεοῦ. Negat quidem Paulus hominem a Deo postulare posse mercedem iustitiae propriis viribus effectae debitam; attamen expresse docet Deum unumquemque iudicaturum esse secundum opera eius (v. g. Rom 2, 4—13). Est igitur in homine *vera iustitia operum*, sed a Deo donata. Phil 3, 9: «non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Iesu» — τὴν ἐν Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει. Rom 9, 30 ss: «Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt (κατέλαβεν) iustitiam, iustitiam autem, quae ex fide est. Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.» Hoc modo non potuerunt ad veram pervenire iustitiam. 10, 3: «Ignorantes enim iustitiam Dei et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti.» Hinc iustitia Dei est aliqua iustitia, quam homines a Deo debent accipere (καταλαμβάνειν), neque est aliud quid quam iustitia ex Deo (Phil 3, 9). Efficitur a Deo, accipitur ab homine; ergo non est mera declaratio iudicialis. — Rom 1, 17: «Iustitia enim Dei in eo [evangelio] revelatur ex fide in fidem.» — Videtur designari *attributum Dei simul cum sui* per effectus externos *manifestatione*, sicut etiam in sequ. v. 18 sumitur ira, i. e. iustitia vindicativa Dei manifestata. Ergo v. 17 indicatur iustitia salvifica, qua Deus iustus est et homines iustos facit. Hanc explicationem ipse Paulus dare videtur 3, 25 s: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐν πίστει Ἰησοῦ. Praecedentibus vv. 21 s loquitur etiam de *iustitia Dei manifestata* et ab homine mediante fide *recepta*. Cf. Phil 3, 9, ubi iustitiam vocat τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ et verbis τὴν ἐν Θεοῦ δικαιοσύνην clare originem divinam exprimit. Quare etiam in formula δικαιοσύνη Θεοῦ genetivus est originis, non possessivus. — Rom 3, 5 est iustitia Dei iudicis; 5, 12—21, maxime 19, Christum cum Adamo comparando Apostolus docet iustitiam ab hominibus *intrinsecus recipiendam et possidendam*. — Cf. Eph 4, 24: «Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.» Ergo *iustitia* tam interna est quam *sanctitas*. — Recapitulatio: Iustitia Dei apud Paulum, praesertim in Rom,

non est attributum Dei pure immanens (sensu exclusive *theologico*), sed est aliqua iustitia, quae originem e Deo habens, interne ab homine recipitur (sensu *anthropologico*). Modo magis *divina origo* consideratur, et sic est iustitia Dei tamquam causa et exemplar iustitiae hominis; modo spectatur ut ab homine *iam possessa*, simul autem exprimitur eam non esse opera humana productam sed donum Dei. Interdum quoque minus distinguitur et *medium quasi locum* inter Deum et hominem tenet tamquam a Deo homini oblata vel simile quid. Ad hanc ultimam classem pertinere videtur Rom 1, 17. Non opus est, ut hic et alibi accurate dici possit, qualis grammaticae sit genitivus. Praevalet sane generativus gen. originis, sed aliquoties accedit ad gen. possessivum, ut eo clarius haec iustitia exhibeatur divina, non mere humana (cf. etiam *Lemonnyer*, DdTh 8, 2058 ss).

319. B. *Δικαιοῦσθαι, δικαιοῦν, δικαιοσις*. His verbis designatur ea Dei operatio, qua hominibus istam iustitiam confert. Verba in *-ῶ* saepe exhibent notionem *faciendi*, i. e. dotandi aliquem ea *qualitate*, quae ipso verbo continetur, v. g. *τυφλώω, ἔλευθερώω*. Quare *δικαιοῶ* bene potest significare *iustum facere*. Hunc quidem sensum in lingua profana non habet. Id explicatur eo, quod homo hominem iustum facere non potest (nisi quadamtenus monitis et poenis). Secundum *Zorell* Graecis significat hoc verbum: a) *iustis afficio*, praesertim poenis (uti *κακώω*, malis afficio); b) *iustum existimo*, iudico, censeo etc. (sicut *ἀξιόω*); inde habetur etiam: *iustum agnosco vel declaro*. Sed auctores profani non tam saepe quam LXX exprimunt hoc verbo actum iudicis. Lagrange, post Feine 45 casus in LXX examinans, inter alia haec invenit: Forma hiphil *הִצִּדִק* hizdik redditur per *δικαιοῦν*, et quando agitur de actu *iudicis*, significat *declarationem*: «Huic parti ius favet.» Passivum *δικαιοῦσθαι* plerumque ponitur pro forma kal *צַדִּיק* zadak et sine notione declarationis simpliciter significat *iustum esse*. Idem ex scriptis apocryphis confirmatur. Gratuita sontis absolutio hoc verbo non designatur. Ille, quem Deus iustum pronuntiat, *supponitur* etiam *vere esse iustus*. Sensus Lutheri omnino alienus est a V. T. — S. Paulus interdum hoc verbum adhibet in sensu *declarationis eschatologicae*, sed nequaquam omnibus locis ab *Holtzmann, Titius, Tobac* sic explicatis. Rom 2, 13 («factores legis iustificabantur») iste sensus est certus, 1 Cor 4, 4 («non in hoc iustificatus sum») est probabilissimus. Alii loci sunt dubii sensus. Sane sensus forensis

et eschatologicus non est ordinarius et praevalens apud Paulum. *Δικαιοῦν* vi vocis potest significare iustum facere et saepe significat. Cum *Prat* et aliis *Lagrange* statuit quaedam criteria: Passivum *non* significat *iustum declarari*, a) si additur «*coram Deo*» (Rom 3, 20) vel «*apud Deum*» (Gal 3, 11); — b) si exprimitur *cooperatio humana*, v. g. *fides* ut medium sive dispositio, vel influxus operis *Christi* (Rom. 3, 24 *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως*; 3, 28 *πίστει*; 5, 1 *ἐκ πίστεως*; 5, 9 *ἐν τῷ ἄμωυ αὐτοῦ*; 1 Cor 6, 11: abluti, sanctificati, iustificati; Gal 2, 16 *διὰ πίστεως, ἐκ πίστεως*; 2, 17 *ἐν Χριστῷ*; Tit 3, 5—7: baptismo regenerati, effusione Spiritus Sancti renovati et sic «*iustificati gratia ipsius*». — Activum habet sensum *iustum facere*, si additur *πίστει* vel *διὰ πίστεως*; secus per se sensus manet dubius (cf. *Lemonnyer*, DdTh 3, 2070 ss). — Potest igitur dici: *Δικαιοῦν* apud Paulum ordinarie est iustum facere. Deum etiam *agnoscere* ut iustum eum, quem iustum fecit, per se patet; neque hoc specialiter effertur, nisi est sermo de *ultimo iudicio*. Sensus forensis et eschatologicus apud Paulum non est primitivus et principalis, neque verum est iustificationem nonnisi *proleptice* de praesenti tēpore praedicari. Qui internam iustitiam a Paulo doceri cum *Luthero* negat, eiusmodi effugium quaerat oportet; sed qui eandem admittit, nullam habet rationem statuendi anticipatam illam declarationem iudicalem. Accedit, quod secundum Paulum nonnulli iustificantur in iustitia non perseveraturi, hinc in ultimo iudicio damnandi. Ergo *anticipatae sententiae absolutoriae* apud eos non est locus. — Verbum ex se *minus determinatum* apud profanos et in V. T. facile habere potuit *praevalentem sensum forensem*; in Novo Foedere gratiae et iustitiae internae a S. Paulo apte determinari potuit ad sensum *effectivum*, servata significatione forensi, ubi sermo est de sententia iudicis.

320. Quod ad exemplum Abrahae (Rom 4, 3 6 9) attinet, quo veteres Protestantes maxime voluerunt probare iustitiam imputatam, dicendum est: a) Hic Paulus non ex professo suam de iustificatione doctrinam edit, sed potius eam ad aliquod exemplum V. T. applicat. — b) Rom 4, 3 citatur ex Gen 15, 6. Non est primum et principaliter derivandus sensus Apostoli ex eiusmodi citato. — c) «*Fidem* reputare ad iustitiam» non est idem ac «*iustitiam* mere imputare nec conferre». Hoc loco non quaeritur, utrum iustitia Abrahae sit imputata an inhaerens, sed utrum eadem sit ex operibus legis an ex fide. Moderni exegetae protestantes textum minime sicut *Luther* explicant.

321. Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger* (p. VII s) affert, quae Luther versus finem vitae 1545 de Rom. 1, 17 scripsit: « Oderam enim vocabulum istud *Iustitia Dei*, quod usu et consuetudine omnium doctorum doctus eram philosophice intellegere de iustitia, ut vocant formali seu activa, qua Deus est iustus et peccatores iniustosque punit. . . Donec miserente Deo meditabundus dies et noctes connexionem verborum attenderem. . . Ibi iustitiam Dei coepi intellegere eam, qua iustus dono Dei vivit, nempe ex fide, . . . scilicet passivam, qua nos Deus misericors iustificat per fidem. . . Quanto odio vocabulum *iustitia Dei* oderam ante, tanto ardore dulcissimum mihi vocabulum extollebam, ita mihi iste locus Pauli fuit vere porta paradisi. » Posthac se legisse Augustini *De spir. et litt.* ibique contra omnem spem invenisse textum explicatum de iustitia Dei, « qua nos Deus induit, dum nos iustificat ». — *Denifle* profert sententias 66 interpretum occidentalium, magnam partem hucusque ineditorum, quibus apparet, quam falsa sint a Luthero asserta¹.

Thesis II. Ad iustificationem adultus debet se disponere per actus salutes, ad quos praeter alios pertinet fides dogmatica, non vero fides fiducialis Protestantium.

322. P pr. 29 s. — Ber. n. 643—677; 958—970. — Mazz. pr. 38. — Lah. n. 316—325. — Schiff. th. 5 s.

St. qu. 1. Nexus. Post *necessitatem* gratiae atque eiusdem generales proprietates *gratuitatis* et *supernaturalitatis*, nunc in specie de singulis classibus donorum gratiae agendum est. Et primo quidem de donis habitualibus. Quae, quia in iustificatione infunduntur, gratia iustificationis vocari possunt. De hac igitur gratia in *sectione III*. Sequentes doctrinam *Tridentini* (s. 6 decr. de iustif.), *articulo I* generaliter processum iustificationis consideramus, quatenus in adulto praeparatur iustificatio per aliquam dispositionem (th. 11) et consistit in remissione peccatorum atque interna

¹ Cf. Denifle, *Luther u. Luthertum* I² p. 424: « Das Resultat ist, dass kein einziger christlicher Lehrer seit dem Ambrosiaster bis Luther die paulinische Stelle von der strafenden Gerechtigkeit Gottes oder vom zürnenden Gott, sondern dass alle sie vom rechtfertigenden Gott und seiner rechtfertigenden Gnade, von der Gerechtigkeit des Glaubens, verstanden haben, so dass die protestantischen Theologen vor die Alternative gestellt werden: Entweder hat Luther keinen einzigen christlichen Lehrer vor ihm über diese Stelle nachgeschlagen und deshalb sein Urteil über sie gewissenlos, in voller Ignoranz, formuliert; oder er hat, wie so oft, absichtlich die Unwahrheit gesagt. » Addit Alb. M. Weiss O. P., editor 2^o ed.: « Es wäre wohl ein drittes denkbar, dass sich Luther in der Hitze des Kampfes in jene Ueberzeugung verrannt hätte. »

hominis renovatione (th. 12). Dona, quibus haec renovatio obtinetur, *articulo II* singillatim tractantur, imprimis gratia sanctificans. Tandem *articulo III* agitur de iis, quae iustificationem sequi possunt, amissio, augmentum iustitiae et eiusmodi. — Multa in hac thesi 11 tanguntur, quae *alibi* fuse tractantur: Natura et necessitas actuum fidei, spei, caritatis (P VIII), attritionis et contritionis, timoris et caritatis (P VII de poenitentia). Nunc praecipue intendimus catholicam fidem de dispositione ad iustificationem opponere haeresi *Protestantium*.

323. 2. Sensus. Ad iustificationem, de quo conceptu v. n. 312 s; in quo consistat, thesibus sequentibus docebitur; — adultus, i. e. qui ad usum rationis pervenit; infantes enim sine actibus personalibus iustificantur; — debet ex lege divina, rationi valde consona; — se disponere seu praeparare dispositione *positiva*, de quo conceptu v. n. 211 ss; utrum sit *moralis* tantum an etiam *physica*, in thesi non deciditur; v. schol. 1 (n. 342); — per actus salutare: liberos, moraliter bonos, per gratiam internam supernaturales (cf. n. 34 a et generatim th. 1 2 8); — ad quos praeter alios: nolumus enim decidere, *quoniam singuli* actus sint semper vel aliquando necessarii, sed contra doctrinam *Protestantium* de sola fide iustificante defendimus *etiam alios actus* requiri; — pertinet fides dogmatica, i. e. supernaturalis assensus intellectualis, quo dogmata a Deo revelata firmiter tenemus propter auctoritatem Dei revelantis; hic non examinamus, *quot et quae dogmata* de necessitate medii vel praecepti explicite credenda sint; — non vero fides fiducialis *Protestantium*, de qua in s. n. 324. Haec, quatenus alios actus a dispositione excludit et summam certitudinem de propria iustificatione requirit, omnino reiicienda est.

Quattuor igitur sunt probanda: a) praerequiri actus liberi arbitrii, qui rationem *verae dispositionis* habeant, i. e. saltem in ordine causae materialis aliquam veri nominis causalitatem in effectum iustitiae exercent (licet non sint causa physice efficiens neque causa de condigno merens) et proinde sint plus quam dispositio mere negativa vel mera condicio; — b) requiri actus *non solius fidei*, sed etiam aliarum quarundam virtutum; — c) fidem requisitam esse *dogmaticam*; — d) fidem *fiducialem* sensu *Protestantium* esse reiiciendam.

324. 3. Adversarii. Protestantés veteres his quattuor assertis adversantur. Docent: a) Peccato originali, i. e. inordinata concupiscentia, omnia hominis opera et ante et post iustificationem ita inficiuntur, ut in se considerata sint peccata; quare coram Deo nullum valorem moralem habent nec quidquam conferre possunt ad iustificationem vel salutem hominis. Neque fides fiducialis qua bonus motus sive opus meritorium vel dispositivum quidquam boni causat. Est purum *δργανον ληπτικόν*, instrumentum sive vas, quo merita Christi apprehenduntur, manus, quae accipit eleemosynam, olla pecuniis referta, sed ipsa omni valore carens.

Apol. Conf. Aug. a. 4 n. 56: « Nam fides non ideo iustificat aut salvat, quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum, quia accipit misericordiam promissam » (*Müller, Symb. Bücher* p. 96). — *Calvini Institutio rel. christ.* (1559) l. 3 c. 11 § 7 (CR 30 [Calv. 2] 538): « Fidem vero quasi vasi conferimus... Neque enim diversa ratio est, quin fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretii, nos iustificet Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat... Instrumentum est dumtaxat percipiendae iustitiae. » — Quae fides secundum Lutherum et rigidiores Lutheranos ita a S. Spiritu efficitur, ut homo *veluti inanime quoddam* nihil omnino agat *mereque passive* se habeat (cf. Dz 814). Secundum Melancthonem seniore et aliosque mitiores homo aliquo modo cooperatur. Haec « controversia synergistica » a. 1577 « *Formula Concordiae* » composita est; cf. *Sol. Declar.* 2. De lib. arb. (*Müller* p. 587 ss), ubi status quaestionis exponitur et omnis cooperatio negatur; v. g. n. 24 (p. 594): Homo « nihil inchoare, operari aut cooperari potest, nec plus quam lapis, truncus aut limus »; n. 59 (p. 602): « Et hac in parte multo est deterior lapide aut trunco, quia repugnat verbo et voluntati Dei. »

325. b) Sola fides exclusis omnibus aliis actibus est instrumentum arripiendi iustitiam.

Apol. Confess. August. a. 4 n. 72 (*Müller* p. 100): « Ideo primum volumus hoc ostendere, quod sola fides ex iniusto iustum efficiat, hoc est, accipiat remissionem peccatorum. » — *Sol. Declar.* 3. De iustitia fidei coram Deo, n. 36—38 (*Müller* p. 618): « Et haec est vera particularum exclusivarum in articulo iustificationis sententia... : Primum, ut... omnia opera propria, merita, dignitas, gloria et fiducia omnium operum nostrorum in articulo iustificationis penitus excludantur, ita quidem, ut opera nostra neque causae neque meriti ullius in iustificatione, ad quae Deus in hoc negotio respiciat aut quibus nos fidere possimus aut debeamus, vel ex toto vel dimidia aut minima ex parte rationem habeant. Deinde ut hoc officium et haec proprietates fidei solius sit maneatque, quod videlicet sola fides et nulla prorsus alia res sit illud medium et instrumentum, quo Dei gratia et meritum Christi in promissione evangelii apprehendatur, accipiatur nobisque appli-

cetur, et ut ab hoc applicationis officio atque proprietate caritas omnesque aliae virtutes aut opera penitus excludantur.» — *Calv. Instit.* l. 3 c. 11 n. 19 (l. c. p. 548): «Dicimus hominem sola fide iustificari.»

326. c) Contemnunt fidem dogmaticam Catholicorum. Admittunt quidem aliquod *praeivium elementum intellectuale* etiam in fide fiduciali, sed ipsam tamquam actum voluntatis opponunt «*fidei historicae*» Scholasticorum (*Luther*), quae dicitur esse «frigida opinio» (*Melanchthon*). «Adversarii tantum fingunt fidem esse notitiam historiae» (*Apol. Conf. Aug.* a. 4 n. 48 [*Müller* p. 95]). «Nihil altius concipiunt quam vulgarem quendam evangelicae historiae assensum» (*Calv.* l. c. p. 397 s). Cf. de his *Kirn* in REprTh sub «Glaube»¹.

327. d) Fidem iustificantem docent esse fidem fiducialem et specialem. Quae, suppositis notitia et assensu intellectuali, formaliter est actus *voluntatis*, scil. fiducia, qua «peccator se committit Deo, remissionem peccatorum promittenti, nixus firma persuasione, qua credit sibi propter merita Christi ex misericordia Dei peccata esse condonata» (P 361).

Secundum *Grisar* haec doctrina *Lutheri* est *secundus gressus* in evolutione haereseon ipsius². — *Melanchthon*, *Loci communes* 1521, De iustif. et fide (CR 21, 159 ss), impugnat «nugamentis», quae «vulgus Sophistarum» de fide docet, ipse (163) definit: «Est itaque fides non aliud nisi fiducia misericordiae divinae promissae in Christo.» — *Conf. Aug.* a. 4 (*Müller* p. 39). — *Calv. Instit.* l. 3 c. 2 n. 7 fin. (CR 30, 403; P 352).

¹ Hac in re etiam Modernistae valde adversantur doctrinae catholicae. Sed de his solet agi in tractatu de fide.

² Coeperat laxus esse in officiis sui status implendis atque in bona opera fratrum suorum «observantium» invehi (*Selbstgerechtigkeit, Werkheiligkeit*). Morsus conscientiae et angores ex quaestione praedestinationis ortos primum plena *resignatione* in Dei voluntatem sopire studuit. In disputatione *heidelbergensi* a. 1518 vel 19 habita iam distinctius apparet sola fides: «Derjenige ist nicht gerecht, der viele Werke tut, sondern der ohne Werke stark an Christum glaubt» (*Grisar* I p. 257). Dein *Wittenbergi* a. 1518 vel 19, cogitans de Rom 1, 17, subito pervenit ad fidem fiducialem, quae plenam certitudinem iustificationis includit (*Heilsgewissheit durch den Glauben*); v. *Grisar* I p. 304 ss et III p. 978 ss («*das Turmerlebnis*») et *Lutheri* verba apud *Hefner* p. 298: «Der Glaube kann auf keinerlei Weise Glaube sein, wo er nicht ist eine lebhaft und ungezweifelte Meinung, vermöge deren ein Mensch gewiss ist über alle Gewissheit, er gefalle Gott, er habe einen Gott, der ihm gewogen sei und vergehe in allem, was er tut oder vornimmt, oder Gott sei ihm gnädig im Guten und vergehe ihm im Bösen.»

Haec fides vocatur etiam specialis, quia non tantum *generaliter* credit Christum pro peccatis hominum satisfecisse, sed etiam confidit merita Christi *ipsi credenti in particulari* esse imputata. Saepe etiam ita distinguunt, ut fide fiduciali iustitia Christi *primum apprehendatur*, fide speciali apprehensa *servetur* ac retineatur. Est igitur una eademque fides secundum diversos respectus considerata (v. Jos. Hefner, *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes* [Paderborn 1909] p. 297).

4. **Qualificatio.** De fide definita (si *se disponere* sumitur non sensu rigore philosophico, sed magis vulgari: sua operatione vere aliquid praeparatorii conferre).

328. Prob. I. Ecclesia. 1. et 2.: Tridentinum s. 6¹ can. 9 (Dz 819): « Si q. d. *sola fide* impium iustificari, ita ut intellegat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam *cooperetur*, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu *praeparari* atque *disponi*, A. S. » — can. 4 (Dz 814): « liberum hominis arbitrium... nihil *cooperari* assentiendo..., quo ad obtinendam iustificationis gratiam *se disponat* ac *praeparet* ». — cap. 5 (Dz 797): « eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur ». — **cap. 6** (Dz 798) *sex actus* dispositivos describit: fidem, timorem, spem, initium dilectionis, poenitentiam, propositum². — cap. 7 (Dz 799): « Hanc

¹ Historiam tridentini de iustificatione decreti v. Jos. Hefner, *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes* (Paderborn 1909); Hanns Rückert, *Die Rechtfertigungslehre auf dem Trid. Konzil* (Bonn 1925); de hoc altero opere cf. J. Stußler in *ZkTh* 49 (1925) 577—582.

² Concilium neque asserit omnes hos actus in omni iustificatione *necessarios* esse neque eos *necessario hoc ordine* inter se debere succedere; v. P 359 et Hefner (*Entstehungsgeschichte* p. 154): « Wiederholt legte er [der greise *Erzbischof von Armagh*] den Vätern die Gründe dafür dar, dass die Hoffnung der Furcht vorangehen müsse. Er tue das nicht aus Rechthaberei, sondern um des Gewissens willen. Endlich beruhigte ihn eine Erklärung des Präsidenten *Cervino*. Das Konzil wollte nur im allgemeinen die wesentlichen Akte... anführen, ohne im einzelnen der Wirksamkeit der göttlichen Gnade... einen bestimmten Weg vorschreiben zu wollen»; *ibid.* citatur ex *Vega*, *Trid. decr. de iustif. expos.* (p. 89): « Non ita patres sex dispositionum hoc loco meminerunt, ut asserere voluerint eas omnes necessarias esse et neminem vel una earum deficiente iustificari. » — Absolute requiruntur fides, spes et in peccatore personali per se poenitentia, extra sacramentum caritas et contritio perfecta (per accidens implicita in caritate sufficere potest) cum voto sacramenti (saltem implicito). Non necessario requiruntur timor et attritio, quia fidem et spem statim potest sequi caritas cum contritione.

dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur.» Mensura iustitiae receptae est secundum voluntatem Spiritus Sancti et «secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem». Dein (Dz 800) etiam correspondens doctrina *habituum* contra Protestantes docetur, scil. non solam fidem sine spe et caritate perfecte unire cum Christo neque praestare posse vitam aeternam. Cf. can. 19 (Dz 829). — De necessitate poenitentiae ad *recuperandam* iustitiam amissam agit **cap. 14** (Dz 807) et **s. 14** cap. 1 4; can. 4 5 (Dz 894 897 914 s); cf. etiam Luth. pr. 11 s (Dz 751 s) et Quesn. pr. 68 (Dz 1418).

Hinc docente Ecclesia 1. requiritur aliquis bonus motus voluntatis, quo homo ad suam conversionem cooperatur, se praeparat et disponit ad obtinendam gratiam iustificationis. Id obvio sensu intellectum est plus quam non impedire gratiam vel etiam quam ponere meram condicionem. Ex altera autem parte non est ea dispositio moralis, quae per modum *meriti stricte dicti* iustificationem exigit (s. 6 cap. 8 [Dz 801]). Deus propter dispositionem remotam dabit gratiam ad propinquiorem, et, ubi primum proxima dispositio habetur, infallibiliter iustificat. Quatenus dispositio est *causa moralis*, propter quam Deus iustificat, induit aliquam rationem *meriti de congruo* vel saltem *impetrationis*. — 2. Praeter fidem requiruntur alii actus. Hoc saltem in genere definitur, et speciatim ad iustificationem peccatoris personalis actus poenitentiae definiuntur necessarii.

329. 3. Fides dogmatica clare exprimitur s. 6 **cap. 6** (Dz 798): «fidem *ex auditu* concipientes... credentes vera esse, quae divinitus *revelata* et promissa sunt, atque illud imprimis a Deo iustificari impium per gratiam eius, quae est in Christo Iesu». Haec fides secundum cap. 8 (Dz 801) «est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis». **Vaticanum** fidem, «quae humanae salutis initium est», diligentissime tamquam dogmaticam describit: «qua... ab eo [Deo] *revelata* vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei *revelantis*» (Dz 1789). De hac fide docet: «Nemini unquam sine illa contigit iustificatio» (Dz 1793). — Antiquissima **praxis Ecclesiae** exigit a catechumenis, ut ad baptismum se praepararent recitatione principalium *dogmatum* in *symbolo* collectorum¹.

¹ «Remissionem peccatorum» symboli *apostolici* explicat symbolum *constantinopolitanum* (Dz 86): «Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.» Ergo hoc articulo nequaquam intellegitur fides fiducialis sive specialis.

330. 4. S. 6 cap. 9 (Dz 802) reicitur «*vana et ab omni pietate remota fiducia*» haereticorum. «Neque... oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos... atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici... Nam... quilibet... de sua gratia formidare et timere potest, cum *nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*, se gratiam Dei esse consecutum.» — **can. 12:** Fides iustificans non est fiducia divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum. — **can. 13:** Ad remissionem peccatorum non est necessarium, ut homo certo et absque ulla haesitatione credat peccata sibi esse remissa. — **can. 14:** Fides fiducialis neque iustificat neque necessaria est ad veram iustificationem neque perficit absolutionem et iustificationem (Dz 822—824).

331. De longa *discussione huius quaestionis* in Trid. facta v. **Hefner** p. 297—328 (*Gnadengewissheit*) et P 369. Omnes contra Lutherum tenebant certitudinem fidei de propria iustificatione non requiri. Dominicani cum S. Thoma negabant hominem sine speciali revelatione posse habere plus quam certitudinem *coniecturalem*. Multi alii, testimonio *Gabrielis Biel* freti, putaverunt Scotum docere possibilitatem certitudinis *fidei* etiam sine revelatione privata; quare noluerunt Scotum damnare, neque deerant, qui isti doctrinae faverent, inter quos praeter Ambr. Catharinum O. P. etiam legatus card. De Monte (postea Iulius III). In 1^a delineatione decreti (m. Iul. 1546) cum S. Thoma docebatur statum gratiae conici tantum, non certo sciri a iustificatis. Orta oppositione 2^{um} schema (m. Sept.) cautius redactum est neque tamen approbationem Catharini aliorumque invenit. Diuturnae theologorum disputationes (m. Oct.) quaestionem non satis elucidaverunt. Neque novum schema (m. Nov.), in favorem Scotistarum mutatum, consensum Patrum obtinuit. Quare hoc caput usque ad finem sepositum est. Omnibus aliis perfectis (m. Dec.) De Monte proposuit, ut haec quaestio omitteretur. Sed card. Pacheco et alii praelati, qui ex politicis rationibus secundum voluntatem Caroli V imperatoris promulgationem decreti retardare studebant, postularunt, ut res dirimeretur. Sic, cum (m. Ian. 1547) iterum de hac quaestione disputaretur, coeperunt conceptum certitudinis fidei accuratius determinare inveneruntque diversitatem in ipsa doctrina non esse adeo magnam, quoniam Thomistae imprimis negabant «certitudinem fidei *catholicae sive infusae*», Catharinus cum Scotistis affirmabat «certitudinem fidei *particularis sive acquisitae*», cui absolute subesse possit falsum. Tandem (d. 9 Ian.) omnes assenserunt formulae: «certitudine fidei, cui non potest subesse falsum». Notat secretarius concilii: «Et ita cum magno gaudio omnes recesserunt.» Promulgatum est decretum paucis diebus post (d. 13. Ian.). — Annis sequentibus controversia fuit inter *Dom. Soto* et *Ambr. Catharinum*. *Andreas de Vega* O. M. Obs. mediam inter duos Praedicatores tenuit sententiam.

332. Cum Tridentinum cap. 9 (Dz 802) expresse reiciat « certitudinem *fidei*, cui non potest subesse falsum », pariter videtur excludenda esse certitudo *conclusionis* theologicae omnino *infallibilis*. Syllogismus esset: « Deus iustificat omnem hominem recte dispositum. Atqui ego recte me disposui. Ergo iustificatus sum. » Sed minor sine peculiari revelatione nequit esse infallibiliter certa. Potest autem quandoque haberi moralis illa certitudo latiore sensu, qua saepe in gravissimis rebus vitae practicae contenti esse debemus. Sic anxiam formidinem excludere licet: « Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum » (Rom 5, 1) ¹.

333. II. Scriptura. 1. Bonis actibus peccatoris aliquem influxum causalem in iustificationem tribuit: a) Fidei. Paulus docet hominem iustificari *πίστει* (Rom 3, 28; cf. 5, 2), quo dativo instrumenti vera *hominis cooperatio* exprimitur; Deum iustificare *διὰ πίστεως* (Rom 3, 30), i. e. hoc *medio* uti ad iustificandum hominem; Deum iustificare *ἐκ πίστεως* (Rom 3, 30; Gal 3, 8; cf. Phil. 3, 9) et hominem iustificari *ἐκ πίστεως* (Gal 3, 24), ubi fides ad minimum ut *condicio* praevia a Deo requisita, sed multo probabilius tamquam *fontis* iustitiae (secundarius, sub Deo fonte primario, Phil 3, 9) designatur; nam Rom 3, 30 parallele dicitur *ἐκ* et *διὰ πίστεως* (v. n. 318s et 202, 2; Lagrange, Rev. bibl. [1914] 490—494; Bartmann, St. Paulus u. St. Jacobus, 72—77). — b) Aliis quoque actibus. Hoc S. Paulus eo docet, quod *fidem iustificantem* non ut nudam fidem, sed *coniunctam cum spe et caritate* bonisque operibus *actuosam* exhibet (v. infra sub 2 b). Lc 7, 47: « Remissa sunt ei peccata multa, quoniam (*δτι*) dilexit multum. » ² — Act 2, 38: « *Poenitentiam* agite (*μετανοήσατε*) et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem pecca-

¹ Hefner p. 327: « Darum verlangt sie [die Kirche] als Grundstimmung eines wahrhaft christlichen Lebens vertrauensvolle Hingabe an Gott... und warnt vor dem törichten und gefährlichen Beginnen, hienieden über den eigenen Gnadenstand, wie über die Geheimnisse der Prädestination eine absolute Gewissheit erlangen zu wollen. Im Gegenteil, der Mensch darf und soll beim Gedanken an seine eigne Unbeständigkeit für sein ewiges Heil fürchten. Aus beiden, Hoffnung und Furcht, resultiert jene Spannung, die Grundbedingung des sittlichen Strebens ist. Weder die Hoffnung, welche die Menschen leichtfertig macht, noch die Furcht, welche als beständige Angst, als lähmender Schrecken die sittliche Tatkraft hemmt, ist aus Gott. » — Cf. E. Harent, Espérance (DdTh 5, 620).

² V. Knabenbauer: « i. e. sua dilectione magna meruit remissionem peccatorum suorum multorum... Dilectio itaque declaratur causa remissionis... Christi enim verba id clarissime enuntiant. » Sic Patres et exegetae catholici satis communiter. « Propter parabolam de debitore, cui multum remissum est et qui

torum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.» — Tob 12, 9: «*Eleemosyna a morte liberat et ipsa est, quae purgat peccata*» (cf. Dan. 4, 24). — Iac 2, 21—24: Abraham *ex operibus* iustificatus est, offerens Isaac. Fides cooperabatur operibus. Ex operibus iustificatur homo.

334. 2. Praeter fidem alios actus postulat: a) *positive* exigens alios actus (v. 1 b). Porro Ez 18, 21: «Si impius egerit poenitentiam... et custodierit omnia praecepta mea..., vita vivet.» — Lc 13, 3: «Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis» (neque quoad solum corpus). — Mt 4, 17: *μετανοείτε*. — Mc 1, 15: *μετανοείτε καὶ πιστεύετε*. — b) *explicitè negans* solam fidem satis esse. Sic ex professo Iac 2 (hanc epistulam «stramineam» nihil spiritus evangelici habere Luther conquestus est). Pugnatur S. Iacobus contra quosdam, qui (similiter ac postea Luther) Pauli male intellecti auctoritate fulti antinomismum sive libertinismum profitebantur (cf. etiam 2 Petr 3, 16). Iac 2, ad Rom 4, ut videtur, alludens, verba ad speciem contradictoria profert. V. 8 lege regali commendata, v. 14 interrogat: «Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?» 17: «Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.» 19: «Et daemones credunt et contremiscunt.» Dein 20 ss fidem sine operibus mortuam esse ostendit eodem *exemplo Abrahæ*, quo Paulus Rom 3, 28 et 4, 1 ss probat «iustificari hominem per fidem sine operibus». Tamquam opus iustificans Iac 2, 21 affert oboedientiam quam Abraham in immolatione filii Isaac praestitit. 22: Fides cooperabatur operibus et ex operibus perfecta reddita est (*ἐτελειώθη*). 23: De hac fide operibus perfecta valet: «Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.» 24: «Videtis, quoniam ex

ideo multum diligit, aliqui putabant etiam haec verba... eodem modo esse accipienda: remissa sunt ei peccata multa, quod eo signo et argumento manifestum est, quia signa multa dilectionis ostendit; *quoniam* igitur significare non causam rei sed probationis... Quam explicationem multi protestantes amplexi sunt, haud raro eo quoque consilio, ut catholicam doctrinam de contributione caritate perfecta impugnarent... Verum haec acceptio verbis adeo planis vim infert, dum illud *quoniam* non nativa sua notione relinquitur, sed quaedam suppletur, quorum nullum est in textu vestigium. Accedit, quod, quae mulier egit, non acta sunt in gratiarum actionem de remissione iam accepta.» E contra misericordiam et veniam efflagitat, de accepta venia non antea edocta. Ex similitudine praecedente non sequitur nunc in v. 47 eodem modo fieri applicationem atque antea in v. 42.

operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum?» 26: «Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.»

335. Contradictio inter duos apostolos est apparens tantum, non realis. Paulus negat opera legis secundum modum et intentionem plurimorum Iudaeorum facta iustificare. Bona enim opera, quae *neglecta Dei gratia solis naturae viribus* fiunt, non possunt bona salutaria a Deo promissa tamquam mercedem ex iustitia debitam postulare, idque eo minus, si factores in *sola externa observantia* fiduciam ponant, cor pravum mutare nolentes (cf. prophetas adversus hunc populi animum pugnantes et Christum iustitiam Pharisaeorum damnantem). Iacobus hisce nequaquam negatis affirmat ea opera, quae ex vera erga Deum *oboedientia* et in proximum *caritate* procedant, aliquid *ad iustificationem valere debereque* ad fidem ut principium vivificans et perficiens *accedere*. Tantum abest, ut Paulus haec neget, ut *alibi* apertissime *eadem doceat*: 1 Cor 13, 1 ss: Sine caritate (proximi, quae supponit caritatem Dei) sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens, nihil sum, nihil mihi prodest, etsi habuero omnia charismata et omnem fidem (miraculorum, quae supponit dogmaticam). — Gal 5, 6: «In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur» — *πιστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, i. e. fides, quae per caritatem vim suam exserit, per caritatem actiosa, a caritate ad operandum impulsa (Zor.). *Μέδιον ἐνεργουμένη* a nonnullis *passive* intellectum est, et quoniam *ἐνέργεια* est forma substantialis aristotelica, ortus est terminus «fides caritate formata», qui licet minus recte in Paulo, iure tamen in Iac 2, 26 fundatur, ubi caritas, quae fidem perficit, comparatur spiritui corpus vivificantī, i. e. formae substantiali corporis. — Cf. de his v. g. L. *Gaugusch*, Der Lehrgehalt der Jakobusepistel (Freiburg 1914) 42—54; E. *Tobac*, Le problème de la justification dans s. Paul et dans s. Jacques (Rev. d'Hist. eccl. 22 [1926] 797—805); R. *Lemonnyer* in DdTh 8, 2075 s.

336. Quomodo Paulus aliquoties soli fidei, nullo alio actu memorato, iustificationem tribuat, *duplex* a catholicis data est *explicatio*, utraque nixa verbis S. Augustini (*De fide et operibus* 13, 20 et 14, 21 [ML 40, 210 s]): a) Antiquiores exegetae et apologetae (B. *Bellarminus*, *Bonfrère* etc.): Paulus nunquam omnes simul causas iustificationis enumerat, sed modo unam, modo aliam indicat; sic Rom 3, 24 gratiam, Eph 5, 26 et Tit 3, 5 baptismum, 1 Cor. 7, 19 observationem mandatorum Dei, Gal 5, 6 fidem caritate actuosam, et saepe fidem simpliciter. Idem in evangeliiis observatur: Io 3, 5 baptismus, Mc 16, 16 fides et baptismus, Io 6, 44 et 15, 5 gratia, Mt 4, 17 poenitentia, 19, 16 ss observatio mandatorum, 10, 22 perseverantia. Hanc explicationem praefert *Harent*, DdTh 6, 70 ss. — b) Multi recentiores magis conveniunt cum explicatione eorum modernorum Protestantium, qui doctrinam de sola fide quoad rem dereliquerunt: Paulus fidem iustificantem intellegit fidem vivam, i. e. practice eam animi dispositionem,

quae omnia a Tridentino requisita includit. Sic *Lagrange* (l. c. p. 490): Paulus intellegit hominem, qui credens simul practicas e fide sua consequentias deducit, qui evangelium toto corde amplectitur, remissionem peccatorum desiderat, iustitiam a Deo oblatam appetit, fidem per caritatem reddit actuosam. Similiter *Prat* (II^o 285 s), P 354, *Bartmann* (l. c. p. 47)¹, *Lemonnyer* (DdTh 8, 2061—2063).

337. 3. Fundamentum reliquarum dispositionum est fides proprie dicta et dogmatica. **Rom** 1, 16 s: « Non enim erubesco evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. »² *Ἐδωγγέλιον* apud Paulum est fides *obiectiva* sive summa veritatum *πιστει* i. e. fide *subiectiva* amplectendarum. *Πιστις* vi vocis etiam potest esse *fiducia*, sed si agitur de fide *in evangelium*, est vel formaliter dogmatica vel saltem fundamentaliter, quia semper assensus intellectualis est *fundamentum*, etiam quando obiectum sunt promissiones divinae. Evangelium igitur fide dogmatica susceptum (et sic fiduciam excitans atque ad consequentias practicas impellens) virtutem operandi salutem a Deo accepit et eiusdem iustitiam salvificam manifestat (qua ipse iustus est et credentes iustos facit; cf. n. 318). — Etiam in exemplo *Abrahamae* fides, quae ei reputata est ad iustitiam (**Rom** 4, 3), est *fundamentaliter assensus dogmaticus* in veritatem divinae promissionis: « Quia patrem multarum gentium posui te » (v. 17), ex quo actu *sequitur fiducia*. Sic Abraham est exemplar nobis, « quibus reputabitur [ad iustitiam] credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram » (v. 24). Hic indicatur obiectum fidei, quod ostendit eam esse

¹ « Er [der rechtfertigende Glaube] ist eine den ganzen innern Menschen in Anspruch nehmende sittliche Leistung, worin sich alle geistigen Potenzen und guten Eigenschaften des Menschen betätigen können und müssen. Er ist der Inbegriff aller jener sittlichen Tätigkeiten, ohne welche das *ὁδὸν διδόναι τῷ θεῷ*, die gehorsame Unterwerfung unter die Offenbarung Gottes, nicht möglich ist. Daher umschliesst er auch alle verwandten Akte, die entweder in der vollkommenen *πιστις* schon enthalten sind oder doch unter dem Einfluss der Gnade sich daraus entwickeln... : Anerkennung der eigenen Sündhaftigkeit und der Unfähigkeit, aus sich selber gerecht zu werden (**Rom** 7, 24 s), Hinwendung zu Gott in Hoffnung und Vertrauen (**Rom** 8, 24; 10, 12 s), Abkehr von der Sünde und Sehnsucht nach der Gnade (**Rom** 7, 24). »

² Videtur « ex fide in fidem » idem hebraismus esse sicut « ex virtute in virtutem », « ex morte in mortem », « ex vita in vitam », ad exprimentum aliquem *continuum progressum*: « ex fide perpetuo crescente » (*Lagrange*, Comm. p. 20).

dogmaticam. — Item fides dogmatica exhibetur salutifera Rom 10, 9: «Si confitearis in ore tuo Dominum (esse) Iesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.» — **Hebr** 10, 38: «Iustus autem meus ex fide vivit.» Hanc fidem esse dogmaticam ostendit totum cap. 11, in cuius v. 1 fides dicitur solidum fundamentum spei et *ἐλεγχος* non visorum, qui terminus necessario refertur ad actum *intellectualem*; v. 3 est sermo de obiecto fidei *pure intellectuali*: aptata esse saecula verbo Dei; v. 6 obiectum illius fidei, sine qua impossibile est placere Deo et ad eum accedere (aliis verbis: iustificari), indicatur: *οτι εἰσιν και τοις ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδοτής γίνεται*. In omnibus aliis exemplis haec fides dogmatica saltem subiacet. Ubi connotantur *affectus*, praeter fiduciam etiam *timor* occurrit (v. 7 de Noe), et fiducia in nullo exemplo *remissionem peccatorum* pro obiecto habet. — Cf. Mc 16, 15 s: «Praedicate *evangelium*... Qui crediderit..., salvus erit», et Io 20, 31: «Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes [*hoc dogma*] vitam habeatis in nomine eius.»

338. 4. Fidem fiducialem Scriptura nunquam commendat, saepius autem deterret a vana fiducia. Ubi *πίστις* est *fiducia*, tamen non includit firmam et absolutam persuasionem credentis sibi peccata esse remissa, sed dicit generalem quandam fiduciam in misericordiam Dei, parati ad remittenda peccata ei, cui Christi merita rite applicantur. Quando agitur de statu ipsius credentis, exprimitur *moralis certitudo* obtentae iustificationis, hausta ex conscientia dilectionis Dei (maxime Rom 8, 31—39). — Phil 2, 12: «Cum metu et tremore vestram salutem operamini.» — 2 Petr 1, 10: «Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.» Ergo iustitia sane non conservatur per solam fidem specialem¹.

¹ Eccli 5, 5: «De propitiato peccato noli esse sine metu.» Textus hebr. potest explicari de propitiando peccato: «De venia (futuri peccati) noli confidere.» Qui sensus commendatur ex sticho subsequente: «neque adicias peccatum super peccatum», et textu graeco. Quare hoc argumentum melius omittitur. — Sine dubio abest idea incerti status gratiae ab Eccle 9, 1: «Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.» T. hebr. «nescit homo amorem aut odium», vult exprimere: Homo generatim nescit futuram suam sortem et speciatim, utrum suis operibus sibi comparaturus sit amorem an odium hominum (v. *Gietmann, Comm.*).

339. III. Patres¹. 1. Postulant veram dispositionem ex parte hominis, praesertim per fidem. **Augustinus** (*Serm.* 169, 11, 13 [R 1515]): «Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.» Saepissime dicit fidem *impetrare* vel aliquo modo *mereri* iustificationem, v. g. *De spir. et litt.* 29, 51: Iustificatio ex fide impetratur. 32, 56: Caritatem fides ipsa impetravit. 33, 57: Gratia, quam fides impetrat. — *Epist.* 186 (*ad Paulinum*) 3, 7 (R 1445): «Quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent caritatem.» — 3, 10 (R 1446): «Ut merear iustificationem, habeo fidem... Fides impetrat iustificationem»; sed quoniam fides est donum gratiae, «ipsa gratia meretur augeri». — *Epist.* 194 (*ad Sixtum*) 3, 9: «Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.» — *De fide et oper.* 21, 39 (ML 40, 222)².

2. Praeter fidem alios actus exigunt. Clemens Rom., *1 Cor.* 34, 2 (R 15): Abraham benedictus fuit, quia iustitiam et veritatem per fidem operatus est. — Clemens Al., *Strom.* 2, 6, 31, 1 (R 419): Fides est ἡ πρώτη πρὸς σωτηρίαν νεύσις (inclinatio), «post quam timor et spes et poenitentia cum continentia et tolerantia proficientes nos ducunt ad amorem et cognitionem». — 6, 14, 108, 4 (R 428): «Non accipimus eum [Christum] dicere simpliciter eos salvos futuros, qui *quomodocunque* crediderint, nisi *opera* quoque fuerint secuta.» — Origenes, *In Io* 19, 23, 152 (R 481): Fides sine operibus mortua. — Gregorius Nyss., *In Eccle* hom. 8 (R 1024): „Ὅντε γὰρ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων τῆς δικαιοσύνης ἰκανὴ περισώσασθαι, nec rursus vitae iustitia per se ad salutem secure est disiuncta fide.» — Chrysostomus, *In Io* hom. 31, 1 (R 1163): Nequaquam sufficit credere in Filium, ut vita aeterna habeatur. Christus suum verbum declarat dicens: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine etc. «Nam etsi quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, *si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem.*» — Ambrosius, *In Lc* 10, 88 s (R 1310): «Petrus doluit et flevit... Bonae lacrimae, quae lavant culpam.» — **Augustinus** a. 413 proprium

¹ Multos textus Patrum affert et ex parte exponit *J. Rivière*, art. *Justification* (DdTh 8, 2081 ss).

² Aliquoties in eiusmodi textibus, sicut etiam in Scriptura est sermo de augmento iustificationis, quod fides viva de condigno meretur.

librum scripsit «*De fide et operibus*» (ML 40, 197—230), quo (secundum 1, 1) vult refutare, qui has teneant sententias: Indiscrete omnes admittendos esse ad baptismum, etiamsi malam vitam evidenter notam mutare noluerint; neque ante, sed post baptismum dandam esse vitae morumque doctrinam; quam baptizatus si tenere et custodire voluerit, utiliter fecerit; si autem noluerit, retenta fide christiana, in quolibet scelere permanserit, salvum eum futurum tanquam per ignem¹.

¹ **Ad. Harnack**, *Geschichte der Lehre von der Seligkeit allein durch den Glauben in der alten Kirche* (Zeitschr. f. Theol. u. Kirche 1 [1891] 82—178) falsa et improbabilia cum veris miscet. Putat doctrinam de sola fide esse paulinam et in se optimam, sed ostendit omnia fere tentamina eam practice in veterem Ecclesiam introducendi prodidisse ex malis motivis et duxisse ad malas sequelas. Disserit praesertim de iis, contra quos scribit apostolus Iacobus, de Callisto papa praxim poenitentialem mitigante (p. 122: «Der vielgeschmähte Kallist redet evangelisch»), de Heraclio, de Ioviniano (152: «Man darf ihn wirklich einen »Wahrheitszeugen des Altertums« und einen »Protestanten seiner Zeit« nennen.» 153: «Aber trotz allem, ... konnte man mit diesen Lehren... heidnische Völker erziehen?... Hieronymus und Ambrosius verteidigten ein wertvolles Gut wider den evangelischen Neuerer.»), de adversariis, quos Augustinus in libro *De fide et operibus* impugnat (174: «In Wahrheit ist die Lehre dieser Leute eine ganz unerträgliche, und Aug. hat volles Recht gehabt, sie zu bekämpfen.» 176: «Unverkennbar ist, dass die These »der Glaube allein macht selig« ihre feinste und konsequenteste, aber auch gefährlichste Ausgestaltung bei den Gegnern Augustins erlebt hat.» 177: «Augustin hat das letzte Aufleben dieses Satzes in der alten Kirche erlebt, und er hat ihn für ein Jahrtausend zum Schweigen gebracht.» 172: «Das rettende Wort war: »Der Glaube, der in der Liebe tätig ist.« 177: «Die These, dass der Glaube allein selig mache, ist von dem katholischen Theologen überwunden worden, der dieser These am nächsten gestanden hat.» In fine ait (177): «Die Geschichte des »sola fide« ist die beste Rechtfertigung für die augustinische Justifikationslehre. Fast durchweg — wenn nicht durchweg — hat sittliche Laxheit, Leidenssücht, Mangel an brüderlicher Liebe und mangelnder Bussernst sich mit dem »sola fide« zu decken versucht. Wie kann man sich da wundern, dass es die Kirche abgelehnt hat?» Affirmat quidem (178): «Niemand kann verkennen, dass die Reformation aus einer sittlichen Erhebung erwachsen ist... Dass die Formel »sola fide« mit dem ersten Ringen um ein neues Leben vereinbar ist, ja es allein sicher und freudig begründet, dafür ist der Beweis in den evangelischen Kirchen geliefert worden.» Sed debet addere: «Aber andererseits kann niemand verkennen, dass die Missstände, um deren willen in der alten Kirche das »sola fide« verdächtig geworden ist, sich auch in der Geschichte des Protestantismus — und zwar sehr frühe — eingestellt haben [uberrima pro hoc facto testimonia v. apud Döllinger, *Die Reformation, et praesertim apud Janssen-Pastor*, *Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters*]. Sie sind dann eine Kalamität in ihnen geworden und leider geblieben; denn als Schlagwort einer Kirche, die Massenkirche geworden ist..., ist das sola fide höchst gefährlich.» — Fr. Loofs, art. *Pelagius* (REprTh 15, 753 s) satis mire *Pelagium*

3. Fidem iustificantem ex sententia Patrum esse dogmaticam abunde probatur in *tractatu de Fide*.

4. Absolutam obtentae iustitiae certitudinem reiciunt inter alios Hieronymus, *In Eccle* 9, 1 (R 1374). — Augustinus, *De perf. iust.* 15, 33 (R 1800): «Quantalibet enim iustitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex iustus sederit in throno.» — Gregorius M., *Epist. ad Gregoriam matronam* (R 2296), quae ab ipso voluerat certo discere peccata sibi dimissa esse. — Bernardus, *Serm. 1 de Septuag.*, n. 1 (ML 183, 163).

340. IV. Theologos docuisse et docere hanc thesim nemo est qui neget, licet antiquiores exegetae interdum de «sola fide iustificante» incautius loquantur, quam post ortum lutheranae haeresis permitti possit. Inde a *Petro Lombardo* synthesim doctrinae patristicae perficere conati sunt; quae synthesis maxime promota est per *Alexandrum Halensem*, qui schema 4 causarum aristotelicarum in doctrinam iustificationis introduxit, et per *S. Thomam*. Sic via parabatur concilio *Tridentino*, cui ingens progressus evolutionis doctrinalis debetur (cf. *Rivière*, *DdTh* 8, 2006 ss). — De scholastica disputatione, qua certitudine propria iustificatio absque revelatione sciri possit, v. supra n. 331 et *Hefner* p. 297—303. — **S. Thomas** plurima de hac re habet.

S. th. 1, 2 q. 109 a. 6 (v. n. 223). — q. 111 a. 2 ad 2: «Deus non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrii, dum iustificamur, Dei iustitiae consentimus.» — q. 112 a. 2 (v. n. 223). — a. 3: Haec praeparatio habet necessitatem infallibilitatis ad id, ad quod ordinatur a Deo. — a. 4: Gratia maior et minor dependet a diversa praeparatione, cuius ratio ultima est diversa dispensatio gratiae ex parte Dei. — a. 5: Per revelationem ex speciali privilegio habitam, sed non per se ipsum homo potest certitudinaliter scire se habere gratiam, idque propter excellentiam principii et obiecti gratiae, quod est ipse Deus. Coniecturaliter id per aliqua signa cognosci potest, in quantum homo percipit se delectari in Deo et contemnere res humanas neque est conscius sibi peccati mortalis. — ad 2: De perfectionibus *intellectus*, ut sunt

habet patronum doctrinae de sola fide iustificante. — *Rivière* (*DdTh* 8, 2102) doctrinam Patrum sic complectitur: «En un mot, toute l'ancienne Eglise est d'accord, sans exception ni progrès appréciable, pour affirmer que la justification, si elle est un don de la grâce divine, requiert aussi le concours de notre bonne volonté et que celle-ci doit se manifester par les œuvres aussi bien que par la foi.»

scientia et fides, homo habere potest certitudinem, non de perfectionibus *virtutis appetitivae*, ut sunt gratia et caritas. — In q. 113 (de effectibus gratiae) multa dicuntur de dispositione proxima, quae concipitur tamquam gratiae effectus. Iustificatio praeter remissionem peccatorum (a. 1) et infusionem gratiae (a. 2) etiam importat secundum a. 3 in adulto motum liberi arbitrii. Deus enim omnia movet secundum modum uniuscuiusque; quare hominem ad iustitiam movet secundum conditionem naturae liberae. Ergo ita infundit donum gratiae iustificantis, ut *simul moveat liberum arbitrium* ad illud acceptandum. — ad 1: Pueri sicut peccatum, ita etiam iustitiam habent sine actu propriae voluntatis. — a. 4: Deus movet animam convertendo eam ad se ipsum; prima autem *conversio* sive iuxta Hebr 11, 6 *accessus* ad Deum fit per fidem. — ad 1: Recte etiam aliis actibus a Scriptura tribuitur iustificatio. Unus idemque actus, quia est ordinabilis ad diversos fines, potest esse diversarum virtutum. Ultimus actus dispositivus, scil. motus fidei perfectus et iustificans, est caritate informatus et qua motus subiectionis sub Deo est actus timoris filialis et humilitatis. Actus misericordiae potest per modum praeparationis imperfectae praecedere iustificationem vel etiam ad eandem concurrere, prout includitur in dilectione proximi. — ad 2: Ad hanc conversionem *non sufficit naturalis cognitio Dei* (sed requiritur fides proprie dicta et supernaturalis). — ad 3: Requiritur fides in Deum iustificatorem per mysterium Christi. — a. 5: Cum in omni motu etiam *terminus a quo* respiciendus sit, mens humana, accedens ad Deum, debet *recedere* a peccato, i. e. per desiderium tendens in Dei iustitiam, simul debet detestari peccatum. — ad 1: Ad caritatem pertinet detestari peccata. — ad 3: Sufficit, ut in motu concurrente ad iustificationem homo *universaliter omnia* peccata commissa detestetur, inter quae etiam includuntur peccata oblivioni tradita. — a. 6: Quattuor igitur requiruntur ad iustificationem impii. In omni motu distinguuntur *motio moventis, motus mobilis, perventio ad finem*. Quibus in iustificatione respondet infusio gratiae ex parte Dei, duplex motus liberi arbitrii, accessus scil. ad terminum ad quem per motum fidei in Deum, et recessus a termino a quo per motum detestationis peccati, remissio culpa (sive susceptio gratiae ex parte hominis). — a. 7: Haec quattuor fiunt eodem instanti. Nam tota iustificatio originaliter consistit in gratiae infusione; per eam liberum arbitrium movetur et culpa remittitur; gratia autem in instanti infunditur. Infinita enim Dei virtus non indiget tempore ad disponendam materiam, et liberi arbitrii motus potest esse instantaneus. — Dein a. 8 quaeritur, quo ordine naturae ista quattuor inter se succedant; v. schol. 2.¹ — S. th. 3 q. 85 a. 5 enumerat *sex actus poenitentiae*, qui articulus quodammodo exemplar fuit Tridentini s. 6 c. 6.

¹ Haec quattuor ad iustificationem requisita non a S. Thoma primo statuta sunt, sed iam leguntur similia in sermone aliquo, qui attribuitur *Hildeberto Cenomanensi* (c. a. 1133): Iustificatio prima « tres quasi filias habet, quarum prima est gratiae infusio, secunda arbitrii cooperatio, tertia delicti deletio » (ML. 171, 542); dein (paululum mutata) apud *Simonem Tornacensem, Stephanum*

341. V. Ratio convenientiae pro cooperatione liberi arbitrii indicatur a *S. Thoma* 1, 2 q. 113 a. 3. — Necessitas singulorum actuum probatur *ibid.* a. 4 et 5. — Contra Protestantium fidem fiducialem absolute certam argui potest: a) Nihil potest fide divina credi, quod non est a Deo revelatum. Atqui iustificatio singulorum non revelatur nisi in quibusdam raris casibus¹. — b) Deus rem utiliter ita instituit, ut humilitas servetur, praesumptio et superbia praecludatur (v. *Hefner*, supra n. 332 not.). — c) *Ad hominem*: Protestantes affirmant illam absolutam certitudinem singulis a Spiritu Sancto conferri. Sed cum alii sectarii (sacramentarii, anabaptistae, quos Luther vocabat «*Rotten- und Schwarmgeister*») ad idem testimonium internum provocarent, Lutherani id minime sufficiens signum iustificationis agnoscebant, aliis verbis in praxi a sua doctrina recesserunt (v. P 366—368).

342. Scholium 1. De dispositione morali et physica. Patet dispositionem, de qua egimus, esse moralem. Actibus enim moralibus moralis quaedam idoneitas ad formam iustitiae supernaturalis introducit. Eam simul esse physicam multi negant, v. g. *Suar.* l. 8 c. 4 n. 15; c. 5 n. 4 (contra *Alvarez*); P 357; *Ber.* 670. Iure sine dubio negatur productionem gratiae habitualis omnino eodem modo praeparari, quo secundum veteres *generatio physica* dispositione materiae praeparatur. Sed si dispositio physica paulo latius intellegitur, anima ad recipiendam iustitiam supernaturalem praeviis actibus salutaribus (vel etiam habitibus informibus, quatenus remanserunt vel forte ante iustificationem infunduntur; cf. n. 400 s 479 481) aliquatenus etiam physice praeparari ac disponi recte dici videtur. Naturaliter enim ad dona ista supernaturalia suscipienda homo nihil habet nisi meram passivam potentiam oboedientialem. Illi autem actus dispositivi (et habitus informes) sunt entitative et simpliciter supernaturales (th. 10). Ergo sua essentia physica sunt in eodem ordine perfectionis cum gratia sanctificante. Quare anima, quae his accidentibus secundum quid,

de Langton, Praepositinum, alios; v. A. Landgraf, *ZkTh* 51 (1927) 183; cf. etiam *Petrum Pictaviensem*, Sent. l. 3 c. 2 (ante a. 1175): «Ad iustificationem impii quattuor occurrunt: infusio gratiae, motus surgens ex gratia et libero arbitrio, contritio, peccatorum remissio» (ML 211, 1044); *Guil. Antiodorensem*, Summa aurea 3 (Parisiis 1500) 121, 4 ss; alios apud *Jos. Göttler*, *Wirkungen des Bussakramentes* (Freiburg 1904) 58 s.

¹ Num cum infallibili certitudine concludi possit, v. supra *Tridentinum* n. 332 et *Thomam*, *S. th.* 1, 2 q. 112 a. 5.

i. e. secundum aliquem *actum* vitalem (vel etiam permanenter secundum aliquam potentiam *habitu informi* instructam), physice et entitative supra ordinem creaturarum elevatur, videtur etiam physice positivam aliquam idoneitatem nacta esse ad ulteriora dona supernaturalia et tandem ad ipsa dona iustificationis recipienda. Infusio gratiae sanctificantis, licet talem dispositionem physicam non requirat, ut in parvulis videmus, in adultis de facto sine eadem non habetur. — Contra hunc modum concipiendi argumenta pro dispositione morali tantum allata nihil probant, et ex altera parte dispositio aliquo modo physica melius cohaerere videtur cum entitativa supernaturalitate actuum disponentium, quam adversarii nobiscum admittunt. — Similis quaestio agitur, utrum illi actus vitales indeliberati, in quibus secundum nos consistit ipsa *gratia actualis elevans*, in deliberatum actum salutarem exercent influxum physicum an mere moralem. *Suarez* utique sibi constans etiam in hac quaestione influxum physicum actus in actum negat, *Pesch* autem et *Beraza* eum admittunt (v. th. 19 n. 521 528). — Cf. de hac quaestione *Rivière* (DdTh 8, 2216 s).

343. Scholium 2. S. Thomas de relatione causali inter proximam dispositionem et gratiam habitualem. Saepius hanc doctrinam tractat; eius vero sententia haud facile intellegitur neque semper eadem fuisse videtur (cf. *Stufler*. D. Thomae doctrina de Deo operante n. 223—230).

In 4 d. 17 q. 1 a. 4 agit de ordine naturae inter ea quatuor, quae ipso instante iustificationis habentur (v. n. 340 fin.). Dicit qc. 1 posse esse mutuam duorum causalitatem secundum diversum genus causae, «sicut ambulatio est causa efficiens sanationis et sanatio est causa finalis ambulationis». Simile quid ait haberi inter materiam et formam. Causa autem natura est prior causato. Hinc potest etiam esse mutua prioritas duorum in diversarum ordine causarum. Gratiae infusio et remissio culpae se habent ut introductio unius formae et expulsio alterius. Quare «secundum ordinem causae materialis [ad quem spectat etiam dispositio materiae et remotio impedimenti] remissio culpae praecedit infusionem gratiae; sed secundum ordinem causae formalis [et consequenter etiam] efficientis et finalis *infusio gratiae natura prior est*». — qc. 2. Motus liberi arbitrii, qui sunt in ipsa iustificatione impii, quasi dispositio ultima ad gratiae susceptionem, «*praecedunt* quidem in via causae materialis, sed *sequuntur* in via causae formalis». Ideo sicut in generatione naturali «*qualitates, quae introducuntur simul cum forma substantiali, quodammodo formantur per formam substantialem*», ita motus iste liberi arbitrii formatur per

gratiam, « si tamen *continuatus* in fine perficiatur per gratiae infusionem ». (Quoniam semper docet motum liberi arbitrii utpote spiritualem esse *instantaneum*, haec continuatio potius intellegenda videtur conformiter ad *In 2 d. 5 q. 1 a. 1* et *In 1 d. 17 q. 2 a. 3* tamquam *repetitio* actus, donec *ultimus actus*, in virtute omnium priorum agens, sit dispositio necessitans, tempore simul cum infusione gratiae, et sic fiat actus gratia et caritate *formatus*.) Ergo Thomas hic docet quidem « formationem » huius actus per gratiam habituales, sed non expresse eius per eandem gratiam effectiorem¹. — **De ver. q. 28 a. 8** in corpore articuli non loquitur nisi de prioritatem gratiae in ordine causae formalis. Sed ad *4 in contr.* etiam aliquam efficientiam gratiae in actum concedit. Clarissime proponit difficultatem exinde orituram: « *Effectus causae efficientis numquam est dispositio ad causam efficientem*, quia in via motus sequitur efficientem, cum tamen in eadem via dispositio praecedat id, ad quod disponit. Sed *contritio* se habet ad *gratiam* sicut effectus causae efficientis ad suam causam efficientem. Ergo *contritio* non est dispositio ad gratiam. » Ratio minoris est: « *Habitus et potentia ad idem genus causae reducuntur... Sed potentia est causa actus in genere causae efficientis. Ergo et habitus.* » Respondet: « *Sicut actus formaliter perficit potentiam, ita id, quod ex habitu relinquitur in actu, est formale respectu substantiae actus, quam potentia ministrat; et sic habitus est formale principium actus formati, quamvis respectu formationis habeat rationem causae efficientis.* » Non video, quomodo sic difficultas soluta sit. Nam licet habitus sit principium formale actus, dummodo etiam sit principium efficiens, manet inconcussum, quod effectus non potest esse dispositio ad suum principium efficiens.

344. In **S. th. 1, 2 S.** Thomas saepe monet vocem gratiae posse significare et « habituale donum nobis divinitus inditum » et « divinum auxilium, quod nos movet ad bene volendum et agendum » (q. 111 a. 2; v. etiam q. 109 a. 6 c et ad 3 s; a. 7 c et ad 1; a. 8; q. 110 a. 2; q. 112 a. 2; a. 3 c et ad 1). Tribuit gratiae habituali q. 112 a. 2 ad 1 eum influxum in actum proxime disponentem, quo hic evadit *meritorius* gloriae; q. 113 a. 3 potius innuere videtur motum liberi arbitrii *non procedere efficienter* ex dono habituali: Deus « ita infundit donum gratiae iustificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum »; sed a. 7 dicit: « *Tota iustificatio impii originaliter consistit in gratiae infusione. Per eam enim et liberum arbitrium movetur et culpa remittitur.* » — De ordine naturae inter ista quattuor, quae ad iustificationem concurrunt, ex pro-

¹ Prioritatem aliquam in ordine causae efficientis qc. 1 solummodo in hoc videt, quod forma producta est *similitudo* formae in ipso agente existentis, per quam agens agit, i. e. in nostro casu gratia habitualis est similitudo Dei, qui eam producit et ut omne agens agit sibi simile. Proprie loquendo non gratia habitualis est natura prior actu dispositivo quasi causa eum eliciens, sed Deus, prototypus gratiae ab ipso efficiendae, est prior quam ultima dispositio causae materialis.

fesso agit **q. 113 a. 8**: Remissio culpae tamquam finis huius motus est ultimum in executione. (Ex parte hominis iustificati quoad rem idem est: *consecutio* vel *susceptio gratiae*, *adeptio iustitiae*, v. ad 1 et 2.) Peccatum remittitur vel gratia suscipitur, quia adest dispositio. Ergo haec dispositio ordine naturae praecedat. Detestatio peccati fit ex caritate Dei; ergo motus in Deum natura prior est motu in peccatum. Unde inter ista tria est ordo hic: Actus fidei vivae, actus contritionis, remissio culpae (sive consecutio gratiae). Prior autem quam motus mobilis est motio moventis, quae in nostro casu consistit in infusione gratiae ex parte Dei: «Gratiae infusio causa est omnium aliorum, quae requiruntur ad iustificationem impii... Ergo est naturaliter prior... Ipsa igitur Dei moventis motio est gratiae infusio.» Hoc igitur loco *neutiquam distinguit* inter auxilium Dei moventis et infusionem gratiae, quae secundum consuetam eius terminologiam et secundum hunc contextum videtur intellegenda esse gratia habitualis. Porro hic omnino est sermo de causa efficiente. Sic autem oritur ingens difficultas: Quomodo potest id, quod ad habitualement gratiam recipiendam disponit, ab eadem gratia effici? Vel: Si gratia sanctificans homini datur, quia contritus est, quo pacto potest ei dari, ut conteratur?

345. Molina (*Conc. q. 14 a. 13 disp. 46*) impossibilitatem huius sententiae, quam S. Thomae esse concedit, bene ostendit. Suarez (l. 8 c. 11—14) item fuse demonstrat impossibilitatem talis mutuae causalitatis, sed putat S. Thomam ita explicari posse, ut sub voce infusionis gratiae hoc loco intellegat collationem gratiae actualis (c. 14). — Si infusionem gratiae intellegimus *totam gratuitam operationem*, quam Deus in ipso instante iustificationis exercet, utique gratia actualis, movens liberum arbitrium ad actum, natura prior est suo effectui; gratia vero habitualis, eodem instante superveniens, actum ita *dignificat*, ut fiat de condigno meritorius vitae aeternae. Hanc enim rationem meriti Thomas proximae dispositioni absque omni dubio semper adscribit (v. g. q. 112 a. 2 ad 1). Neque haec opinio caret difficultate (v. n. 714), sed saltem non habet summam illam difficultatem, quam modo vidimus et quam multi potius dicerent apertam repugnantiam. — Thomistae in hac re explicanda non concordant. Ioannes a S. Thoma, Sylvius, Contenson dicunt ultimam dispositionem esse effective ab auxilio *actuali*; Gonet, Serra et alii e contra dicunt eam esse effective ab ipsa gratia *habituali*. Tandem Goudin putat actus ultimo disponentes esse effective *a virtute infusa* caritatis et poenitentiae, quae non permanenter per modum habitus, sed *transeunter* per modum actualis auxilii et motionis *communicata* sit. Billuart (*De grat. diss. 7 a. 4 § 4*) dicit: «Mirum fortasse videbitur theologos in explicanda hac difficultate ita desudare et torqueri, cum ipsi fateantur esse *magis subtilem quam utilem*» (v. *Stufler* n. 223). Medina et Soto de difficultate et tenui utilitate huius quaestionis idem tulerant iudicium (v. P 360). Nihilominus N. del Prado (*De grat. et lib. arb. tom. 1*) in hac doctrina videt principalem clavem totius S. Thomae de gratia doctrinae, imprimis ad efficaciam gratiae rite intellegendam pernecessariam. Alii quoque moderni Thomistae ab hac parte Molinismum penitus evertere stu-

dent. Exempla, quae afferunt, ut ostendant eiusmodi *mutuam prioritatem causarum* in diverso ordine causalitatis non esse impossibilem, aut sunt physice falsa aut nullam paritatem cum casu explicando habent (v. P l. c.). Neque ulla profunda speculatio in dubium vocare potest id, quod sensus communis evidenter docet: Nihil potest aliquam dispositionem ad sui ipsius primum ortum producere, licet eodem instante cum dispositione oriatur.

346. Quod ad S. Thomam attinet, imprimis recordemur totam doctrinam de gratia actuali, interna et supernaturali, ad *dispositionem* iustificandi impii necessaria, tunc temporis valde parum fuisse evolutam et ipsum Aquinatem in cognoscenda hac in re veritate magnum decursu vitae fecisse progressum, ad eam autem claritatem, quam praelucente decreto *tridentino* posteriores theologi facile adepti sunt, nondum pervenisse (v. n. 218 ss et 499 cum nota). Etiam in praesenti quaestione particulari apud ipsum mutationes quaedam doctrinales observantur. Apertissime sententiam mutavit quoad actum dispositivum angelorum: *In 2 d. 5 q. 2 a. 2* dixerat: « Unde unus et idem conversionis motus est *praeparatio ad gratiam*, secundum quod est ex libero arbitrio [in fine vitae dixisset: ex auxilio Dei moventis], et *meritorius gloriae*, secundum quod est gratia informatus, et iterum *fruitionis actus*, secundum quod completur per habitum gloriae. » E contra in *S. th. 1 q. 62 a. 5 c* et ad 2 docet non posse eodem instante esse actum *meritorium beatitudinis* et actum *beatitudinis ipsius* seu fruitionis; ideo diversa ponenda esse instantia, « in quorum uno meruerit beatitudinem et in alio fuerit beatus ». Ergo ex tribus illis, quae uno eodemque actu comprehendi posse antea putaverat, nunc *tertium* necessario tribuendum esse actui separato cognovit. *Duo priora* adhuc in eodem actu coniuncta relinquit, sicut etiam quoad hominis iustificationem docet *S. th. 1, 2 q. 112 a. 2 ad 1*. Non adeo improbabiliter suspicamus futurum fuisse, ut, si diutius vivens eandem quaestionem denuo penitus retractasset, etiam vidisset actum dispositivum et simul meritorium non posse *mutua causalitate* inter gratiam habitualem et proximam dispositionem explicari, sed clarius debere distingui, quid in ipso instante iustificationis « auxilio Dei moventis » sive gratiae actuali, quid dono gratiae habituali attribuendum sit¹.

Thesis 12. In iustificatione peccata vere delentur et homo interne renovatur.

347. P pr. 27. — Ber. n. 679—719. — Mazz. n. 966—983. — Lah. th. 44 s.

1. **Nexum** v. n. 322.

2. **Sensus.** a) In iustificatione (v. n. 312 ss), i. e. in illa operatione divina, qua homo coram Deo habitualiter fit

¹ Ad doctrinam S. Thomae recte intellegendam quanti momenti sit methodica variorum eius scriptorum inter se comparatio, bene ostendit *Jos. de Guibert S. J., Les Doublets de s. Thomas d'Aquin* (Paris 1926).

iustus, sive in hoc ordine supernaturali *habitualmente recte dispositus* in essendo et ad agendum secundum Dei voluntatem. Intellegitur iustificatio prima, non secunda sive augmentum iustitiae; iustificatio peccatoris sive impii, i. e. e statu contrarie opposito tamquam termino a quo, non e quolibet contradictorio; aliis verbis: iustificatio *e statu iniustitiae* sive peccati, non e mera absentia iustitiae supernaturalis, quae in angelis et protoparentibus saltem natura prior erat statu iustitiae supernaturalis. — b) peccata sive originaliter contracta sive personaliter commissa; non consideramus nunc peccata *actualia*, quae praeterierunt neque fieri possunt infecta et possunt dici eo remitti, quod non amplius imputantur, sed habitualia, i. e. *statum peccati* sive *maculam* ex peccatis actualibus in anima remanentem. Intelleguntur saltem omnia peccata mortalia; quoad venialia enim, ut alibi docetur, non est eadem res in iustificatione per *baptismum* et per *poenitentiam*. Peccatum habituale et maxime etiam originale esse *realiter et physice malum statum animae* adversarii nobiscum admittunt, licet essentiam huius status in alia re ponant quam nos. Secundum ipsos est concupiscentia habitualis, secundum nos privatio gratiae sanctificantis¹. — c) vere delentur ita, ut amplius non existant; non ita, ut quamvis reapse in iustificato existere pergant, a Deo iam non imputentur ad culpam et poenam. — d) et homo interne renovatur: Effectui iustificationis *negativo* additur *positivus*, cuius natura interim nondum accurate determinatur, sed generalioribus verbis adumbratur. Renovatio est transitus a statu vetusto ad novum sive recentem. *Saepe* simul connotatur *restitutio* status melioris olim habitus et amissi. Realis peccati deletio eo ipso renovationem quandam importat. Sed contendimus praeter eam renovationem, quae negative dicit destructionem prioris status mali, etiam *positive* conferri meliorem statum internum. Utrum hic novus status obtineatur dono increato an creato, transeunte an permanente, nunc nondum quaerimus (sed th. 13). Neque hic examinamus, *quo nexu causali* remissio culpae et infusio doni interni inter se cohaereant (v. schol. 2 post th. 15; n. 436ss). Non negamus *in alio ordine* naturae remissionem peccati fieri posse sine collatione doni interni vel etiam in hoc ordine *absolute* fieri posse; sed quaerimus, quid revera in nostro ordine fiat. Respondemus: Habetur veri nominis renovatio,

¹ Etiam inter catholicos sunt diversae sententiae de essentia peccati originalis et habitualis; sed hoc ad thesim nihil refert (v. P III pr. 27s; IX pr. 28).

eaque etiam hoc sensu est renovatio, ut dona supernaturalia olim divinitus collata et peccato *amissa de novo dentur* sive restituantur. Tamen iustitia originalis nunc *non statim quoad omnia* redintegratur. Nondum datur immunitas a concupiscentia, morte et miseriis, sed iustificato datur ius ad ea auxilia, quibus concupiscentiam vincere et ad beatam immortalitatem pervenire possit, si velit (cf. n. 169 et th. 6 II). Iustificatione secunda magis magisque *perficitur* renovatio interna, paulatim minuuntur et sanantur vulnera peccato naturae inflictæ. — Neque ea renovatio, quæ iustitia baptismali amissa per *poenitentiam* haberi potest, facile erit tam perfecta quam ea, quæ baptismo confertur. Sed in omni iustificatione peccatoris redditur illud donum, in quo consistit *essentia* omnis iustitiæ supernaturalis, et hoc sensu iustificatio vere est renovatio status primitivi¹.

348. 3. Adversarii². Secundum **Protestantes** veteres (cf. n. 314) in iustificatione et liberatio a peccatis et collatio iustitiæ est homini extrinseca tantum, quia fit per meram non-imputationem peccati et imputationem iustitiæ Christi. Interne autem homo manet peccator. Admittunt quidem aliquam «sanctificationem», quæ iustificationem *paulatim subsequitur* et in eo est, ut homo, sola fide fiduciali externe iustificatus, sub motione S. Spiritus manens, opera caritatis peragat ut *fructus iustificationis* atque sic, minus agendo ex prava concupiscentia, permanentem internam peccaminositatem minus prodat. Sed hæc opera nihil conferunt ad iustificationem et sunt tam imperfecta, ut nulla in iis fiducia poni debeat.

Formula Concordiæ (*Sol. decl. 3, 22ss [Müller, Symb. Bücher p. 614s]*): «Quando autem docemus, quod per operationem Spiritus Sancti regeneremur et iustificemur, non ita accipiendum est, quod iustificatis et renatis nulla prorsus iniustitia post regenerationem substantiæ ipsorum et conversationi adhaereat, sed quod *Christus* perfectissima oboedientia sua omnia ipsorum *peccata tegat*, quæ quidem in ipsa natura in hac vita *adhuc inflaxa haerent*. Nihilominus tamen per fidem propter oboedientiam Christi, quam Christus... pro nobis Patri suo præstitit, *boni et iusti*

¹ Renovatio sub hoc respectu *restitutionis* prioris status boni non in hoc tractatu probatur; fuit autem ex iis, quæ de supernaturali iustitia protoparentum in tractatu *de Deo elevante* statuuntur (P III th. 19).

² De erroribus veterum Euchitarum v. Rivière, DdTh 8, 2105 s.

pronuntiantur et reputantur, etiamsi ratione corruptae naturae suae adhuc *sint maneatque peccatores*, dum mortale hoc corpus circumferunt. » Sed non licet peccatis frenos laxare (23): « Oportet enim praecedere veram et non simulatam contritionem. Et qui *mera gratia... tantum per fidem... coram Deo iusti sunt*, hoc est in gratiam Dei recipiuntur, his etiam Spiritus Sanctus datur, qui eos *renovat atque sanctificat*, in ipsis dilectionem... operatur. Cum autem inchoata illa renovatio in hac vita sit *imperfecta* et peccatum adhuc in carne, etiam in renatis, habitet, iustitia fidei coram Deo in gratuita et benignissima *imputatione iustitiae Christi* absque ulla nostrorum operum additione consistit, quod videlicet peccata nobis remissa et tecta sint neque nobis imputentur, Rom 4, 6 ss. » Monetur (n. 24), « ne ea, quae fidem *praecedunt* et quae eam *sequuntur*, articulo huic tamquam ad *iustificationem* necessaria admisceantur ». Nam (25) « non omnia illa, quae ad veram *conversionem* requiruntur, etiam ad *iustificationem* pertinent. Ad iustificationem enim tantum haec requiruntur atque necessaria sunt: gratia Dei, meritum Christi et fides, quae haec ipsa Dei beneficia in promissione evangelii amplectitur, qua ratione nobis Christi iustitia imputatur. »

De imputata iustitia variae sententiae vel saltem diversi modi loquendi orti sunt. Calvinus iustitiam formalem in *sola remissione peccatorum* posuit. Osiander dixit ipsam *Dei iustitiam* fieri nostram. Luther plerumque *iustitiam Christi* imputatione fieri nostram asserit, sed aliquoties *fidem* iustitiam formalem vocat. Butzer tandem *duplicem* distinguit *iustitiam*, imperfectam nobis *inhaerentem* et perfectam, quae sit iustitia Christi nobis *imputata* (v. *schol.* n. 359 ss). — Melanchthon, si in *Confessione Augustana* et in *Apologia* interdum habet terminum « ex iniustis iustos effici », non affirmat effici in oppositione ad merum reputari, sed opponit inter se effici et esse sive permanere, primum initium iustitiae eiusque permanentiam; vult autem nullam aliam concedere iustitiam nisi imputatam; v. Joh. Kunze, *Die Rechtfertigungslehre in der Apologie* (BzFchrTh 12, 5 [1908] 31). Quid hodierni de « articulo stantis et cadentis Ecclesiae » sentiant, v. n. 315.

4. Qualificatio. De fide definita¹.

349. Prob. I. Ecclesia. Leo X, Lutheri pr. 2 (Dz 742): « In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare. »

Tridentinum 1. Iustificatio per baptismum a) quoad peccatum originale: **s. 5 can. 5** (Dz 792): Per gratiam

¹ Lahousse n. 286 fin.: « Fidei proximum est peccata post baptismum commissa deleri sacramento *poenitentiae* rite suscepto. » Alii hanc distinctionem non faciunt. Beraza n. 685: « Quamvis canon [5 s. 5] expresse loquatur de iustificatione, quae fit per baptismum, nihilominus ad quamcumque iustificationem est extendendus. »

Christi, quae in baptisate confertur, reatus originalis peccati *remittitur*; *tollitur* totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: non *raditur* tantum aut *non imputatur*. In renatis nihil odit Deus. Innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt. — b) quoad peccata etiam personalia: **s. 6 cap. 7** (Dz 799 s): Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et *renovatio* interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Iustitia a Deo donati, renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam. In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum infusas accipit homo fidem, spem et caritatem. — **can. 11** (Dz 821): Homines non iustificantur *sola imputatione* iustitiae Christi nec *sola peccatorum remissione*, exclusa gratia et caritate *inhaerente*. Gratia iustificationis non tantum est favor Dei. — 2. per poenitentiam: **s. 6 cap. 14** (Dz 807): Lapsi rursus iustificari poterunt. Per poenitentiae sacramentum recuperare possunt amissam gratiam, i. e. gratiam eiusdem naturae, atque erat amissa, gratiam igitur peccata vere delentem et hominem interne renovantem. Haec reparatio lapsorum differt quidem a iustificatione per baptismum procurata, sed sicut ista remissionem culpae et poenae aeternae confert. — **can. 30** (Dz 840) supponit poenitenti culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri. — **s. 14 cap. 2** (Dz 895) exhibetur fusius differentia inter utrumque modum iustificationis. Per sacramentum poenitentiae non facile fit tam plena et integra peccatorum omnium remissio, *tam perfecta novitas* et integritas quam in baptismo.

Cf. Baii pr. 31—33 de caritate perfecta cum remissione peccatorum non coniuncta; pr. 42—44 de vera iustificatione per oboedientiam mandatorum sine infusione gratiae interne renovantis et sine remissione peccatorum (Dz 1031—1033; 1042—1044). — Rosmini pr. 35 (Dz 1925): Iniquitates remittuntur, peccata teguntur aut non imputantur.

350. II. Scriptura. I. Peccata vere delentur.

1. **Rom 5 19**: Ὡσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, οὕτως καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί. — In tota pericopa Apostolus ostendit donum Christi efficacius esse ad salvandum, quam delictum Adami fuit ad perdendum. Perfectus parallelismus v. 19 ostendit salvandos per Christum eodem sensu «constitui» iustos, quo descendentes ab Adamo

constituantur peccatores. *Καθίστημι* (*machen, dass einer als etwas dasteht*) vi vocis potest habere sensum *declarativum*, scil. declaratione sua id efficere; sed ordinarius sensus est *effectivus* (*als etwas hinstellen = zu etwas machen; in forma passiva: in einen Zustand geraten, etwas werden — v. Zor.*). Atqui secundum nos et multo magis secundum veteres Protestantibus delicto Adami homines *realiter et intrinsecus* effecti sunt peccatores. Ergo iuxta Apostolum per Christum etiam interne et realiter fiunt iusti, non per meram declarationem externam.

351. 2. Multis terminis et tropis idem manifestatur: a) Deletere, extinguere. Is 43, 25: «Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas» (מֹחֵחַ, mocheh, ὁ ἐξάλειψων, sicut scriptura in tabula cerata extinguitur. — Zor.: «deletere ita, ut id, quod deletur, iam non existat»; cf. idem verbum Gen 7, 4, ubi Deus ante diluvium dicit: «Delebo omnem substantiam»). — Ps 50, 3: «dele iniquitatem meam». — Act 3, 19: «Convertimini, ut deleantur peccata vestra.» — b) Auferre, remove. Io 1, 29: «qui tollit peccatum mundi» (ὁ αἴρων; auferre ab aliquo, amovere suo loco, αἴρειν ἐκ τοῦ μέσου, e medio tollere; cf. Io 11, 48: Romani et locum et populum destruent). — 1 Par 21, 8: «aufer iniquitatem servi tui». — 2 Sam 12, 13 Nathan ad David: «Dominus quoque transtulit (הֶעֱבִיר, he'ebir, removit) peccatum tuum.» — Ps 102 (103), 12: «longe fecit (הִרְחִיק, hirchik, longe removit) a nobis iniquitates nostras». — Mich 7, 18s: «qui aufers iniquitatem...; deponet iniquitates nostras et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra». — Hebr 9, 28: «Christus semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata» (ἀνεργεῖν, sursum ferre, sicut victima in aram tollitur; habetur allusio ad Is 53, 12: αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήργευσεν; נָשָׂא, nasa, in se sustulit vicariaque satisfactione delevit). — 1 Petr 2, 24: «Peccata nostra ipse pertulit (ἀνήργευσεν) in corpore suo super lignum.» — c) Lavando mundare. Eph 5, 25—27: «Christus dilexit Ecclesiam... , ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae... , ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam... , sed ut sit sancta et immaculata.» — Hebr 1, 3: «purgationem (καθαρισμόν) peccatorum faciens». — Ps 50 (51), 4: «Amplius lava (כִּבְּסָה, kibbes) me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda (טִהַר, tihir) me.» — 9: «Asperges me» etc. — Is 1, 16 ss: «Lavamini, mundi estote...; peccata vestra... quasi nix dealbabuntur, ... velut lana alba erunt» (cf. Ier 33, 8;

Ez 36, 25). — 1 Cor 6, 11: «abluti estis». — In iustificatione igitur fit in anima idem circa peccata, quod lotione corporis fit circa sordes, quae non teguntur, sed auferuntur. — d) Vulnera sanare. Is 30, 26: «in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui et percussuram plagae eius sanaverit». — Cf. Mt 9, 12 (Christus medicus); Lc 10, 30 ss (Samaritanus). — e) Mortem destruere vivificatione: Rom 6, 4—11.

352. Si aliis locis peccata dicuntur tegi, non imputari, oblivioni tradi vel homo sententia iudicis absolvi (Ps 31, 1s et Rom 4, 7: «Beati, ... quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum»; — 2 Cor 5, 19: «non reputans illis delicta»; — Ps 129, 3: «Si iniquitates observaveris»; — Rom 2, 13: «factores legis iustificabuntur» in divino iudicio; — Rom 8, 33: «Deus, qui iustificat; quis est, qui condemnet?»), tamen non dicitur Deus absolvere reum intrinsecus manentem peccatorem sive peccata non imputare existere pergentia. — Tegere peccata est tropus, qui secundum reliquam doctrinam Scripturae explicari debet¹. — Ceterum ista possunt intellegi de peccatis actualibus, quae sunt et manent commissa, sed remittuntur eo, quod iustificato non amplius imputantur, quasi teguntur, Deus eorum non amplius recordatur ad iram et poenam; peccata autem habitualia, i. e. maculae peccato actuali animae impressae, penitus delentur et quasi abluuntur.

353. 3. Nuda vocabula *δικαιοῦν* et *δικαιοσύνη* θεοῦ neque pro nobis, neque contra nos quidquam demonstrant. S. Paulus vero, si de iustificatione *huius vitae* loquitur, ea sumit sensu effectivo, non mere forensi; quod antea (n. 318 s) cum *Lagrange* ostendimus, maxime ex his: a) Phil 3, 9: Iustitia est *per fidem* Christi ex Deo; Rom 9, 30: Homines eam *apprehendunt*. — b) Rom 3, 20: Iustificamur *coram* Deo; Gal 3, 11: *apud* Deum; Rom 3, 25—28: *cooperante fide* tamquam instrumento.

354. II. Homo interne renovatur. Tit 3, 5 baptismus vocatur lavacrum regenerationis et renovationis (*ἀνανανώσεως*) Spiritus Sancti. — Eph 4, 21—24 (cf. *Knabenbauer* in hunc locum). Inde a v. 17 Apostolus monuerat, ne christiani amplius ad instar gentium in vitiis ambularent. 21—24: Ipsi, in Christo secundum veritatem edocti, didicerunt haec tria: a) se deposuisse (*ἀποθέσθαι, aor.*) veterem hominem perditioni obnoxium;

¹ Augustinus pulchre, licet non sensu litterali, explicat, quomodo Deus tegat peccata: «Medicus tegat et curet, emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus (*Enarr. in Ps 31 n. 12 [ML 36, 266]*).

b) renovari autem (*ἀνανεοῦσθαι*, *praes.*, quia haec renovatio permanere et in dies magis perfici debet) spiritu mentis, i. e. novos fieri, novum quasi vitae initium capere, quod fit *τῷ πνεύματι τοῦ νοῦς*, spiritu menti indito eamque regente (gratia sive creata sive increata); c) se induisse (*ἐνδύσασθαι*, iterum *aor.*) novum hominem ad exemplar Dei creatum in iustitia et sanctitate veritatis. — Qui novus homo induitur baptismo (Rom 6, 3—9; Gal 3, 27); est nova creatura (*καινή κτίσις* 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15), Dei factura (*ποίημα*), creata in Christo Iesu ad opera bona facienda (Eph 2, 10). — Secundum antitheses Rom 5, 16—21 positas per Christi gratiam tollitur in homine ea privatio iustitiae, quae Adami delicto inducta fuit. — Alios textus, qui hanc renovationem magis determinant, v. th. 13—15.

355. III. Patres¹. I. Deletio. Iustinus, Dial. c. Tryph. 141 (R 146) Iudaeis aliisque quibusdam exprobrat, quod doceant Deum iis, qui eum noverint, etsi peccatores sint, non imputare peccatum neque opus esse poenitentia. — **Chrysostomus, Hom. ad Neophytos** n. 9 (textum latinum denuo invenit *Haidacher*, v. *ZkTh* 28 [1904] 168—193; graecum edidit *A. Papadopoulos-Kerameus* [Petropoli 1909]): Secundum Col 2, 14 Christus chirographum peccatorum nostrorum non solum abstersit vel rasisit, sed affixit cruci, ne ullum vestigium eius maneat. Clavi enim crucis illud sciderunt et destruxerunt, ut inutile evadat in posterum. — *De sacerdotibus* 3, 6 (MG 48, 644): Sacerdotibus animae sordes purgare prorsus concessum est. — **Ambrosius, Epist. 70, 23** (R 1256) de Mich 7, 18: Deus «penitus ea tollit, ita ut non sint, quorum memor non erit». — **Augustinus, C. 2 epist. Pel. 1, 13** (R 1886): «Dicimus baptisma... auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde

¹ Hodierni Protestantes, non exclusis iis, qui «articulum stantis et cadentis Ecclesiae» adhuc quadamtenus defendunt, historicis coacti rationibus, totam fere traditionem Luthero adversari concedere solent. Hoc factum isti sic explicant: Profunda Pauli theologia iam in antiqua Ecclesia parum intellecta est. Graeci paene unice iustitiae operum ideisque mysticis et superstitionis deificationis etc. inhaerebant. Apud Latinos multum nocuerunt Tertullianus, iuris peritus, et Cyprianus (*Harnack* in opere p. 243 cit. p. 124: «Cyprian hat ein Sakrament der Busswerke, des Fastens und der Almosen geschaffen»). Plus sensus paulini habuerunt Ambrosius et maxime Augustinus, sed impedire non potuerunt, quominus tota Ecclesia medii aevi in plenum rueret Pelagianismum, donec Luther purum Pauli evangelium iterum detexit vel potius in se expertus est. Sic fere *Ihmels* in *REprTh* s. v. *Rechtfertigung*.

crescant iterum resecanda peccata.» — *C. Iul.* 6, 13, 40 (R 1910): Gratia «nunc etiam perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis». — *In Ps* 113 s. 1 n. 4 (ML 37, 1478): Mich 7, 19 «delicta nostra, sicut Aegyptios in mari obrutos, ita in baptismo demersa et exstincta luce clarius intimat». — Idem argumentum profert **Gregorius M.**, *Epist.* 11, 45 (R 2298): «Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari Rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absoluteione nostra veritas quam umbra veritatis.»

356. II. Renovatio. **Epist. Barnabae** 6, 11 (R 32): «Ubi igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam (τύπον) haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit.» — 16, 18 (R 36): «Accepta remissione peccatorum... facti sumus novi, iterum ab integro creati.» — **Irenaeus**, *Adv. haer.* 3, 17, 1 (R 219): Spiritus Sanctus renovat a vetustate in novitatem Christi. — **Cyprianus**, *Ad Donatum* 4 (R 548): «in novum me hominem nativitas secunda reparavit». — **Cyrillus Hier.**, *Catech.* 17, 14 (R 835): S. Spiritus, in intima animae ingrediens, eam transmutat sicut ignis ferrum. — **Gregorius Naz.**, *Orat.* 40, 7 (R 1011): Deus nos productos refinxit figmento diviniore, quod collapsae per malitiam imaginis nova erectio est. — **Chrysostomus**, *Catech. ad illuminandos* 1, 3 (R 1144): Sicut aurea statua, tempore, fumo, pulvere, rubigine foedata, denuo conflatur et purissima atque fulgens restituitur, sic et naturam nostram Deus denuo conflavit. — *In Eph hom.* 1, 3 (R 1203): «Nos gratos fecit, hoc est non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles», quemadmodum si quis scabiosum hominem, peste, morbo, senio confectum, statim faceret iuvenem omnium formosissimum. — **Augustinus**, *De spir. et litt.* 26, 45: «Quid est enim aliud iustificati quam iusti facti?»; cf. *Enchiridion* 52 64; *Opus imperf. contra Iulianum* 2, 165; *Explan. in Ps* 7, 5. — **Cyrillus Alex.** plurima habet de internis effectibus, quos S. Spiritus in anima iusti producit, v. g. *Thesaurus de s. et consubst. Trin.* 34 (R 2080): Naturam ad exemplaris pulchritudinem repingit et Dei imaginem homini restituit (cf. R 2089 2106 2109). — **Leo M.**, *Serm.* 21, 3 (R 2193): Sumus in Christo nova creatura novumque figmentum. — Huc spectat etiam tota Patrum de deificatione doctrina, v. n. 273 ss.

357. IV. Theologi omnes. S. Thomas v. g. S. th. 1, 2 q. 109 a. 7: Sine auxilio gratiae homo non potest resurgere a peccato; nam hoc non solum dicit «cessare ab actu peccati», sed est «reparari hominem ad ea, quae peccando amisit». Debet igitur tolli macula, quae est privatio decoris gratiae, per habituale gratiae donum. Similiter Deo ad se trahente voluntas hominis debet iterum subici Deo, et reatus poenae aeternae a Deo remitti. — q. 113 a. 1: Iustificatio impii est transmutatio a statu iniustitiae ad statum iustitiae per remissionem peccati. — a. 2: Effectus divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo vita aeterna dignus fit. Et ideo non posset intellegi remissio culpa, si non adesset infusio gratiae. — a. 6: In iustificatione habetur infusio gratiae tamquam motio Dei moventis et remissio culpa tamquam consummatio motus. — Cf. eius doctrinam de baptismo tamquam spirituali generatione et de poenitentia tamquam spirituali sanatione vel suscitatione (*In 4 dist. 14 q. 1 a. 4 sol. 3; q. 2 a. 1 sol. 2 ad 3; dist. 18 q. 1 a. 3 sol. 2; S. th. 3 q. 84 a. 10 ad 1 et 5; Suppl. q. 30 a. 1*).

358. V. Ratio theologica. a) Non decet Deum veracissimum, sapientissimum, sanctissimum, iustissimum celare peccata eorum, qui sunt et manent peccatores, agnoscere et declarare iustos, qui non sunt iusti. Novatores peccatorem iustificandum comparabant cum Iacob, vestibus fragrantibus Esau induto atque sic fraudulentè benedictionem paternam sibi conciliante. Deus igitur se haberet sicut Isaac caecus et a filio deceptus¹. — Rom 8, 1 dicitur nullum esse *κατάκριμα* iis, qui sunt in Christo Iesu, i. e. nulla sententia damnatoria vel secundum alios nulla poena, ad quam condemnentur (*Zor.*). Ergo in his neque est quidquam damnabile sive damnatione dignum. Cf. Tridentinum s. 5 can. 5 (Dz 792): «In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis.» — b) Secus mors Christi esset minoris efficaciae quam peccatum Adami, quod internam iustitiam hominibus abstulit eosque intrinsecus constituit peccatores. Atqui hoc est contra rectam rationem et contra Apostolum (Rom 5, 15 ss).

¹ Indignitatem talis doctrinae multi recentiores Protestantés concedunt. *Beck*, Erklärung des Röm. I (1884) 292: «ein Greuel vor Gott», «unsittlich». — *Sabatier*, L'apôtre Paul, 2^{me} éd. (1881) 271: «Paul n'aurait pas eu de paroles assez pour flétrir une si grossière interprétation de sa pensée.» — Plura de hac re testimonia v. *Monse*, Johannes u. Paulus p. 129.

Scholium. De duplici iustitia formali.

359. P 337 349 s. — *F. X. Linsenmann*, Albertus Pighius und sein theologischer Standpunkt (ThQS 48 [1866] 571—644). — *W. van Gulik*, Johannes Gropper (Freiburg 1906) 74—85. — *St. Ehses*, Johannes Gropers Rechtfertigungslehre auf dem Konzil von Trient (Röm. Quartalschrift 20 [1906] 175—188). — *Hefner*, Entstehungsgeschichte p. 165—247. — *Franz Dittrich*, Gasparo Contarini 1483—1542 (Braunschweig 1885). — *L. v. Pastor*, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters III, 294—333. — *Friedr. Hünermann*, Die Rechtfertigungslehre des Kard. G. Contarini, ThQS 102 (1921) 1—22. — *G. Contarini*, Gegenreformatorische Schriften, herausgeg. v. *Fr. Hünermann* (Corpus Catholicorum 7 [Münster 1923]). — *H. Rückert*, Die Rechtfertigungslehre auf dem Trid. Konzil (Bonn 1925) 217—256; — *idem*, Die theol. Entwicklung Gasparo Contarinis (Bonn 1926).

Protestantes imputatam, Catholici inhaerentem propugnabant iustitiam. Sed nonnulli Protestantes (*Hergenröther-Kirsch*, Kirchengeschichte, III⁴ 180: «*Konziliations-theologen*») praeter perfectam iustitiam Christi imputatam admittebant etiam imperfectam aliquam iustitiam inhaerentem. Sic praesertim Martinus Butzer (ibid. p. 73: «*der Diplomat unter den Reformatoren*»; vixit plerumque Argentorati, † 1551 in Anglia). — Nonnulli Catholici putaverunt mediante doctrina duplicis iustitiae pacem religiosam posse restitui. Inter quos eminent in Germania Pigge et Gropper, in Italia Contarini et Seripando.

360. Albertus **Pigge** (Pigge, Pighius), natus in oppido Kampen in Hollandia, † 1542 praepositus ultraiectensis (*Controversiarum explicatio* [1542], et Ioannes **Gropper**, natus Susati (Soest) in Westfalia, recusato cardinalatu Romae 1559 mortuus (*Enchiridion* [1538]; *Antididagma* [1544]), ambo theologi colonienses, adfuerunt colloquiis wormatiensi et ratishonensi (a. 1540 et 41). Doctrinam duplicis iustitiae Gropper in *Antidid.* (apud *Hefner* p. 180) sic explicat: «Iustificamur a Deo iustitia *duplici* tamquam per causas formales et essentiales. Quarum una et prior est *consummata Christi iustitia*, non quidem quomodo extra nos in ipso est, sed sicut et quando eadem nobis, dum tamen fide apprehenditur, ad iustitiam *imputatur*. Haec ipsa ita nobis imputata iustitia Christi praecipua est et summa iustificationis nostrae causa, cui principaliter inniti et fidere debemus. Aliter vero iustificamur formaliter per iustitiam *inhaerentem*, quae remissione peccatorum simul cum renovatione Spiritus Sancti et diffusione caritatis in corda nostra secundum mensuram fidei uniuscuiusque nobis donatur, infunditur et fit propria. Cui tamen inhaerenti iustitiae, quod sit *imperfecta*, non innitimur principaliter.» Cum in Italia novae haereses maxime ex multis libellis, quibus minus aperte defendebantur, innotuissent, multi ibidem optimi Catholici conciliationem haud difficulter fieri posse opinabantur. Quorum dux

erat Gaspar **Contarini** venetus, a. 1535 creatus cardinalis, a. 1541 in colloquio ratishonensi legatus pontificius, ubi scripsit *Epistolam de iustificazione*, eandem fere doctrinam duplicis iustitiae continentem († 1542). Collocutores catholici (*Eck, Gropper, Pflug*) et protestantes (*Melanchthon, Butzer, Pistorius*) unanimiter constituerunt « Formulam ratishonensem », quae, docendo duplicem iustitiam, sententias adversas inter se conciliare studebat. Sed haec formula a Summo Pontifice reiecta est neque Luthero placuit (« *ein geflickt und geleimt Ding* »).

361. In concilio **Tridentino** praeter episcopos Thomam Sanfelice et Iulium Contarini, nepotem defuncti cardinalis, praesertim Hieronymus **Seripando**, generalis praepositus O. Erem. S. Aug., doctus theologus et in doctrina S. Augustini versatissimus, sententiae « Coloniensium » et Contarini favebat. Is alteri decreti de iustificazione schemati, quod ipse ex mandato cardinalis legati Marcelli Cervino composuerat, suas interseruerat ideas. Legati autem Cervino et del Monte (postea summi pontifices Marcellus II et Iulius III), antequam (Sept. 1546) hoc schema concilio proponerent, consultis aliis theologis multa mutaverunt. Nunc Seripando in congregatione generali (8 Oct.) aperte propugnavit *duplicem iustitiam*, efferens imperfectionem iustitiae inhaerentis, quae, ut coram tribunali Dei probetur, supplenda sit imputatione iustitiae Christi. Dein theologis proposita est a legatis haec quaestio a Seripando redacta: « An iustificatus apud divinum tribunal iudicandus sit tantum ex sua inhaerente iustitia seu ex operibus suis in gratia factis, an cum hac inhaerente iustitia opus habeat misericordia Dei et iustitia Christi, h. e. merito et passione eius, qua suppleantur defectus suae iustitiae, quae Christi iustitia non tota omnibus communicetur, sed secundum divinam dispensationem seu secundum mensuram fidei et caritatis » (*Hefner* p. 219). Necessitatem iustitiae imputatae quinque theologi affirmaverunt. Alphonsus Salmeron S. J. bene distinxit (16. Oct.): Iustitia Christi est *causa meritoria* nostrae iustitiae inhaerentis, sed non requiritur praeterea aliqua iustitiae Christi *imputatio*. Accuratissime (26. Oct.) Iac. Lainez S. J. coram theologis quaestionem examinavit (*Hefner* 226—236). Cum ipsi praelati rem discuterent (9 Nov. ad 1 Dec.), Seripando magis magisque recedere cogebatur. Omnes tandem clare cognoverunt formulam duplicis iustitiae formalis sustineri non posse, utpote quae iustitiam inhaerentem valore privet et consequenter ad errores Protestantium ducat. Sed ista opinio ex veris ideis originem sumpserat: Nostra iustitia a Deo et Christo; causis efficiente et meritoria, quam maxime semper dependet; hinc vana probris iustitiae fiducia omnino excluditur. Propter perdurantem rebellionem carnis iustitia inhaerens manet imperfecta nec nisi lento processu integer homo iterum Deo plene subicitur. Virtus ad hoc necessaria ex intima cum Christo unione hauritur, et hoc modo vulnera animae efficaciter sanantur (quod mera imputatione iustitiae Christi non fieret). Ista imperfectio iustitiae est ratio, cur homo sine speciali revelatione non habeat infallibilem certitudinem de obtenta iustificazione. Ad hanc doctrinam stabiliendam controversia a Seripando mota haud exiguae erat utilitatis (cf. n. 331).

362. Ad excludendam duplicem iustitiam formalem **Tridentinum** s. 6 cap. 7 (Dz 799) docet: « Unica formalis causa [iustificationis] est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua... vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes », et cap. 16 (Dz 809): « nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est... ». Seripando, Gropper, Pflug, alii huic decreto se plene subiecerunt¹.

ARTICULUS II

DE DONIS IN IUSTIFICATIONE DATIS

PRAENOTANDA

CONSPECTUS HISTORICUS

363. S. Scriptura iustificationem exhibet ut novam generationem et creationem, qua filii Dei efficimur, consortes divinae naturae, atque S. Spiritus datur, ut in anima tamquam in suo templo habitet eique sua dona conferat tamquam superiores vires ad novam istam vitam gerendam. Inter haec dona eminent « fides, spes, caritas, tria haec » (1 Cor 13, 13). — **Patres** hanc doctrinam excolunt, sed ut naturam internae iustitiae explicent, terminos philosophicos rarissime usurpant (Cyrillus Alex.: *ποιότης* [R 2063]). Graeci gratiam maxime considerant ut *donum in essendo elevans*. S. Augustinus cum Latinis magis attendit ad gratiam ut *principium* bonorum operum et *auxilium* ad vitanda peccata. Sic saepissime loquitur de gratia fidei et caritatis divinitus inspirata, in qua praeter *Spiritum Sanctum* animam inhabitantem in eaque caritatem diffundentem non adeo permanens principium crea-

¹ Historiam huius controversiae **Hefner** (p. 246 s) sic resumit et diiudicat: « Luther konnte sich für seine Imputationslehre mit einem Scheine von Berechtigung auf paulinische und augustinische Stellen berufen. Der Kampf, den er den katholischen Theologen aufgedrängt hatte, zwang diese, die innere Erneuerung... des Menschen durch die inhärierende Gnade derartig zu betonen, dass man hätte meinen können, diese innewohnende Gerechtigkeit sei nach allen Seiten hin vollkommen. Da taucht eine vermittelnde Theorie auf... Hervorragende Persönlichkeiten werden für sie gewonnen. Auf dem Konzil findet sie einen warmen Fürsprecher an einem der bedeutendsten Prälaten. Zwar erweist sich die Grundidee als falsch; aber dennoch enthält sie Gedanken, die das Konzil als berechtigt anerkennt und in das Dekret aufnimmt... Wenn irgendwo das Walten des Hl. Geistes, der über der Kirche Christi wacht, für uns erkennbar ist, dann sind es die Debatten des Tridentinums über die Theorie von der doppelten Gerechtigkeit. Selbst der Irrtum muss Gott zur Eruiierung der vollen Wahrheit dienen. »

tum, sed magis *actuales animae motus* considerat¹. **Prisci theologi latini** passim iustificationem, renovationem mentis, similitudinem Dei etc. attribuunt fidei (vivae) et caritati, non distinguentes inter actum et habitum, inter causam efficientem et formalem. Sed iam S. Anselmus in voluntate iustitiae ab usu actuali explicite distinguit *affectionem* habitualem. Maxime quaestio de effectu baptismi parvulorum **Scholasticos** adduxit ad diligentiolem inquisitionem. Alanus ab Insulis (+ c. a. 1203) virtutibus gratuitis applicabat divisionem virtutis « in natura, in habitu, in usu ». Philippus Grevius (+ 1236) gratiam et virtutes comparabat cum natura et potentiis animae, quam comparisonem praesertim *S. Thomas* magis evolvit².

364. Sic Scholastici magis magisque conceptus aristotelicos (*ποιότης, ἕξις, διάθεσις* etc.) ad dona gratiae applicabant et multis quaestionibus tractatis integrum systema theologicum de gratia habituali et virtutibus theologicis composuerunt. Brevi omnes consenserunt in iustificatione *adultorum* infundi veros habitus gratiae et virtutum, quam sententiam concilium Viennense (Dz 483) etiam quoad *infantes* declaravit probabiliorum. Sed ante Tridentinum quaestio habituum infusorum generatim non habebatur definitum dogma fidei. Quoad multas quaestiones particulares, v. g. relationem inter gratiam et caritatem, virtutes morales infusas, dona Spiritus Sancti, erat dissensus scholarum. Thomistae ex interna horum donorum *essentia* explicabant multa quae Scotistae et multo magis Occamistae a Dei *acceptatione* liberisque voluntatis divinae *decretis* vel a sola *potentia ordinata* derivabant. — Exeunte medio aevo Scholastici hac in re sicut in aliis materiis theologicis nimis indulgebant subtilitatibus dialecticis et insolubilibus quaestionibus metaphysicis atque Humanistis ansam deridendi theologiam praebuerunt. — Sic via parabatur erroribus **Novatorum**. Luther, in schola occamista eruditus, multa, quae Nominales de potentia absoluta fieri posse asseruerant, reapse ita esse affirmavit. Philosophia gentilium pror-

¹ *De doct. christ.* 3, 10, 16 (ML 34, 72): « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum et se ac proximo propter Deum. »

² Cf. de hac evolutione A. Landgraf, *Grundlagen für ein Verständnis der Busslehre der Früh- und Hochscholastik* (ZkTh 51 [1927] 161—194); *Die Erkenntnis der heiligmachenden Gnade in der Frühscholastik* (Scholastik 3 [1928] 28—64); *Kindertaufe und Glaube in der Frühscholastik* (Gregorianum 9 [1928] 337—372 497—543); *Studien zur Erkenntnis des Uebernatürlichen in der Frühscholastik* (Scholastik 4 [1929] 1—37 189—220 etc.).

sus amandata fidem christianam ex solo verbo Dei statuere praetendit. Abhinc theologi catholici suas doctrinas maiori cura ex fontibus positivis probare satagebant. — **Tridentinum** s. 6 quaedam *definivit*, alia tam aperte *indicavit*, ut exinde ab omnibus solidis theologis saltem pro certis haberentur, multas vero quaestiones inter Thomistas et Scotistas controversas studiose *iniudicatas reliquit*; cf. *Hefner*, Entstehungsgeschichte p. 17—30; *H. Lennerz* S. J., Das Konzil v. Trient u. theol. Schulmeinungen (Scholastik 4 [1929] 38—52).

365. Post Tridentinum nonnulli sectatores theologiae positivae libertatem a concilio sapienter concessam plus aequo extenderunt, inter quos Ioannes Morinus Oratorianus (+ 1659). Tam Baiani quam Semirationalistae (*Statiler*, *Hermes*, *Kuhn*) scholasticam doctrinam de donis *physicis* gratiae permanenter animae inhaerentibus omittebant vel etiam aperte impugnabant. Neoscholastici eam ex fontibus *positivis* securius stabiliverunt et ad mentem *S. Thomae* excoluerunt; sed omnes fere hodierni agnoscunt subtiliores quasdam quaestiones cum certitudine *solvi non posse*, cum revelatio de iis non habeatur et periculosum sit in re pure supernaturali nimis fidere analogiis naturalibus.

PRAENOTANDA DE VIRTUTIBUS INFUSIS.

366. P VIII 1—18. — *Mazz.*, De virt. inf. n. 1—26. — *Schiff.*, De virt. inf. n. 1—9. — *Billot*, De virt. inf., ed. 2, 1905, p. 1—96.

Nomen virtutis in Vulgata plerumque significat vim atque robur ad aliquid perficiendum respondetque vocabulis graecis *δύναμις*, *ἰσχύς*. Saepe miracula et similes effectus superioris potentiae vocantur virtutes (*δυνάμεις*). Rarius virtus usu venit eo sensu, quo nunc acturi sumus de virtutibus (*ἀρετή*, *Tugend*), v. g. 2 Petr 1, 5. Etiam apud antiquiores Patres saepissime invenitur sensus in Scriptura praevalens. Apud posteriores Patres et omnes theologos noster sensus est frequentissimus.

367. **Virtus** est habitus operativus bonus. Habitus (*ἔξις*, germ. fortasse «*Haltung*», «*Verfassung*») est qualitas permanens, qua homo bene aut male se habet vel ratione naturae (habitus entitativus) vel ratione operationis (habitus operativus). Posterior est dispositio permanens ad facile vel certo modo agendum (*Fertigkeit*), accedens ad potentiam (*δύναμις*, *Fähigkeit*) ex se indifferentem. Habitus operativus malus dici-

tur *vitium*. Minus proprie sive secundum quid dicuntur virtutes ii boni habitus operativi, qui perficiunt aliquam potentiam non praecise, prout subest imperio voluntatis ad normam morum respicientis atque sic capax est actuum moralium (*Tüchtigkeit*). Eiusmodi sunt virtutes intellectuales (*ἀρετή διανοητική*, v. g. scientia et ars). Virtus simpliciter dicta (*Tugend*) est virtus **moralis**, quae subest imperio voluntatis atque hominem actibus moraliter bonis *reddit bonum simpliciter*. Virtus moralis (*ἀρετή ἠθική*) ab Aristotele, *Eth. Nic.* 1. 2 c. 6 (Bekker 1106 b 36 s) definitur: *ἕξις προαιετική, ἐν μεσότητι οὐσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὀρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε*. — Philosophi virtutes morales reducunt ad quattuor **cardinales**. A Platone statuuntur *Respubl.* 1. 4 c. 6—9 (II 427 d ss): *σοφία, ἀνδρεία, σωφροσύνη, δικαιοσύνη*. Stoici (Zeno apud *Plutarchum*, De Stoic. etc.) sapientiae substituunt prudentiam (*φρόνησις*)¹. Sap 8,7 hae quattuor virtutes cardinales dicuntur a divina Sapientia doceri. S. Ambrosius, *De paradiso* 3, 14—18 (ML 14, 280—282) eas comparat quattuor fluminibus paradisi.

368. Theologi distinguunt virtutes acquisitas, quae repetitis actibus pariuntur atque *facilitatem* et promptitudinem agendi conferunt, et **infusas**, quas Deus supernaturaliter animae infundit. Si sunt eiusdem entitatis atque virtutes acquisitae et solo modo adeptionis differunt, vocantur infusae per accidens (eiusmodi fuit intellectualis virtus scientiae infusae, protoparentibus in creatione concessae). Virtutes autem **per se** infusae sunt supernaturales quoad substantiam (cf. th. 10 n. 293 301); quare viribus naturalibus nullo modo possunt acquiri. Ipsae dant *facultatem* (potentiam) supernaturaliter agendi circa proprium obiectum, et sub hoc respectu possunt vocari supernaturales animae potentiae; sed quia potentias naturales iam supponunt easque ex sua indifferentia in unam partem inclinant, rectius aequiparantur habitibus ordinis naturalis. Lombardus (*Sent.* 1. 2 d. 27 cap. 5 n. 243 [ed 2 Quaracchi 1916]), Thomas (*S. th.* 1, 2 q. 55 a. 4) aliique theologi virtutem infusam definiunt: «Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.» Quae definitio colligitur ex verbis S. Augustini (cf. *De lib. arb.* 2, 18 s, 47 ss; *Retr.* 1, 9, 6; *C. Iul.* 4, 3, 19).

¹ Cf. de his Ueberweg-Praechter, *Geschichte der Philosophie* I¹² (Berlin 1926) 273 ss 337 s 389 ss 425 455 539.

Secundum S. Thomam etiam virtutes morales (cardinales imprimis) a Deo in iustificatione infunduntur. Sed revelatione docemur relationem hominis ad Deum, quam philosophi ad virtutem cardinalem *iustitiae* reducere solebant, in hoc ordine potissimum effici mediantibus tribus virtutibus per se infusis, quae specialiore modo *ipsum Deum*, prout in se est summum verum summumque bonum, *habent obiectum et motivum*, quare vocantur virtutes **theologicae** sive divinae: Fides tendit in Deum ut summum verum, spes ut in summum bonum nostrum, caritas ut in summum bonum in se.

Thesis 13. Ad iustitiam inhaerentem adaequate sumptam saltem pertinent gratia sanctificans et virtutes infusae fidei, spei, caritatis, quae sunt dona creata et physice permanentia.

369. P pr. 25; VIII pr. 1. — Ber. 720—744 762—768. — Mazz. 907—950; De virt. inf. 27—47. — Lah. 296—305; De virt. inf. 18—28. — Schiff. 161—173 199—205. — Billot th. 7; De virt. inf. th. 1.

St. qu. 1. Nexus. Cf. n. 322. Ex th. 12 iam constat de iustitia interna, ergo aliquo modo animae inhaerente. Nunc videndum est, quibusnam donis infusis haec iustitia interna efficiatur.

370. 2. Sensus. a) Ad iustitiam: supernaturalem, qui conceptus n. 312 explicatus est; — inhaerentem, i. e. homini internam; — adaequate sumptam, i. e. si sumitur ut *totus complexus* donorum in iustificatione collatorum, non formaliter sive essentialiter, i. e. solum illud donum, quod in hac iustitia ita est formale et essenziale, ut omnia alia ex eo quodammodo resultent, quod est, uti videbimus, gratia sanctificans; — saltem pertinent, non negatis aliis, quae secundum communiorem sententiam etiam sunt dona habitualia, virtutes scil. morales et dona S. Spiritus. — b) gratia sanctificans: Nomen Patribus nondum est usitatum. Media aetate hoc donum designatur nomine gratiae *gratum facientis*. Postquam haec vox coepta est extendi ad omnem gratiam salutarem, *habituali gratiae iustificanti* datum est nomen gratiae sanctificantis; quod nomen tamen in decretis concilii *Tridentini* non occurrit, ubi potius est sermo de «iustificationis gratia» (Dz 808 813s 827 840). Eius naturam ex effectibus formalibus mox distinctius cognoscemus (th. 14s). Ista doc-

trina interim supposita gratia sanctificans potest definiri cum *Pesch* (n. 307): « donum Dei permanens, quo homo [tota anima superior, non solum aliqua potentia ut intellectus per fidem] in ordinem supernaturalem elevatur et naturae divinae aliquo modo particeps fit »; vel cum *Mazz.* (n. 877): « supernaturale Dei donum, permanentiter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, iustus et Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae eiusdemque heres ». Sicut anima est principium vitae naturalis, ita gratia sanctificans est « *ultimum principium permanens vitae supernaturalis* ». — c) et virtutes: habitus operativi boni; — infusae: per se, in oppositione ad acquisite et per accidens infusae; — theologicae: fidei, spei, caritatis (v. n. 366—368). — d) quae gratia et virtutes sunt dona creata: effectus supernaturales in anima producti, distincti a *dono increato*, Spiritu Sancto, — et physice permanentia, ergo non *actus* physice transeuntes et *moraliter* tantum, donec retractentur, *perdurantes* (cf. « intentionem habitualement »), sed entia physica, quae in hac sua physica entitate existere pergunt.

371. 3. Adversarii. a) **Petrus Lomb.** Gratia gratum faciens ipsi est *complexus virtutum* infusarum caritate formatarum; caritas vero non est habitus creatus, sed ipse Spiritus Sanctus, qui diligendi actum immediate per se operatur.

Sent. l. 1 d. 17 cap. 6 n. 159 (ed. 2 Quaracchi): « Alios actus atque motus virtutum operatur caritas, i. e. Spiritus Sanctus, *mediantibus virtutibus*, quarum actus sunt, utpote actum *fidei*, i. e. credere, fide media, et actum *spei*, i. e. sperare, media spe; per fidem enim et spem praedictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum sine alicuius virtutis medio operatur, i. e. diligere. Aliter ergo hunc actum operatur quam alios virtutum actus. » — L. 2 d. 27 quaerit, « quid sit ipsa gratia, an virtus an non; et si virtus, an actus vel non » (c. 2 n. 240). Respondet: « Gratia, quae sanat et liberat voluntatem hominis, virtus est vel una vel plures... Et illa gratia virtus non incongrue nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat et adiuvat » (c. 6 n. 244). « Ex gratia... et ex ipso arbitrio procreatur in anima bonus affectus sive bonus motus mentis... Sicut v. g. ex fide virtute et hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus et remunerabilis, scil. ipsum *credere*, ita ex caritate et libero arbitrio alius quidam motus provenit, scil. *diligere*, bonus valde; sic de ceteris virtutibus intellegendum est » (c. 8 n. 246). Non « fides ipsa, virtus praeveniens », est « mentis actus... qui est meritum »; sed « sic dicitur esse meritum, quia *actus* eius est meritum, si tamen adsit *caritas*, sine qua nec credere nec sperare est meritum vitae. Unde apparet vere, quia caritas est

Spiritus Sanctus, quae animae qualitates informat et sanctificat, ut eis anima informetur et sanctificetur, sine qua animae qualitas non dicitur virtus, quia non valet sanare animam» (c. 9 n. 247)¹.

b) Baius habitualia dona iustificantia saltem omnino negligit et unice tractat de actuali iustitia operum, quae consistat in oboedientia legis. Neque Augustinenses satis aestimare videntur habitus infusos.

c) Ioannes **Morinus** Congr. Orat. († 1659) satis aperte innuit sibi placere sententiam, quae negatis donis infusis physice permanentibus renovationem internam explicat per solam actualem motionem divini auxilii et maxime per actum caritatis supernaturalis, qui ex natura sua animam iustificare et sine habitu e statu peccati in statum iustitiae mutare possit; quam sententiam tamen propter obstantem auctoritatem firmiter propugnare non audet.

Commentarius historicus de disciplina... sacramenti poenitentiae l. 8 c. 2 n. 5; c. 7 n. 2 12: Per philosophiam peripateticam multae quaestiones insolubiles in theologiam inductae sunt. Habitu infusorum doctrina Patribus ignota atque etiam a primis Scholasticis omnino omissa est. «Scholastici disputando tandem assecuti sunt gratiam, qua peccator iustificatur, habitum esse a Deo animae infusum. Multi doctores contra hos habitus reclamant, diuque aequo Marte pugnatum. Sed tandem c. a. 1240 deferbuit tota illa disputatio, omnesque doctores in habitu positionem consenserunt» (c. 2 n. 13). «Scholastici plurimi et celeberrimi... affirmant mille supra centum annis totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia ignoratam fuisse; Patres... hominis impii iustificationem... sine gratiae habitualis mentione explicasse; actualia auxilia gratiae et opera hinc profecta tantum commemorasse; gratiam habitualement ad hos effectus esse necessa-

¹ Eiusdem sententiae fuerunt Guilelmus a S. Theoderico, *In Epist. ad Rom.* 5, 8 (ML 180, 643) et *Liber de contemplando Deo* 3s (ML 184, 371s); Hugo a S. Victore, *De laude caritatis* (ML 176, 975); Martinus Legionensis, *Sermo* 34 (ML 208, 1304s); adhuc Richardus Fishacre († 1248), *In Sent.* 3 (cf. de his A. Landgraf in *Scholastik* 3 [1928] 51 not. 2). — Eandem opinionem ab omnibus theologis iure derelictam quidam recentiores Semirationalistae quadamtenus instaurare voluerunt, praesertim Stattler et Kuhn. — Const. v. Schäßler, *Neue Untersuchungen*, p. 335: «Die inhärierende Liebe ist nach Stattler eine selbsterworbene... Dagegen ist ihm der habitus caritatis infusus Gott selber, welcher dem Menschen seine Allmacht zum Zwecke eines guten Vermögensgebrauchs anbietet... Nur so, meint er, werde das Wesen der heiligmachenden Gnade begriffen.» — p. 343: Secundum Kuhn gratia est identica cum divina essentia. — Ne confundas cum hoc errore doctrinam *Lessii*, *Petavii*, aliorum de S. Spiritu, causa formali divini consortii et adoptionis, de qua infra n. 405 422 444.

riam nondum definitum; nonnullos doctores etiam nunc istos effectus sine ea explicare.» De hac quaestione historica secundum Morinum ita sentiunt: *Dom. Soto, Melchior Cano, Barth. de Medina, Ruardus Tapper, Ioannes Vincentius, Thomas Stapleton, Alb. Pighius, Becanus, Molina, Vazquez*. Immo Pighius universa, quae Scholastici de habitu gratiae et caritatis statuunt, commenticia existimat neque ex Scripturis ullam auctoritatem habere. Quod assertum Morinus censet «dictum fors an intemperantius aequo. Tantus scholarum consensus in habitibus ponendis et concilii Viennensis sententia, quae eorum probabilitatem asserit, modestius excipi debuerat» (c. 7 n. 8; cf. n. 5 7).

d) Simili modo displicent habitus infusi Eusebio Amort et multis theologis aetatis sic dictae illuminationis (cf. *Scheeben*, Dogm. II, 3. B. n. 782), inter quos **B. Stattler**, *Theologia christiana theoretica* tr. 4 n. 307: Gratia sanctificans, iustificans, habitualis est «*decretum... Dei* benevolum et efficax stabilis applicationis omnipotentiae suae ad largienda homini omnia sufficientia *auxilia gratiae... secundum capacitatem ipsius praesentem et pro omni casu necessitatis eorum ad eliciendos... actus omnes omnium virtutum... requisitos, et denique perducendi eundem ad ipsam aeternam beatitatem, si citra grave peccatum in ea iustitia perseveraverit*». Gratiam dicere *qualitatem* animae infusam «philosophiae antiquae obscuritatem spirat» (n. 308). — Hermes sequitur Stattler et iustificationem concepit ut transitum hominis a dominatu carnis ad dominatum spiritus. Neque Kuhn admittit aliquam gratiam quiescentem sive extra usum facultatum permanentem. Secundum ipsum gratia habitualis et actualis nonnisi sensu valde improprio possunt dici diversae gratiae (cf. de his v. *Schäzler, Neue Untersuchungen* p. 333 s 343 s).

e) Tandem thesis non plene concedebatur a multis veteribus Scholasticis ante conc. Viennense, qui negabant parvulis in baptismo infundi habitus gratiae et virtutum¹. Inter quos erat Petrus Ioannis Olivi O. F. M. — Etiam Stattler, Hermes, Kuhn secundum sua principia omnem iustitiam inhaerentem parvulis denegare debuerunt.

¹ Ita etiam S. Anselmus sentiebat; cf. *De conc. virg.* c. 29 (ML 158, 462 s): Parvulis peccatum originale eo remittitur, quod iustitia originalis non amplius ab iisdem exigitur atque consequenter eius absentia non amplius habet indolem privationis et culpae. Post Petrum Lombardum, cui satis placuit sententia «quorundam», qui dicebant gratiam «cunctis parvulis in baptismo dari in munere, non in usu» (*Sent.* l. 4 d. 4 c. 7), haec sententia intra 50 annos ab omnibus fere recepta est; v. *Landgraf* (Gregorianum 9 [1928] 514 ss).

372. 4. **Qualificatio.** Doctrina catholica, si non definita, saltem omnino theologice certa et definibilis, quae sine gravi errore negari non potest.

a) Gratiam esse donum creatum, non ipsum Spiritum Sanctum, secundum *Suarez* est doctrina « certa et vel de fide vel ita proxima, ut contraria sit erronea »; quare Magister secundum *Petavium* « vehementer errat et communi theologorum, immo vero fidei decreto notatur »; v. Ber. n. 727, qui ipse cum Casajoana hanc assertionem *ut minimum certam* et de doctrina catholica declarat, et P 308: « tam aperte loqueretur contra mentem concilii Tridentini, ut a *gravi errore* excusari non posset ». — b) Gratiam sanctificantem neque in favore Dei tantummodo neque in praetereuntibus actibus constitui, sed esse « *permanens* supernaturale donum, a Deo animae *infusum* atque *inhaerens*, tam in *omnibus* sanctificationis *adultis*, quam in *infantibus* baptismo regeneratis », secundum *Adnot.* 42 ad schema de doctrina cath. cap. 18 concilio Vaticano propositum (CL 7, 551s) est doctrina catholica vel omnino iam definita a *Tridentino* s. 6 cap. 7 16, can. 11 vel certe ex ibi definitis manifestissime consequens; quare opposita doctrina proponebatur damnanda ut haeretica (CL 7, 517s). — Ber. n. 737: *Fide* divina et catholica credendum est gratiam sanctificantem esse aliquid reale, intrinsecum, per S. Spiritum diffusum, inhaerens, ab actibus distinctum iisque cessantibus in homine permanens. *Non constat* certo esse *de fide* eam consistere in entitate physica physice permanente; hoc autem sine *magna temeritate* negari non potest. — P 308: Res physice permanentes secundum *Suarez*, *Bellarminum*, *De Valentia*, *Vega* est a Tridentino definita, secundum alios (cf. supra *Morinum* n. 371 c) non est de fide, cum Tridentinum non tam diserte rem (physice) permanentem expresserit; sed omnes contrariam opinionem habent *valde temerariam* et censura dignam. — c) Iustis infundi fidem, spem et caritatem secundum Ber. 765 et P VIII 19 est dogma definitum. Ber. *ibid.*: Haec esse dona permanentia ab actibus distincta iuxta alios est etiam *de fide*, iuxta alios *theologice certum*; esse virtutes stricte dictas sine *magna temeritate* negari non potest. — P VIII-27: Non intellegi actus moraliter permanentes, sed habitus, est certum, non tamen tam immediate patet ex Tridentino.

373. Prob. I. Ecclesia. 1. Ante Tridentinum. a) Innocentius III (Dz 410) supponit *adultis* in baptismo infundi gratiam et virtutes. Quoad *parvulos* utramque sententiam admittit. — b) Cum *P. I. Olivi* ab adversariis etiam propter doctrinam infantibus baptizatis habitus infusos denegantem accusaretur¹, Clemens V declaravit in concilio Viennensi a. 1312 (Dz 483): « Opinionem secundam, quae dicit *tam par-*

¹ V. Franz Ehrle S. J. *Zur Vorgeschichte des Konzils von Vienne* (Archiv f. Litter.- u. Kirchengesch. des MA II [1886] 368 s 390 s 395 s; III [1887] 25 191); — idem, *Olivis Leben und Schriften* (ibid. III 448).

vulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante concilio duximus eligendam.»

374. 2. Tridentinum s. 6 haec docet: Iustificatio est translatio a statu peccati in statum gratiae et adoptionis (cap. 4 [Dz 796]). Praeparationem ope gratiae factam (cap. 5 6 [Dz 797 s]) ipsa iustificatio consequitur. Haec iuxta **cap. 7** (Dz 799) est etiam sanctificatio et renovatio interna «per voluntariam susceptionem gratiae et donorum»; cuius «unica formalis causa est iustitia Dei, . . . qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati . . . vere iusti sumus, *iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam*». In hac iustificatione merita passionis Christi applicantur (Dz 800), «dum . . . per Spiritum Sanctum *caritas* Dei diffunditur in cordibus . . . atque ipsis *inhaeret*; unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul *infusa* accipit homo . . . *fidem, spem et caritatem*». Sic «veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu *primam stolam* . . . iubentur . . . conservare». — **cap. 16** (Dz 809 fin.): Eadem iustitia est nostra, «quia per eam nobis *inhaerentem* iustificamur», et Dei, «quia a Deo nobis *infunditur* per Christi meritum». — **can. 11** (Dz 821): Homines non iustificantur sola imputatione vel peccatorum remissione «exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis *inhaereat*». Gratia, qua iustificamur, non est tantum favor Dei. — Cf. s. 7 can. 13 de baptismo (Dz 869): Parvuli, quamquam actum credendi non habent, tamen suscepto baptismo inter fideles computandi sunt.

375. Iamvero hisce docemur: a) Iustitia interna complectitur saltem gratiam sanctificantem et tres virtutes theologicas. Hae virtutes (Dz 800) expresse ut dona infusa enumerantur. Ipsis additur et simul aliquo modo opponitur «gratia»: Susceptio «gratiae et donorum» (Dz 799). Caritas diffunditur et inhaeret (Dz 800). Gratia et caritas (Dz 821). Fides distinguitur realiter a gratia et caritate, quia realiter separabilis est (cap. 15 et can. 28 [Dz 808 et 838]); eadem non perfecte unit cum Christo, nisi accedat spes et caritas (Dz 800). — Ergo habemus gratiam et tres virtutes tamquam dona saltem *formaliter* distincta. Fides clare et spes satis clare ut donum *realiter* ab aliis distinctum exhibetur.

b) Haec sunt dona creata, non exclusa caritate. Unusquisque enim *suam* iustitiam recipit, S. vero Spiritus eam

singulis partitur secundum variam mensuram (Dz 799 fin.), et ipse est, qui diffundit caritatem inhaerentem (Dz 800). Ergo Spiritus Sanctus non est realiter idem ac caritas inhaerens. Haec autem intellegitur non actus, sed habitus (v. sub d).

c) Ista dona non sunt entia ordinis mere moralis, sed sunt aliquid physici. Ens mere morale esset tandem *imputatio* iustitiae Christi vel *favor* Dei externus, quae excluduntur can. 11 (Dz 821).

376. d) Illud ens physicum *non est actus* physice transiens et moraliter tantum permanens *neque series multorum actuum*, qui sub motione Spiritus Sancti continuata frequenter fiunt, sed est res physice permanens. Prob. *α*) Insinuatur voce *inhaerendi* (Dz 800 809 821), quae proprie praedicatur de re physica sine interruptione physice perdurante, et tropo *stolae* acceptae et conservandae (Dz 800). — *β*) Ex oppositione inter cap. 6 et 7. In priore capite clare erat sermo de actibus disponentibus fidei, spei, dilectionis (saltem initialis) etc., auxilio gratiae elicitis. Ab his contradistinguuntur cap. 7 dona ipsius iustificationis: Voluntarie suscipiuntur gratia et dona; caritas diffunditur et inhaeret; fides, spes, caritas infusae accipiuntur; can. 11: Non est excludenda gratia et caritas, quae diffunditur et inhaeret. Ergo haec dona inhaerentia sunt aliquid aliud quam isti actus praeparatorii. — *γ*) Patres tridentinos rem sic intellexisse probatur ex actis concilii.

Pallavicino S. J., *Conc. Trid. hist.* l. 8 c. 13 n. 13; c. 14 n. 3. — Theiner, *Acta Conc. Trid.* I 247 b 248 306 b 310 a 312. — Ehses, *Conc. Trid.* V. — Die 1 Oct. 1546 Petrus Tagliavia archiepiscopus Panormitanus proposuit, ut in canone tunc 7 (ex quo prodiit praesens can. 11) adderetur verbum «habitualiter»: «seu gratiae in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusae et nobis *habitualiter* inhaerentis». Dixit: «Huius ratio est prima pro pueris iustificatis, in quibus gratia habitualis et caritas inest, non autem actualis» (*Ehses* l. c. 453, 40 ss; cf. *Friedr. Hünermann*, *Wesen u. Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil v. Trient* [Paderborn 1926] 72, et *Scholastik* 1 [1926] 434). — Theologi d. 31 Oct. declaraverunt cap. 6 non esse sermonem de habitu caritatis, sed de actu, cap. vero 7 caritatem per habitu sumi (*Ehses* 520, 9—11 35—44). «Praeter verbum inhaerentiae desideratum est et aliud verbum sc. »tamquam habitus infusus«. Quod videretur superfluum, cum verbo »inhaeret« intellegatur habitus, et apud omnes constat caritatem, de qua sermo est, diffundi per Spiritum Sanctum, non a nobis acquiri» (521, 15—18). — Iterum m. Nov. ad cap. 7 (tunc 8) propositum est: «Ubi fit mentio de fide et caritate, addatur »per habitum« et supra in 6. cap. »per actum«. Claudius» (682, 15 s). Quare inter 9 censuras graviores, quae initio m. Dec. congregationi generali proponebantur diiudicandae, primo loco

invenitur: «An in cap. 6, ubi inter dispositiones nominatur fides et spes, debeat poni nomen »actus«. Et in cap. 8, ubi eadem nominantur in ipsa iustificatione, debeat poni nomen »habitus«, ut appareat differentia inter fidem et spem, quae praecedunt iustificationem, et eadem, quae donantur a Deo infundente gratiam in iustificatione. An vero debeat stare decretum, ut iacet» (686, 28—32). Haec quaestio discussa est d. 6 Dec. (687—690). Vota fuerunt haec: «1. Quod ponatur nomen »actus« et »habitus«, sunt 8. Quod ponatur in 8. [nunc cap. 7] »habitus« et in 6. non ponatur »actus«, 2. Quod ponatur »actus« in 6., et in 8. »habitus« non ponatur, 1. Remiserunt se ad legatos 18. Reliquis placent verba decreti» (691, 1—3). Sic ista nomina non sunt addita, sed Patres decretum hoc sensu intellexerunt. — Cf. etiam P V 308; VIII 28. — *Hefner* p. 252 s. — *Prumbs*, Die Stellung des Trienter Konzils in der Frage nach dem Wesen der hlm. Gnade (Ehrhard-Kirsch, Forschungen IX 4 [1909], p. 113 s). — *Vega*, Trid. decr. de iust. expos. l. 7 cap. 24.

δ) Etiam Catechismus Romanus (pars 2 cap. 2 q. 49) ita explicat Tridentinum: «Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum... decrevit, ... divina qualitas in anima inhaerens.» — q. 50: «Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur.» — Cf. concilium Moguntinum a. 1549 cap. 7 (apud P VIII 21).

377. e) Haec dona infunduntur in omni iustificatione: α) Etiam in ea, quae fit sacramento poenitentiae. Sic secundum s. 6 cap. 14 (Dz 807 init.) *amissa gratia*, i. e. specificè eadem atque habita, *recuperatur*. Nova igitur iustificatio eandem habet causam formalem ac prior. — β) Etiam in baptismo parvulorum. Proxime quidem s. 6 cap. 5—7 describitur iustificatio adulatorum per baptismum. Sed 1) s. 5 can. 3 (Dz 790) dictum erat «ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum... tam adultis quam parvulis applicari»; atqui s. 6 cap. 7 (Dz 800 init.) *eadem fere verba* inveniuntur: «Merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur iustificandis» (cf. etiam initium capituli 3 [Dz 795]). Ergo omnino supponendum est etiam parvulis merita Christi eo modo applicari, qui s. 6 cap. 7 pro adultis describitur, i. e. infusione donorum habitualium. — 2) Porro concilium s. 5 can. 5 (Dz 792) *generaliter*, non quoad solos adultos, loquitur de gratia Christi, «quae in baptisate confertur», et s. 6 cap. 3 (Dz 795) eadem generalitate docet: Homines ex semine Adae propagati nascuntur iniusti; iustificantur autem eo, quod in Christo *renascuntur*, «cum ea renascentia per meritum passionis eius *gratia, qua iusti fiunt*, illis tribuatur». Ergo etiam

renascentia parvulorum fit per gratiam iustificationis, cuius natura postea cap. 7 plenius indicatur. — Ille ritus baptismalis, qui secundum cap. 7 (Dz 800 fin.) iustitiam acceptam (donis habitualibus inhaerentem) symbolizat, etiam in parvulis observatur. — Ergo saltem summe temerarius esset, qui hodie a iustificatione parvulorum vellet excludere dona gratiae et virtutum.

378. 3. Post Tridentinum. Damnatur sententia Baii (pr. 42 et 69 [Dz 1042 1069]), qua *iustitia* dicitur *formaliter* consistere in oboedientia mandatorum et non in aliqua gratia animae infusa, hominem adoptante et interne renovante. Cum Baius non negaret istos actus oboedientiae effici interna gratia *actuali*, ea gratia infusa, cui denegat formalem iustificationem, clare designatur esse *habitualis*. — In Vaticano intendebatur definitio nostrae thesis, quatenus agit de gratia sanctificante (v. St. qu. n. 372), etiam quoad parvulos, quia « ex iustificatione infantium clarius intellegitur gratia ut donum permanens et inhaerens » (Adnot. 42 [CL 7, 552]). — Cf. schema reformatum, cap. 5 cum can. 2 3 et relationem de schemate reformato (562 ss 566). — Emendatio proposita, quae in cap. 3 *Constitutionis de fide catholica* (cf. Dz 1793) necessitatem fidei ad iustificationem adultorum restringere voluit, reiecta est, postquam *Conr. Martin* episcopus paderbornensis in sua relatione dixit hic agi de fide ut virtute, quae omnibus consentientibus etiam pueris per sacramentum baptismi infundatur (CL 7, 178; cf. P VIII 427).

379. II. Scriptura.

Cf. textus th. 9 et 12 II (n. 269 s et 354). — *J.-B. Frey*, Le concept de vie dans l'Évangile de s. Jean (Biblica 1 [1920] p. 37—58 211—239). — *Wilh. Reinhard*, Das Wirken des H. Geistes im Menschen nach den Briefen des Apostels Paulus (Freih. Th. Stud. Heft 22 [1918]) et opera ab eo laudata. — *Herm. Bertrams*, Das Wesen des Geistes nach der Anschauung des Apostel Paulus (Ntl. Abh. 4, 4 [1913]). — *Prat*, Théologie de s. Paul II^e. — *Rademacher*, *Monse*, v. *Harnack* v. n. 247.

380. A. *Gratia sanctificans*. Scriptura ita loquitur de nova natura et vita divini ordinis fidelibus in iustificatione conferenda, ut non possit rationabiliter explicari de meris *metaphoris*, quibus *relationes morales* et *actus moraliter permanentes* designentur, sed dicenda sit asserere principium aliquod physicum physiceque permanens huius superioris naturae et vitae tamquam donum internum et creatum dari iustificandis.

1. 2 Petr 1, 4 *probabilius* agitur de reali et physico consortio divinae naturae per dona creata et permanentia conferendo (v. th. 14 n. 408 ss).

2. Vita divina fidelibus a Deo generatione quadam communicatur (v. *Billot* th. 7 p. 133 ss; *Frey* p. 222—227; *Reinhard* p. 54—61; *Monse* 117—119 140—143). **S. Paulus** quidem plerumque loquitur de *υιοθεσία*. Adoptio per se est ens *morale*. Per eam homini iam viventi et physice non mutato communicantur novum nomen novaque iura, non nova vita. Sed ipse Paulus iam innuit hac adoptione plus praestari, vocando nos non solum *υιούς*, sed etiam *τέκνα* (a *τίκτεν* — gignere) Dei (Rom 8, 16 s 21; 9, 8; Eph 5, 1), Christum «*primogenitum* in multis fratribus» (Rom 8, 29) et baptismum «*lavacrum regenerationis*» (Tit 3, 5). — Iac 1, 18: «*voluntarie genuit nos*» (*ἀπεκύνησεν*, proprie: «*partum edidit*»). — 1 Petr 1, 3: «*regeneravit nos*»; 1, 23: «*renati* non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi». — Maxime autem haec conceptio familiaris est **S. Ioanni**. *Ἡ ζωὴ* sive *ἡ ζωὴ αἰώνιος* potest vocari idea centralis quarti evangelii, in quo haec vox tricies sexies invenitur (apud tres Synopticos simul sumptos decies sexies). Significat aliquod bonum salutare non exclusive futuri, sed iam praesentis aevi (v. n. 270 d). Communicatur aliqua generatione seu natiuitate ex Deo, sine qua nemo potest introire in regnum Dei (3, 5). Fideles utique non accipiunt consubstantialiter plenitudinem divinitatis sicut Unigenitus Patris, sed «*dedit eis potestatem filios Dei fieri*» (1, 12), et hoc sensu est aliqua *υιοθεσία*. At non est mera adoptio. Non vocamur tantum filii Dei, sed etiam sumus (1 Io 3, 1). Sumus ex Deo procreati (generati sive nati): Fideles *ἐκ (τοῦ) θεοῦ γεννώσθαι* dicuntur Io 1, 13; 1 Io 2, 29; 3, 9; 4, 7; 5, 1 4 18. Haec ex Deo nativitas est excellentius quid quam generatio ex sanguinibus, ex voluntate carnis et viri (1, 13). Sicut carnalis generatio communicat carnem, sic generatio ex Spiritu communicat naturam spiritualem (3, 6: *σὰρξ ἐστίν — πνεῦμά ἐστιν*). Hac generatione confertur internum et permanens principium novae vitae; 1 Io 3, 9: *Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, διὰ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει*. — Idem Io 15, 1 ss explicatur parabola vitis: Sucus vitalis ad fructificandum omnino necessarius palmitibus iugiter administratur, quamdiu permanet eorum cum ipsa vite unio vitalis. — Hisce omnibus simul sumptis apparet Deum hominibus adoptione non merum ius morale in bona patris conferre, sed iisdem realiter et phy-

sice communicare superius principium vitale, quo vere efficiuntur filii Dei et vitam huic novo statui correspondentem agere possunt.

3. Per gratiam homines quasi de novo creantur. Gal 6, 15 et 2 Cor 5, 17: *καινή κτίσις*. Eph 2, 10: Dei sumus *ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς* (ad bona opera facienda). — Iac 1, 18: Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis *εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχὴν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων*. — Per creationem communicatur tota substantia sive natura. In iustificatione *naturalis* quidem substantia iam supponitur, sed confertur aliquid, quod in ordine *supernaturali* se habet et substantia et natura in ordine naturali, h. e. non immediate dantur bona opera, sed potius principium aliquod permanens, ex quo bona opera procedunt.

4. Inserimur sive complantamur Christo (Rom 6, 5; 11, 17 ss); induimus Christum (Gal 3, 27; Rom 13, 14) vel novum hominem (Col 3, 10; Eph 4, 24); sumus et vivimus in Christo (Rom 6, 11; 1 Thess 1, 1 etc.), et Christus vivit in nobis (Gal 2, 20; Phil 1, 21; cf. Io 15, 4—7; 6, 57 s). Quae, si cum ceteris comparantur, saltem confirmant thesim (cf. *Frey* 228 ad 230; *Reinhard* 47—54).

5. De Spiritu Sancto animam iustorum inhabitante praesertim **S. Paulus** ita loquitur, ut *effectus creatus et physice in anima permanens* non solum ratione deduci debeat, sed etiam satis clare formaliter indicetur. a) Spiritu Sancto sigillatur anima. Eph 1, 13: «in quo et credentes signati estis (*ἐσφραγισθητε*), qui est pignus (arra; cf. n. 270 a) hereditatis nostrae». 4, 30: «in quo signati estis in diem redemptionis» (cf. 2 Cor 1, 22, ubi tamen apostolus proxime de se ipso et suis collaboratoribus loquitur). — Sigillo designatur ius proprietatis, confirmatur diploma, imprimatur nota seu character. Sic fidelis S. Spiritu sigillatus declaratur Deo vel Christo specialiter *proprius* et devotus, *confirmatum* accipit *ius hereditandi*, transformatione quadam *assimilatur* Christo¹.

¹ Haec exponit *Reinhard* (20 s) iuxta *Franz Jos. Dölger*, *Sphragis* (Studien z. Gesch. u. Kultur des Altertums V, 3—4 [Paderborn 1911]) et pergit: «Alle diese Vorstellungen haben ein Merkmal gemeinsam: Die Besiegelung ist etwas Bleibendes, etwas Dauerndes, ein dem Menschen innerlich anhaftendes Merkmal, eine neue Art oder Qualität des Seins. — Die Frage, ob das Siegel nichts anderes ist als der H. Geist, insofern er im Christen wohnt, oder ein von ihm gewirktes seelisches Zeichen, lässt sich mit Sicherheit nach Paulus kaum beantworten. So viel lässt sich wohl sagen, dass letztere Auffassung näher liegt. Denn das Siegel ist nicht die siegelnde Person selbst.» — Eandem rationem v. *Ber.* 737.

— b) Per Spiritum Sanctum in nobis praesentem anima transformatur, quasi denuo creatur, instruitur nova natura divini ordinis cum novis proprietatibus et operationibus. Haec nova natura in anima saepius a Paulo vocatur *πνεῦμα* (v. *Prat* II⁷ p. 84s). Rom 8, 16: *Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συνμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν ὅτι ἐσμέν τέκνα θεοῦ*. «Noster spiritus» est illa nova natura vel facultas in nobis a Spiritu Sancto producta, qua capaces reddimur ad res divinas percipiendas. Nam *ὁ νοῦς* noster, sibi solus relictus, nihil scit de filiatione divina (similis oppositio inter *πνεῦμα* et *νοῦς* invenitur 1 Cor 14, 14s: *πνεῦμα* includit elementum supernaturale, quod tamen hoc loco est charisma, non gratia gratum faciens)¹.

¹ Cf. *Prat* p. 490—492: *Πνεῦμα* 145 locis apud Paulum legitur. Saepe sensus praecisus dubius manet. Aliquoties designatur principium cogitandi in homine (*νοῦς*), saepe S. Spiritus, saepissime operatio S. Spiritus in homine sive ipse homo sub influxu S. Spiritus constitutus (v. g. in salutatione finali epistularum synonyme dicitur: «Gratia sit vobiscum» vel «cum spiritu vestro»). — Cornély in Gal 5, 16 approbat eos, qui censent hoc loco in phrasi «*spiritu ambulate*» spiritum intellegi «superiorem hominis partem, quatenus, gratia sanctificante instructa et cum S. Spiritu inhabitante unita, principium est actionum supernaturalium (cf. ad 1 Cor 2, 13)». — Hub. Th. Simar, *Die Theologie des hl. Paulus*, 2. Aufl., p. 41: «Es ist demnach mit dem Ausdruck *νόος* die ganze geistig-leibliche Natur des Menschen in sittlicher Beziehung, in ihrem durch die Sünde hervorgerufenen Zustande, bezeichnet; *πνεῦμα* hingegen ist die sittliche Erkenntnis- und Willenskraft des Menschen (*νοῦς*) in ihrer übernatürlichen Verbindung mit dem göttlichen Geiste (*τὸ πνεῦμα* Röm. 8, 16, ...) mittelst der Gnade (Röm. 8, 9 11 16; vgl. m. 5, 5; 1 Kor. 2, 10—12; Gal. 4, 6).» — W. Schauf, *Särz* (1924) 41: «Das Mittel, durch das diese Erneuerung oder Verklärung bewirkt wird, ist... das göttliche Pneuma. Was dieses Pneuma bei Paulus ist, ist schwerer zu sagen, als was es wirkt... Wollen wir gleichwohl das Wesen des paulinischen »Pneuma« kurz in der Sprache der Schule ausdrücken, so wäre es zu bestimmen als die gratia Dei increata, der Hl. Geist, und die gratia Dei creata, die Fülle der Gnaden, Gaben und Kräfte des Hl. Geistes für den einzelnen oder die Gesamtheit»; *ibid.* 42 not.: «Das Pneuma in seiner begrifflichen Allgemeinheit gefasst ist von Paulus als Kraft und Prinzip des übernatürlichen, christlichen Lebens gewertet. Dieses Prinzip erscheint bald als die Person des Hl. Geistes, bald als Gnade, bald als der erhöhte, pneumatische Christus; der ja geworden ist *εἰς πνεῦμα ζωοποιόν*, zum Lebensprinzip (1 Kor 15, 45).» — Fr. Vogtland, *Die paulinische Lehre von den theol. Tugenden* (Der Kath. 97 [1917] I 324): «Ueber drei Punkte der paulinischen Pneumalehre herrscht heute mehr oder weniger Einigkeit: 1. dass das Pneuma identisch ist mit einer sittlichen Kraft, 2. dass diese Kraft übernatürlicher Art und von Gott mitgeteilt, und 3. dass sie innerlich ist... Nicht wenige protestantische Autoren betrachten das *πνεῦμα* als ein stoffliches Fluidum nach Art des stoischen Pneuma, das den Menschen durchzieht und ihn physisch vergöttlicht; vgl. z. B. *Holsten* II, 40, *Holtzmann* II, 22 (L. d. ntl. Th.), *Pfeiderer* »Paulinismus« (Berlin 1873) 1. Aufl., *Feine*... (Hi igitur istam crudam doctrinam deificationis, quam

6. *Varia thesim confirmantia Beraza n. 737, 2 sic complectitur: « Gratia in S. Litteris exhibetur sub symbolo seminis, pignoris, signaculi, vitae, lucis, vestis, fontis aquae salientis in vitam aeternam. 1 Io 3, 9; 2 Cor 1, 21; Eph 1, 14; 4, 30; 5, 8; Io 4, 14; 6, 58; 7, 38 s; 10, 10. His autem symbolis haud obscure significatur gratiam iustificationis esse aliquid physice permanens, ab actibus distinctum et animae habitualiter inhaerens. »*

381. B. Virtutes infundi non directe in Scriptura enuntiatur, sed ex nonnullis suaderi potest.

1. Per evangelium fideliter receptum sive per Spiritum Sanctum divinitus conferri dicitur aliqua potentia (*δύναμις*) ad bene vivendum, in bono perseverandum etc. (Rom 1, 16; 2 Cor 4, 7; 12, 9; Eph 3, 20; 6, 10; Col 1, 29). Eph 3, 16: Deus det « virtute corroborari (*δυνάμει κραταιωθῆναι*) per Spiritum eius in interiorem hominem ». Hoc donum Dei v. 17 s coniungitur cum *fide* et *caritate*: « Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in caritate radicati et fundati ». — 2 Tim 1, 7: *οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφροσμοῦ*. — Hebr 6, 4 s: Christiani participes facti sunt Spiritus Sancti et gustaverunt *δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος*¹. — Cf. Eph 2, 10: *κτισθέντες . . . ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς*. — Hi textus, licet permanentia principia infusa non rigore demonstrant, sine dubio in istam doctrinam apprime quadrant.

multi Patribus graecis tribuunt, iam apud Paulum inveniunt; cf. n. 278)... Gegner eines materiellen *πνεῦμα* sind jedoch *Wendt* (142 ff.) und *Beyschlag* (II 32), auch schon *Pfleiderer* in der 2. Auflage... *Deissmann*... » Quibus addi potest *E. Sommerlath*, *Der Ursprung des neuen Lebens nach Paulus*, 2. Auflage (Leipzig 1927) 60 s (cf. *Scholastik* 3 [1928] 416 s). — De variis significationibus vocis *πνεῦμα* apud Paulum fuse agit *H. Bertrams*, *Das Wesen des Geistes*. In admittenda significatione personae S. Spiritus aequo difficilior esse videtur; sed bene ostendit, quam frequenter *πνεῦμα* apte intellegatur de *dono creato, habituali, hominem interne sanctificante*; v. praesertim p. 46—76 91—101; v. g. 98: « Die durchgängige Auffassung des Apostels ist die, dass das von Gott verliehene *πνεῦμα* in dem Menschen eine neue Beschaffenheit oder Eigenschaft wird, der zufolge er über die Welt sich erhebt und an dem göttlichen Leben Anteil erhält »; p. 100: « In diesem *νοῦς*, dem innern Menschen, findet Gottes *πνεῦμα* seine Heimstätte. »

¹ Reinhard p. 63 s: « Paulus kennt eine Kraft des Hl. Geistes, welche Kraft und Fähigkeit zu einem religiös-sittlichen Leben im Sinne des Evangeliums ist... *Weizsäcker* fasst sie als... einen «Beweggrund für die sittliche Tat»... Diese Auffassung wird gerade durch das Wort *δύναμις* unmöglich gemacht. Dieser Begriff hat stets physische Kraft, sei es körperliche oder geistige, zum Inhalt, niemals moralische im Sinne von Motiv. *Δύναμις* ist ruhende oder wirksame Macht oder Stärke, die einem Dinge oder einer Person infolge seiner Konstitution eigen ist und es zu bestimmten Leistungen befähigt. »

2. Inter dona supernaturalia specialem classem eamque praecipuam constituunt πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα (1 Cor 13, 13), et haec tria *ἑνὶ μένει*, i. e. « fides, spes, caritas, maxime si cum charismatis, de quibus proxime agitur, comparantur, cum omnibus iustificatis toto Ecclesiae tempore hac in terra permanent et permanebunt, ut nemo sine sua culpa illas amittat nec quisquam sine illis iustus sit » (*Cornely*). « Maior autem horum est caritas », et haec *οὐδέποτε πίπτει* (v. 8). Asserta permanentia, quamvis de actibus repetitis absolute intellegi possit, per habitus infusos certe plenius verificatur. — Alios textus v. n. 397 (praesertim 1 Thess 1, 3; 5, 8; Hebr 10, 22 ss).

382. Rom 5, 5: « Caritas Dei diffusa est (*ἐκκέχυται*, effusa) in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » a *S. Augustino* exponitur de caritate, qua nos Deum diligimus, et a *Scholasticis* habebatur classicus textus ad probandum infusum habitum caritatis. Sed recentiores exegetae iam inde a cardinalibus *Caetano* et *Toledo* cum multis *Patribus graecis* et *Ambrosiastro* intellegunt caritatem, qua Deus nos diligit. Quam explicationem contextus (v. 2—4) postulare videtur: In praesentibus tribulationibus speramus gloriam promissam. Haec spes bene fundata est. Certissime Deus aliquando dabit bona promissa, quoniam videmus eum iam tot et tanta *suae in nos caritatis argumenta* praestitisse. Iam accepimus in cordibus nostris maximum donum divinum. Dando nobis Spiritum Sanctum Deus suam in nos caritatem in cordibus nostris quasi effudit. Etiam in sequentibus verbis est sermo de caritate, qua nos diligit Deus; praesertim v. 8: « Commendat autem caritatem suam Deus in nobis. » — *Tridentinum* s. 6 cap. 7 (Dz 800), ubi istis verbis S. Pauli habitualem caritatem infusam docet, minime eorundem sensum penes ipsum Apostolum authentice declarare intendit.

383. III. Patres non inquirunt data opera, quae gratiae dona sint transeuntia, quae permanentia; sed ex eorum verbis aliquoties satis clare apparet ipsos quosdam internos gratiae effectus habere dona creata realia physice permanentia.

A. Gratia sanctificans: Distinguunt Patres a S. Spiritu animam inhabitante qualitatem creatam supernaturalem, naturae humanae in iustificatione additam, qua anima physice transformatur et deificatur quaque apta efficitur ad vitam vere spiritualem et deiformem gerendam. — Multi textus iam allati sunt th. 9 n. 273 ss. — *Ignatius* (n. 273). — *Irenaeus*, *Adv. haer.* 5, 10, 2 (R 253): Oleaster inseritur olivae. — *Cyprianus*, *De op. et eleem.* 14 (R 564): Qui secundum Adam nudus fuerat, indumento Christi candido vestitur. — *Origenes*, *De princ.* 1, 1, 3 (R 449): Spiritus Sanctus est

virtus sanctificans. — Athanasius (n. 274): Deificatio per S. Spiritum. — **Cyrillus Hier.**, *Cat.* 17, 14 (R 835): S. Spiritus in intima animae ingrediens comparatur *igni*, qui *ferrum* frigidum reddit fervidum nigrumque collucens. — **Basilius**, *De Spir. S.* 9, 23 (R 944): Sicut corpora pellucida, contacta radio, fiunt et ipsa splendida et fulgentia, ita animae, quae ferunt Spiritum ab eoque illustrantur, fiunt et ipsae spirituales. — 26, 61 (MG 32, 179): « Sicut *cernendi vis* est in oculo sano, sic operatio (*ἐνεργεία*) Spiritus in anima purgata... Et quemadmodum *ars* est in eo, qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo, qui recepit eam, *semper quidem praesens*, at *non perpetuo operans*. » — **Chrysostomus**, *In Rom. hom.* 10, 2 (R 1185): Accepimus sanitatem, pulchritudinem, dignitates. — *Hom. ad Neophytos* (R 1228): Baptismo etiam infantibus additur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas etc. — **Cyrillus Alex.** (n. 276; R 2063): Spiritus nos ad formam Christi perficit *per sanctificationis qualitatem*, divinam figuratorem in nobis imprimendo. — *In Is 4*, 2 (R 2099): S. Spiritus infert nobis divinam aliquam formam per sanctificationem et iustitiam. — Ps-Dionysius et Maximus Conf. (n. 277) de deificatione. — **Ambrosius**, *De Spir. S.* 1, 6, 79 (R 1282) de signaculo Spiritus Sancti. — *Hexaem.* 6, 7, 42 (n. 279; R 1318) de anima a Deo bene picta. — **Augustinus** (n. 280 ss) de deificatione et adoptione. Saepissime loquitur de *caritate* per corda diffusa, quam plerumque ad modum motus actualis describit. Sed bene novit gratiam quoque habitualement, quam *etiam parvuli* accipiunt. Sic *De pecc. mer. et rem.* 1, 9, 10 (R 1715): « Praeter hanc imitationem gratia eius *illuminationem iustificationemque* nostram etiam intrinsecus operatur... Hac enim gratia baptizatos quoque *parvulos* suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent... Dat etiam sui Spiritus occultatissimam fidelibus gratiam, quam *latenter infundit et parvulis*. » — *Tridentinum* suam doctrinam ex dictis Augustini magna ex parte composuit; cf. v. g. s. 6. cap. 7 (Dz 799) et Aug., *De spir. et litt.* 9, 15 (R 1730): « Iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium ». — 27, 47 (R 1732): Spiritus gratiae imaginem Dei instaurat in nobis¹.

¹ H. Roles, *St. Augustins Exegese des johanneischen Lebensbegriffs* (Pastor Bonus 36 [1925] 81-91) haec ex Tract. S. Augustini in Ioannem eruit: « Das ewige Leben selber ist also die geistige Kraft (*πνεῦμα*), die aus der im Glauben an Christus vollzogenen Verbindung des Menschen mit Gott aus Gott in den Menschen überströmt und jene Wirkungen hervorbringt. (Es ist die heiligmachende Gnade, wie wir heute sagen.) »

384. B. Virtutes infusae. Patres similiter ac Scriptura gratiam exhibent ut potentiam virtuose operandi divinitus datam. Inter virtutes maxime extollunt fidem, spem, caritatem. Interdum haec dona tamquam *ab actibus distincta* et physice permanentia describunt. — Basilius (supra). — Chrysost., *In Act* 40, 2 (R 1216), inter bona, quae per baptismum habemus, etiam enumerat fidem, spem, caritatem, quae manent. — Augustinus, *Epist.* 98, 9 (R 1424): «Parvulus, qui *fidei* nondum habet *affectum*, respondetur fidem habere propter fidei *sacramentum*.» — *In Ps* 55, 19 (R 1469): «Ipse dedit *fidem, spem et caritatem*;... hoc auferre non potest [inimicus] nisi volenti;... fidem nemo perdet, nisi qui spreverit.» — *Op. imp.* 2, 165 (R 2009): «Iustificat quippe impium Deus, non solum dimittendo, quae mala facit, sed etiam donando *caritatem*, ut declinet a malo et faciat bonum per Spiritum Sanctum.» — **Gregorius M.**, *In Ezech* 1, 5, 11 (R 2324): «In sanctorum cordibus [Spiritus Sanctus] iuxta quasdam virtutes *semper permanet*, iuxta quasdam vero recessurus venit et venturus recedit. In *fide* etenim, *spe* atque *caritate* et in bonis aliis, sine quibus ad caelestem patriam non potest perveniri, sicut est *humilitas, castitas, iustitia* atque *misericordia*, perfectorum corda non deserit», cum in charismatis aliquando se subtrahat.

385. IV. Theologi. **Anselmus**, *De voluntate* (ML 158, 487): Distinguitur voluntas *instrumentum* volendi, *affectio* eiusdem instrumenti et *opus* instrumenti. Principales affectiones sunt affectio volendi *commodum* et affectio volendi *iustitiam*. Haec altera non inest in iniustis, separabiliter inest in iustis hominibus in hac terra, inseparabiliter inest in beatis. — Eandem divisionem ponit *De concordia* q. 3 cap. 11 (ML 158, 534 s) additque: «Affectio huius instrumenti est, qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid, *etiam quando illud*, quod vult, *non cogitat*, ut, si venerit in memoriam, ... illud velit... In iusto quoque homine similiter est affectum idem instrumentum ad volendum iustitiam, *etiam cum dormit*, ut, cum eam cogitat, statim eam velit.» — Hanc affectionem iustitiae *solus Deus* voluntati *dare* et amissam *reddere* potest, ut ostendit *De casu diaboli* cap. 12—18 (ML 158, 341—350). — **Petrus Lomb.**, *Sent.* 1. 2 d. 27, duplicem affert sententiam de natura gratiae et virtutis: «Quidam non inerudite tradunt virtutem esse bonam mentis *qualitatem sive formam*, quae animam informat.» «Gratis terrae mentis nostrae, i. e. libero

arbitrio voluntatis, infunditur *pluvia* divinae benedictionis, i. e. inspiratur *gratia* . . . , qua rigatur voluntas hominis, ut germinet et fructificet . . . Et illa *gratia virtus* non incongrue nominatur.» Iuxta hanc sententiam «*gratia*, quae sanat et liberat voluntatem hominis, *virtus* est vel una vel plures» (ed. Quar. cap. 6). «Alii vero dicunt virtutes esse bonos *usus* naturalium potentiarum» sive «*motus mentis*» (c. 12). Licet tandem (c. 12 fin.) horum iudicium lectoris relinquat examini, nihilominus satis manifeste priorem sententiam praeeligit. — **Alexander Hal.** conceptus *aristotelicos* 4 causarum ac praesertim causae formalis ad doctrinam gratiae et virtutum applicat. — *S. th.* 3 q. 61 m. 6 a. 1: Gratia gratum faciens est «lux spiritualis ad hoc, quod ipsa assimilet animam Deo». Effectus suos formales similiter operatur ac lux naturalis, quae, ut sibi assimilet aerem, eum purgat a tenebris, disponit et illuminat. Ergo gratia sicut forma naturalis primo dispositiones dissimiles a materia removet, dein dispositiones consimiles in materiam introducit, ultimo se ipsam in materiam introducit eamque perficit (cf. *Karl Heim, Das Wesen der Gnade . . . bei Alexander Halesius* (Leipzig 1907) p. 37 ss¹. — q. 61 m. 2 a. 4: «Similiter in anima lumen est *gratia*, radius autem *virtus*; quia *gratia*, quae est ipsa lux, perficit animam quantum ad essentiam et indistincte quantum ad omnes vires, *virtus* autem perficit animam quantum ad partes, quae sunt vires eius.» Hoc dein ostendit quoad virtutes theologicas. — **Bonaventura**, *In 2* d. 26 q. 1 probat gratiam ponere aliquid circa gratificatum. — q. 2: *De fide* credendum est donum increatum gratiae inesse iustis ut principium effectivum recreationis, vivificationis etc. Secundum positionem autem *securiorem et rationabiliorem*, quae consonat communitati magistrorum et verbis expositorum et pietati Sanctorum, sicut *doctores parisienses communiter* sentiunt et senserunt ab antiquis diebus, etiam asserendum est donum gratiae creatum, quo vivificatio et reformatio est sicut ab *informante*. — q. 3: Gratia ut donum creatum est accidens; — q. 4: est corruptibilis.

386. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 110. De gratia quantum ad eius essentiam. — a. 1: Gratia non consistit in sola *acceptatione*

¹ «War die Gnadenwirkung von Augustin bis Petrus Lombardus im wesentlichen als inspiratio dilectionis, also als Zufluss von Kraft für ein gottgemässes Verhalten vorgestellt worden, so tritt jetzt an die Stelle des Kraftbegriffs der Begriff der Information in den Mittelpunkt der Gnadenlehre» (p. 46).

divina, neque in sola *remissione peccatorum*, sed ponit aliquid in anima. Dilectio quidem hominis praesupponit bonitatem rei dilectae; Dei autem dilectio causat bonum in creatura. Deus creaturam rationalem, si specialiter eam diligit, trahit supra condicionem naturae ad participationem divini boni. Hominem gratiam Dei habere significat igitur «*quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens*». Gratia est quaedam *lux* animae. — a. 2: Habetur apparatus animae supernaturalis correspondens naturali. Deus in ordine naturali creaturas non solum movet ad actus, sed etiam iis *largitur* «*formas et virtutes* quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad huiusmodi motus; et sic motus, quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles... Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas *formas seu qualitates* supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur;... et sic donum gratiae qualitas quaedam est.» Recte a *Glossa* (ordinaria, sequente Augustinum) gratia vocatur «*nitor* animae, sanctum concilians amorem». — De habitibus 1, 2 q. 49 ss. — q. 51 a. 4: Habitus supernaturales hominem bene disponunt ad finem supernaturalem et proinde «nunquam possunt homini inesse nisi ex infusione divina, sicut est de omnibus gratuitis virtutibus» (habitus *per se* infusi). Aliud quid sunt habitus *per accidens* infusi. — q. 55: Virtus est habitus (a. 1) operativus (a. 2) bonus (a. 3) et convenienter verbis *Augustini* definitur (a. 4). — q. 62: De virtutibus theologicis. — a. 1: Cum principia naturae hominem non ordinent nisi ad finem naturalem, «oportet, quod superaddantur homini divinitus aliqua *principia*, per quae ita *ordinetur ad beatitudinem supernaturalem*, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen absque adiutorio divino; et huiusmodi principia virtutes dicuntur theologicae, tum quia habent Deum pro *obiecto*, in quantum per eas recte ordinamur in Deum, tum quia *a solo Deo* nobis infunduntur, tum quia *sola divina revelatione* in S. Scriptura huiusmodi virtutes traduntur». — a. 2: Obiectum harum virtutum est «ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostrae rationis cognitionem excedit». — q. 63: De causa virtutum. — a. 1: Quaedam *inchoatio* virtutum homini naturaliter inest. — a. 2: Virtus ordinata ad bonum, quod modificatur secundum regulam *rationis humanae*, potest *ex actibus* hominis causari (v. *acquisita*): sed virtus ordinans hominem ad bonum, secundum quod modificatur per *legem*

divinam et non per rationem humanam, causatur solum in nobis per operationem divinam. Haec est ea, «quam Deus in nobis sine nobis operatur» (v. infusa). De infusione singularum virtutum theologicarum v. 2, 2 qq. 6 17 23 (a. 2 contra sententiam *Magistri* de caritate) 24.

387. De sequentibus theologis v. *von Schüzler*, Neue Untersuchungen p. 302 ss et *Denifle*, Luther u. Luthertum I² 591 ss. Moraliter omnes affirmant existentiam habituum infusorum, etiam Occamistae¹. Solus Ioannes Baconthorp O. Carm. († 1346) dicere audeat (*In 1* d. 17 a. 6): «Ista iustitia, quae aufert iniustitiam, non est iustitia, quae est habitus, ut puta caritas, quae anima informetur, sed est dispositio extrinseca, scilicet *acceptatio divina*... Alii dicunt, quod locum eius tenet illapsus Spiritus Sancti» (*Denifle* p. 604). — In Tridentino omnes theologi consentiebant gratiam esse creatum quid et permanentiter inhaerens. Solus Laur. Mazzochi O. Serv. dixit «gratiam esse *assistentiam Spiritus Sancti*»; ipse vero est ex iis 4 theologis, qui de libero arbitrio «non videntur satis catholicè locuti» (cf. *Ehres* V 280, 13 17; *Theiner* I, 168 a; *Hefner* p. 91). — Posteriores theologi de solâ censurâ vel de *absoluta possibilitate* alterius modi iustificationis disputant. Sic Vazquez, *In 1*, 2 disp. 203 cap. 10, contendit *actum perfectae contritionis* probabiliter ex se tantae virtutis esse, ut sine gratia habituali et sine novo favore ei accedente iustificare nos posset *de potentia absoluta*, si separaretur ab habitu; *neque* (a Tridentino) *definitum* esse iustificationem *adultorum extra sacramentum* fieri per habitum, quia quae de gratia inhaerente dicantur, de affectu contritionis intellegi possint. — Cum de sola possibilitate absoluta loquatur solamque definitionem neget, nostrae thesi non adversatur (cf. v. *Schüzler* p. 314 s; P 358).

388. V. Ratio existentiam horum donorum sine revelatione cognoscere nequit (v. supra *Thom.*, *S. th.* 1, 2 q. 62 a. 1). Supposita vero revelatione finis supernaturalis, convenientiam horum principiorum supernaturalium ad analogiam ordinis naturalis ostendit (ibid. q. 110 a. 2; q. 62 a. 1; q. 68 a. 1; porro *De virt. in comm.* q. 1 a. 10; — cf. *M. Grabmann*, *Idee des Lebens* p. 55 ss). — Non omnes theologi hanc analogiam eodem omnino modo construunt (cf. *Billot*, *De virt.* p. 11—14;

¹ «Von dem übernatürlichen Sein, welches uns die heiligmachende Gnade gibt, sprechen die Occamisten nicht. Man sieht es ihnen an, dass sie ungern, ja wie gezwungen, diesen Ballast, der ihnen unnötig und unnütz erscheint, mit sich fortschleppten. Sagten sie nicht immer, man sehe den Zweck der übernatürlichen Habitus nicht ein, ohne sie gehe es auch, alles hänge von der Akzeption Gottes ab? Es kam aber keinem von ihnen in den Sinn, dieselben zu leugnen, trotzdem sie auf den alten Grundsatz pochten: wir dürfen nicht mehr entitates, als zur Erklärung der Erscheinungen notwendig sind, annehmen» (*Denifle* p. 603).

Ber. 752; P V 307; VIII 1). — Possunt inter se comparari a) essentia animae et gratia sanctificans, b) inclinationes naturales et virtutes theologicae, c) virtutes acquisitae et virtutes morales infusae, d) instinctus naturales et dona S. Spiritus, e) concursus Dei generalis et concursus supernaturalis in gratia actuali (cf. etiam n. 368 et 390).

SCHOLIA DE DONIS INFUSIS

389. Schol. 1. Quale ens sit gratia sanctificans. Secundum thesim est ens creatum, physice permanens. Ulterius (cf. P 309—317) dicendum est:

1. Est **accidens**, non substantia vel pars substantialis. Nam homo est substantia completa neque accedente gratia substantialiter ita mutatur, ut non iam sit homo. Porro repugnat substantia supernaturalis (n. 289).

2. Est ens **absolutum**, non mera relatio. Relatio pure moralis et iuridica sensu Protestantium ipso dogmate excluditur. Sine dubio gratia etiam includit realem ad Deum relationem, prout confert consortium divinae naturae, inhabitationem S. Spiritus et eiusmodi. Sed fundamentum harum relationum novarum est *mutatio animae realis et absoluta*. Neque potest admitti opinio Eusebii Amort, *Theol. eclectica* t. 2 (Augustae Vindelicorum 1752) tr. 2 disp. 3 de grat. q. 7: Gratia «formaliter spectata consistit in unione accidentali seu ordine activo animae ad actus supernaturales impresso a Spiritu Sancto», atque sic est *qualitas relativa*, versans in genere potentiae et habilitationis, entitas modalis, nempe unio, ordo seu activitas supernaturalis, realiter identificata cum *qualitate absoluta* exornativa animae, quae tamen potius est *effectus metaphysicus* sequens gratiam formaliter spectatam tamquam eius proprietates. — Sic ordo naturae inverti videtur. Nam non intellegitur, quo pacto nova oriatur relatio realis, nisi natura prius producat eum fundamentum.

3. Est **qualitas**. Per gratiam anima fit «talis», neque de ulla alia categoria accidentium permanentium serio cogitari potest.

4. Est **habitus entitativus** vel, si mavis, dispositio permanens. Aristoteles 4 classes qualitatum distinguit, quarum duae ultimae (*passio, figura*) ad sola corpora spectant. De

secunda (*potentia et impotentia, δύναμις καὶ ἀδύναμις*) gratia aliquid habet, quatenus scil. dat τὸ posse supernaturaliter agere. Sed quia naturam potentiis naturalibus instructam iam supponit eamque ulterius perficit, simpliciter loquendo gratia pertinet ad primam classem qualitatum (*habitus et dispositio, ἔξις καὶ διάθεσις*; cf. n. 368). Si cum caritate realiter identica est, simul est habitus entitativus et operativus. Secundum S. Thomam non est principium immediate operativum; ergo est habitus entitativus. Eiusmodi habitus Aquinas agnoscit 1, 2 q. 50 a. 1. Sed quoniam habitus plerumque intellegitur proxime operans, alibi (*De ver.* q. 27 a. 2 ad 7) negat gratiam proprie esse habitum. *Suarez* eam vocat habitum sensu latiore, *Bellarminus* qualitatem «per modum habitus». Alii dispositionem, quae a Philosopho intellegitur cito transiens, distinguunt in transeuntem et permanentem atque sic gratiam vocant dispositionem permanentem sive habitualementem (P 312)¹.

5. Est accidens **realiter distinctum** a substantia animae. Adversantur Ioannes Vincentius O. P. et Dominicus Palmieri S. J. (in tractatu de gratia habituali, non publice edito; v. *Ber.* 746). Hic ponit thesim: «Non est dogma fidei definitum gratiam sanctificantem esse realiter ab animae essentia distinctam ut rem a re; neque argumenta theologica quae afferuntur, id extra omnem ponunt dubitationem» (Palmieri in philosophia non admittit accidentia absoluta et realiter distincta). — *Ber.* (745—749) cum *Suarez* realem distinctionem declarat «omnino certam» a) propter entitatem et effectus supernaturales gratiae, quae per nullum modum realiter indistinctum haberi possint, b) propter modum loquendi a *Tridentino* adhibitum et sensum, quem ipsi Patres tridentini eiusmodi verbis attribuerint. — *Pesch* (314—317) mitius iudicat, in hunc fere modum quaestio-

¹ Gratia habitualis secundum omnes theologos dignificando inluit in actus virtutum. Qui eam realiter a caritate distinguunt, disputant, utrum efficienter in eosdem actus inluit immediate an mediate tantum. *S. Thomas* conformiter ad suam philosophicam de operatione animae doctrinam videtur censere gratiam nonnisi mediantibus virtutibus efficere actus, v. g. *S. th.* 1, 2 q. 110 a. 4 ad 2. Idem volunt *Villada* et *Erber*, quidquid teneatur quoad ordinem naturalem. *Suarez* vero, *Ripalda*, *Lossada*, alii gratiae ut principio radicali et principali operationum supernaturalium immediatum quoque influxum efficientem in omnes actus meritorios attribuunt (v. P 313; *Ber.* 759). — De essentia, proprietatibus, operatione habituum tam naturalium quam supernaturalium scripsit *Max. Limbourg S. J.* in *ZkTh* 9 et 10 (1885 s). Sed multa, quae habet de habitibus, ab hodiernis psychologis aliter et melius per associationes explicantur (v. *Ios. Fröbes S. J.*, *Psychologia speculativa* [Friburgi Brisg. 1927] I 241 ss; II 222 ss).

nem discutiendo: Non exstant *certa* argumenta *theologica* pro reali distinctione. Si cum *Suarez* accidentibus tanta entitas propria adscribitur, ut speciali modo cum substantia uniri indigeant, non apparet, cur similis modus aliquis realis, ab anima modaliter tantum distinctus, non sufficiat ad iustitiam inhaerentem explicandam, omissa qualitate absoluta realiter distincta. Sed potius negandum est accidens accedere ad substantiam ut rem ad rem. Secundum *S. Thomam* est «*ens entis*» diciturque ens, non quasi ipsum habeat esse, sed quia *ipso aliquid est*. Non creatur gratia, sed homines secundum eam creantur sive in novo esse constituuntur ex nihilo meritorum (1, 2 q. 110 a. 2 ad 3). Si hoc modo accidens absolutum concipitur, realiter quidem a substantia distinctum, sed non ut res a re, nulla difficultas manet. — Recte igitur argumentamur: Quandoquidem anima *perfectionem summam prorsusque novam* per gratiam sanctificantem accipit, haec dicenda est accidens absolutum realiter ab anima distinctum.

390. Schol. 2. Quale ens sit virtus infusa, nunc iam patet. Est sicut gratia sanctificans accidens reale realiter distinctum ab anima eiusque potentiis; sed est *habitus proxime operativus*, potentiam perficiens, non adeo dans facilitatem agendi quam facultatem circa obiectum virtutis supernaturaliter agendi, et in hoc potius naturalibus *potentiis comparatur* (cf. n. 368 et 389, 4).

391. Schol. 3. Habitus gratiae et caritatis sintne realiter inter se distincti.

P pr. 26. — Ber. 750—757. — Mazz. 951—965. — Schiff. 203 III. — *Hefner*, *Entstehungsgeschichte* 251 s 258 264. — *Ant. Prumbs*, Die Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der hlm. Gnade (Forschungen Ehrhard-Kirsch IX 4 [1909] 58 ss 97 ss. — *H. Rückert*, Rechtfertigungslehre 119—134. — *A. Landgraf* in Scholastik 3 (1928) 55—64.

Sententiae¹. Realis identitas defenditur a Scoto et Scotistis, a Dominicanis *Durando* et *Catharino*, a Iesuitis *Lainez*, *Salmeron*, *Bellarmino*, *Lessio*, *Sardagna*, *Esparza*. Videtur esse

¹ Non satis liquet, quam distinctionem intellegant Scholastici ante *S. Thomam*. *Philippus Grevius* (+ 1236) gratiam comparat cum natura animae ut principii vitalis, virtutes cum potentiis vitalibus eiusdem animae (cf. supra n. 363). Tamen non videtur docere realem distinctionem; dicit: «Gratia est sicut radius et virtus sicut lumen.» Quam comparisonem mutata forma repe-

sententia multorum veterum, et S. Augustinus valde favet. Scotistae alii statuunt distinctionem formalem ex parte rei, alii hanc quoque negant, v. g. *Frassen*. *Durandus* ne rationis quidem distinctionem admittere videtur. — **Realis distinctio** docetur a S. Thoma et Thomistis, a multis Iesuitis, v. g. *Gregorio de Valentia*, *Suarez*, *Oviedo*, *Tanner*, *Ripalda*, et hodie est *multo communior*. Sed omnes fere conveniunt in hoc utramque sententiam suam habere probabilitatem et tuto defendi posse. Multa argumenta ab utraque parte afferri solita rem minime evincunt.

392. Argumenta. Ecclesia nihil decedit. Tridentinum consulto *neutri opinioni praeiudicare voluit*; quare otiosum videtur inquirere, utri magis faveat.

Maior pars et praelatorum et theologorum favebat *Scotistis*. In schemate 1 (m. Iul.) legebatur can. 7: «Dei gratiam, . . . quae scil. *vel est caritas vel non sine caritate*» (*Ehşes* V 386, 34 s). Urgentibus Scotistis schema 2 (Sept.) habebat art. 7: «*gratia seu caritas diffunditur*» (ib. 423, 24), et «*caritas ipsa vel gratia*» exhibebatur ut «una iustitia Dei per Iesum Christum» (ib. 423, 35); art. 11: «*opera bona . . . a iustitia Dei, h. e. gratia seu caritate, qua Deus eos iustos fecit, proveniunt*» (ib. 426, 18 s). *Thomistae* postulabant, ut diceretur: «*gratia et caritas*». Mutatum est decretum iuxta propositum cardinalis *Pacheco* episcopi Giennensis (Jaen). Nunc uno loco «*caritas*» tantum posita erat, alio «*gratia*» tantum, aliis locis neutra vox (cf. *Ehşes* V 492, 6—8; *Theiner* I 236 b). Ratio huius mutationis indicatur: «*Gratia, cum a caritate separari nequeat, neque item a gratia caritas: si diversa sunt, nihil referre existimavimus, illone an illo verbo uteremur, itidemque si unum sint et formaliter solum differant . . . Cum multa dicta sint de coniunctione harum dictionum, eo quod quidam volebant *disiunctive*, alii *copulative* coniungi: ita temperatum est decretum, ut *nunc unum, nunc aliud vocabulum* seorsum ab altero usurpe-*

tunt Alexander Hal. (*S. th.* 3 q. 69 m. 2 a. 4) et S. Bonaventura (*In* 2 d. 27 a. 1 q. 2). Secundum Alexandrum (l. c.) gratia et virtus «secundum substantiam et rem» sunt idem, non tamen «secundum esse et rationem». S. Bonaventura potius realem diversitatem statuere videtur: Probabilius «*caritas ultra gratiam gratum facientem dicit aliquem habitum, quo mediante assuescit ipsa potentia diligendi ad actum proprium*»; «*sicut virtus fidei aliquem habitum concernit praeter gratiam gratum facientem, sic et habitus caritatis*» (*In* 3 d. 27 a. 1 q. 3; cf. *Brevil.* 5, 4). — Albertus M. (*In* 2 d. 26 a. 11): «*Sine praediudicio forte hic subtilius intellegentium videtur mihi impossibile esse, quod gratia et virtus sint idem per essentiam; sed per substantiam aliquomodo possunt esse idem.*» — Cf. Landgraf (*Scholastik* 3 [1928] 59 ss); Scholia in edit. S. Bonaventurae (*Ad Claras Aquas*) 2, 658s; 3, 598s; G. Boztkovic, *S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio* (1919) 6—9 15s; J. Kaup O. F. M., *Die theol. Tugend der Liebe nach der Lehre des hl. Bonaventura* (Münster 1927).

tur» (*Ehses* 520, 27—34; *Theiner* I 248 a), sicut proposuerat *Barth. Miranda* O. P. (*Ehses* 432, 43). Haec forma 3 recepta est. In ea Thomistis maxime placet can. 11 (Dz 821): «*exclusa gratia et caritate*», ac cap. 7 (Dz 799): «*renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum*». Scotistae urgent cap. 7 (Dz 800): «*In iustificatione caritas Dei diffunditur;... haec omnia... accipit... fidem, spem et caritatem*», et cap. 10 fin. (Dz 803), ubi «*iustitiae incrementum*» explicatur per «*fidei, spei et caritatis augmentum*».

393. Scriptura. In textibus a Thomistis allatis gratia non probatur esse *habitualis* et caritas plerumque est ea, qua nos *Deus* diligit (2 Cor 13, 13; Rom. 5, 5; cf. n. 382). Porro cum gratia et caritate occurrunt alia, quae certe non sunt dona habitualia realiter distincta, v. g. Eph 6, 23: *pax*. — Scotistarum textus sufficienter explicantur *inseparabilitate* utriusque doni et influxu dispositivo sive meritorio *actus* caritatis. — **Patres graeci** ita loquuntur de qualitate deificante gratiae, ut *non facile identificari possit* cum eo dono, quo apti reddimur ad Deum supernaturaliter diligendum. Sed apud **Augustinum** vix videtur manere locus *reali distinctioni*; v. g. in fine libri *De nat. et grat.* (70, 84): «*Caritas ergo inchoata inchoata iustitia est, caritas profecta profecta iustitia est, caritas magna magna iustitia est, caritas perfecta perfecta iustitia est.*» (Sed S. Augustinus plerumque loquitur de *actu* caritatis.) — **Theologi** multi et magni stant ex utraque parte. S. Thomas clare docet realem diversitatem, quam hodie vix non omnes ut *probabiliores* tenent.

394. Ratio. 1. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 110 a. 3: *Virtus acquisita supponit naturam*; a pari virtus infusa supponit esse supernaturale sive naturam divinam participatam per gratiam. — Sed Scotistae negant hanc logicam prioritatem exigere realem distinctionem, sicut etiam potentias naturales dicunt realiter identificari cum anima. Insuper virtus infusa non est eodem sensu «*dispositio perfecti*» atque virtus acquisita; nam ipsa *dat primum posse* (scil. posse supernaturaliter agere; v. n. 368 389, 4; 390). — 2. *De ver.* q. 27 a. 2 (v. n. 283 et 388): *Naturae, eius inclinationi et motui in finem correspondent gratia, caritas, reliquae virtutes infusae.* — Sed non apparet, *quousque* haec analogia recte extendatur. Sunt enim maximae *discrepan-tiae*, neque quoad omnia inter gratiam et virtutes est eadem habitudo atque inter naturam et facultates; nam gratia non est principium *substantiale*, et ex istis «*facultatibus*» quaedam, scil. habitus fidei et spei, existere possunt destructa earum

« substantia ». — 3. Melior ratio videtur esse haec: *Effectus formales sunt tam diversi*, ut aegre intellegatur, quomodo idem realiter donum haec omnia simul praestet¹. — 4. Multa *identica praedicata* (vita animae, vinculum unionis cum Deo, radix omnium virtutum, summum Dei donum creatum) non probant realem identitatem, quia a) haec praedicata utrique dono *diverso modo* competunt, gratiae ut naturae et ultimo principio, caritati ut potentiae et proximo operationis principio, et b) ea, quae de altero dono proxime valent, *facile* ad alterum *transferuntur* propter utriusque inseparabilitatem.

395. Schol. 4. De subiecto donorum infusorum. Fides est in *intellectu speculativo*, spes et caritas in *voluntate*, gratia, si a caritate realiter distinguitur, in *essentia* animae. Thom. 1, 2 q. 110 a. 4: « Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis, ita etiam per naturam animae participat secundum quandam similitudinem naturam divinam per quandam regenerationem sive recreationem. »

396. Schol. 5. Quae dona pertineant ad causam formalem iustificationis. De hac re in *Tridentino* multum litigatum est inde a prima propositione 6 articulorum de iustificatione (22 Jun.) usque ad ultimas congregationes generales (praesertim 17—21 et 28 Dec. 1546). *Scripando* aliique urgebant fidem non solum esse dispositionem ad iustificationem, sed fidem formatam etiam formaliter iustificare et esse primam partem iustitiae (*Ehses* V 261, 27 ss; 724—726 729—735 740—746; *Theiner* I 159 334 ss). Tandem praesenti formae capitum 7 et 8 omnes acquieverunt. — Videtur his sufficienter dirimi *distinctione* facta inter iustitiam *adaequate* et *formaliter* sumptam. Innuitur fidem et spem esse partes iustitiae *adaequate* sumptae cap. 7 (Dz 800), ubi fidei aliqua saltem cum Christo unio attribuitur, et cap. 10 (Dz 803), ubi fidei, spei et caritatis aug-

¹ Cf. Wirceburgenses n. 404: « Habitus, ut praecise est caritatis, solum dicit virtutem, quae elevat voluntatem ad *dilectionem Dei* propter se, ut habitus fidei elevat ad actus fidei supernaturales. Sed hoc ex suo conceptu *non dicit: facere sanctum*, participem divinae naturae, amicum et filium Dei; tum quia quod hominem facit potentem, ut diligat regem propter se, non facit hoc ipso eum dignum, ut a rege amicaliter diligatur et in filium adoptetur; tum quia omnipotentia Dei specialiter applicata potest elevare hominem ad Deum propter se diligendum, quin illi gratiae munera praestet... »

mentum est idem ac iustitiae incrementum, necnon can. 24 (Dz 834), ubi iustitia conservanda et augenda per bona opera adaequate sumitur. Intellegenda est iustitia formaliter sumpta, quando cap. 7 (Dz 800) iustificatio tribuitur caritati inhaerenti, et quando docetur cap. 15 (Dz 808) acceptam iustificationis gratiam amitti posse, quin amittatur fides.

397. *Schol. 6. De numero virtutum theologiarum.*

P VIII 34—38. — Schiff. 10—13. — Lah. th. 3. — Mazz. pr. 1. — Billot th. 1.

Theologice certum est fidem, spem, caritatem easque solas esse *peculiarem aliquam classem virtutum*. — **Ecclesia.** Benedictus XII definit visionem divinae essentiae eiusque fruitionem actus fidei et spei in beatis evacuare, « prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes » (Dz 530). — Tridentinum s. 6 cap. 7 et 10 (Dz 800 803); — Alexander VII, prop. 1 (Dz 1101); — Orationes Ecclesiae. — **Scriptura**¹. **1 Cor 13, 13:** τὰ τρία ταῦτα². — Cf. 1 Thess 1, 3 et 5, 8 (bis fides, caritas, spes); Hebr 10, 22—24 (fides, spes, caritas et bona opera); Col 1, 4 s (fides et caritas propter spem); 1 Tim 6, 11 et Tit 2, 2 (fides et caritas coniunguntur cum patientia, ὀπομονή, quae secundum Rom 5, 4 spem operatur); Gal 5, 5 s (spiritu ex fide spem iustitiae expectamus; fides, quae per caritatem operatur); Eph 1, 15 (fides et dilectio), 18 (spes); Rom 5, 1 (fides); 2 4 (spes), 5 (caritas Dei in nos). — Saepe quidem etiam *alia* dona adduntur vel *duo* tantum ex hisce tribus nominantur. Sed textus 1 Cor 13, 13, aliis confirmatus, nullum relinquit dubium, quin S. Paulus haec tria consideraverit ut aliquam definitam classem divinorum donorum³.

¹ Eccli 2, 8—10 textus *Vulg.* enumerat has tres virtutes: « Qui timetis Dominum, credite illi, ... sperate in illum, ... diligite illum »; sed in textu *graeco* v. 10 (de dilectione) deest, et vv. 8 et 9 correspondent v^{ui} 7, in quo legitur: οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον ἀναμενῶν τὸ ἔλεος αὐτοῦ.

² R. Reitzenstein, *Die Formel « Glaube, Liebe, Hoffnung » bei Paulus* (Nachrichten der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Philol.-hist. Klasse [1916] 367—416) notat (p. 407), « dass sie ausdrücklich zu einer Einheit verbunden und jede Vermehrung der Zahl mit den Worten τὰ τρία ταῦτα abgelehnt wird. — Das heisst bei der Betonung der Zahl: nur diese drei ».

³ Inter Reitzenstein (*Historia monachorum und Historia Lausiaca*; dein in *Gött. Nachr.* l. c. et *Hist. Zeitschrift*) et v. Harnack (*Preussische Jahrbücher* Bd 164, p. 1ss) mota est controversia, unde S. Paulus hanc formulam acceperit. Iuxta *Reitzen-*

398. Patres. Polycarpus, *Ad Phil.* 3, 3 (R 72). — Chrysostomus, *In Act hom.* 40, 2 (R 1216). — Augustinus, rogatus a Laurentio, ut ipsi scribat «*Enchiridion*», summam religionis christianae continens, respondet hanc summam esse: «fide, spe, caritate colendum Deum», atque in suo *Enchiridio* breviter explicat, «quae ad singula tria ista pertineant, quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit» (cap. 3 s [ML 40, 252]). — *Epist.* 138, 3, 17 (cf. n. 101): In coluvie morum pessimorum caelestis auctoritas persuasit vitae luminosas validasque virtutes, non tantum propter civitatis terrenae concordissimam societatem, verum etiam propter «semipiterni cuiusdam populi caelestem divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit fides, spes, caritas». — Gregorius M. (n. 384). — **Theologi** unanimiter has tres virtutes easque solas tamquam unam classem ab aliis distinguunt. — Magister eiusque commentatores *3 Sent.* d. 23: «Si Christus habuit fidem, spem et caritatem.» — Tempore S. Thomae iam habetur nomen virtutum theologiarum, et causae huius denominationis indicantur (v. n. 386; *S. th.* 1, 2 q. 62 a. 1). — Suarez, *De grat.* l. 6 c. 8 n. 16: Iste praecise numerus non est de necessitate fidei, quamvis propter verba Tridentini tanta adsit certitudo, ut ad virtuales definitionem sufficere videatur.

399. Ratio. Theologi, licet propter controversiam de obiecto formali supernaturali in explicatione non omnino concordent, omnes student ostendere has tres virtutes easque solas magis directe et immediate quam reliquas virtutes tendere in ipsum Deum, finem supernaturalem, atque sic iure vocari divinas sive theologicas. Harum virtutum Deus est a) obiectum formale quod (obiectum materiale principale, subiectum attributionis). Principaliter enim ipse Deus creditur, speratur, dili-

stein totum caput 1 Cor 13 intellegi nequit, nisi supponatur Paulus impugnare formulam quandam in ecclesia corinthiaca agnitam, quae his tribus addiderit γνώση vel ἀλήθειαν, hanc vero formulam quaternariam originem ducere ex fontibus mystico-religiosis gentilium hellenistarum. Hoc vult probare ex formula Clementis Alex.: πίστις, γνώσις, ἀγάπη, ex scriptis hermeticis et ex Porphyrio philosopho (*Ad Marcellam* cap. 24: πίστις, ἀλήθεια, ἔρως, ἐλπίς). — Sed cur non potius dicuntur Neoplatonici saeculi 3ⁱ eiusmodi formulas sub influxu christiano efformasse? — E contra v. Harnack hanc triadem habet formulam quam maxime genuine christianam, quae inde ab initio christianismi formata sit ut «*Devise christlicher Frömmigkeit*». Quae autem ex phantasia sua addit de ortu formulae trinitariae per confusionem duarum formularum binarum «fides et spes» et «fides et caritas», et de simili origine formulae Sanctissimae Trinitatis, iure a Reitzenstein refutantur.

gitur, alia autem, quatenus nexum cum Deo habent sive ad eundem reducuntur (P VIII pr. 11 33 44). — b) obiectum formale quo et motivum: Creditur propter Dei scientiam et veracitatem; speratur propter Dei bonitatem respectivam, omnipotentiam, misericordiam, fidelitatem; amatur propter Dei bonitatem absolutam (PVIII pr. 12 35 s 40—42). — Neque potest esse alia virtus, quae immediate in ipsum Deum tendat; nam aut *intellectus* tendit in Deum summum verum per fidem, aut *voluntas* in Deum summum bonum *nobis* per spem, aut in summum bonum *in se* per caritatem. — Aliis virtutibus appetitur aliqua honestas creata, v. g. honestas cultus divini in religione. Religio potest etiam imperare actus virtutum theologiarum ad colendum Deum; sed internum obiectum earum manet ipse Deus. E contrario si voluntas non vult cultum summae Dei excellentiae, sed Deo vult ipsam hanc excellentiam, iam non est actus religionis, sed caritatis. Pius credulitatis affectus non tendit in primam veritatem, sed in honestatem credendi huic veritati. Lumen gloriae fert quidem in ipsum Deum, sed non est virtus.

400. *Schol. 7. Quando infundantur fides et spes.*

P VIII pr. 3. — Mazz. 100—119. — Ber. 763. — Lah. th. 4. — Schiff. 31—33. — *Diekamp*, Dogmatik 2. Bd., 3-5. Aufl. (Münster 1921) 510 s.

Sententiae. 1. Infunduntur, ubi primum actus fidei vel spei elicitur. Haec opinio *olim multum praevaluisse* videtur, saltem apud eos, qui, de necessitate *auxilii supernaturalis* ad actus praeparatorios ante iustificationem recte sentientes, non solos actus fidei et spei *acquisitae* ante infusionem gratiae sanctificantis statuebant. Veteres nonnisi habitus caritate formatos solebant vocare veras et proprie dictas virtutes; quare saepe dicunt «virtutes» omnes simul infundi. — **Magister, Sent.** 3 d. 23 cap. 9: Fides virtus non potest esse sine spe et caritate; sed fides, quae virtus non est, «spem et caritatem frequenter praecedit». Eum intellegere fidem *habitualement* apparet ex verbis statim sequentibus, quibus aliam expositionem testimonii *Gregorii M.*, de quo agit, addit: «vel de *actu* fidei». De eodem habitu fidei informis dixerat cap. 4: «quae fides etiam *donum Dei* dici potest»; ergo eam non intellegit mere acquisitam. — De sententia **S. Thomae** disputari potest. Saepe quidem dicit omnes virtutes quoad habitum simul infundi, v. g. *S. th.* 1, 2,

q. 62 a. 4. Sed hoc potest explicari: simul incipiunt «in esse virtutis simpliciter» (v. *Caietanum* in hunc locum et in 2, 2 q. 6 a. 2). Nam Thomas quoque censet: «Fides informis non est virtus» (2, 2 q. 4 a. 5). Ex altera vero parte supponit casum, quod aliquis «*accipit a Deo fidem absque caritate*» (*S. th.* 2, 2 q. 6 a. 2 ad 3), ubi in toto contextu videtur esse sermo de fide *habituali*. — Cf. *In 3* d. 23 q. 3 a. 2, ubi supponere videtur aliquoties infundi habitum informem. Non quidem expresse hoc dicit; id fortasse eo explicatur, quod generatim magis illum casum rariore considerat, ubi per unum actum subitaneae conversionis omnia dona in eodem instanti accipiuntur (cf. n. 223 340. 343—346). Tamquam patronus huius sententiae Aquinas explicatur ab aliis eandem defendentibus, i. e. ab omnibus fere Thomistis (*Medina, Bannez* etc.) et a multis Iesuitis: *Molina, Valentia, Suarez, Vazquez, Coninck, Torres, Granado, Hurtado* etc. Hodie hanc sententiam ut probabiliorem tenent Schiffini et Diekamp.

2. Numquam infunduntur sine habitu gratiae et caritatis.

— S. Bonaventura videtur favere *In 3* d. 23 q. 4; d. 26 a. 2 q. 3; sed d. 26 a. 1 q. 4 videtur universaliter de omni actu spei informis dicere: «Ille actus sperandi ab aliquo habitu procedit.»¹ — **Scotus** ab omnibus fere habetur patronus huius opinionis; sed *Lychetus*, principalis eius commentator, conatur eum iuxta 1^{am} sententiam exponere. Durandus et Nominalistae, quadamtenus etiam Scotistae, *ex falso supposito* huic sententiae adhaerent; putant enim actus entitative naturales et habitus acquisitos sufficienter disponere ad iustificationem (v. n. 226—228). **Vega** pro hac sententia ad Tridentinum provocat, **Lugo** et **Ripalda** eam ut probabiliorem fuse defendunt. Paulatim evasit *multo communior*. Docetur inter alios a *Wirceburgensibus, Mazzella, Lahousse, Pesch, Beraza*.

3. **Mediam sententiam** docent Caietanus (*In 1, 2* q. 62 a. 4) et Dom. Soto (*De nat. et grat.* 1, 8): Extra sacramentum fides et spes non infunduntur absque caritate. Sacramenta autem operantur, in quantum obex non obstat, et baptismus specialiter dicitur sacramentum fidei. Hinc **baptismus** peccatori credenti, sed impenitenti, praeter characterem etiam

¹ Secundum *F. Mitzka* S. J. (*ZkTh* 50 [1926] 224 ss) *S. Bonaventura* non novit ullum actum supernaturalem, qui non procedat ex habitu supernaturali. Quare videtur censere in peccatore habitibus supernaturalibus carente infundi habitum informem, quando respectivum actum remote disponentem elicit (cf. *Scholastik* 1 [1926] 619).

habitu fidei confert, et eodem modo speranti habitum spei, licet propter obicem impenitentiae gratia et caritas dari nequeat. Haec opinio alios asseclas non videtur nacta esse¹.

401. Argumenta peremptoria non exstant. Tridentinum s. 6 cap. 7 (Dz 800): « In ipsa iustificatione *haec omnia simul* infusa accipit... fidem, spem et caritatem. » Sed concilium intellegit habitus *formatos*, uti ex sequentibus elucet (v. *Schiff.* obiect. 2). Brevi post Tridentinum maxime viguit 1^a sententia; ergo certe non erat reiecta a concilio. — Doctrina concilii Viennensis (Dz 483): « tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam *et virtutes* », satis servatur, si adultis habitus, qui antea forte iam collati erant, in baptismo formantur et augentur. — Ex Scriptura nihil habetur: « Dei perfecta sunt opera » (Deut 32, 4); sed imperfectio provenire potest ex defectu humanae praeparationis. — Quae v. g. a *Bannez*, ex Augustino et Arausicano afferuntur, nihil probant, quia multo probabilius explicanda sunt de *actu* fidei a Deo inspirato. — Denominatio « *fidelis* » potest recte dari propter *actum* habitum nec retractatum, etiamsi habitus non sit infusus. — Theologorum auctoritas olim primae, nunc secundae sententiae magis favet. — Maior igitur probabilitas ex convenientiis et analogiis pensanda erit. Pro 1^a sententia afferunt: Fides et spes independenter a gratia conservari possunt; ergo etiam infundi. Sed respondet P (n. 56): Ad conservationem sufficit carentia causae destructivae, ad productionem plus requiritur. *Ripalda* (disp. 128 n. 5) solvit: *Praeternaturaliter* conservantur, connaturaliter cum gratia perirent; quare « ingentissima debent esse fundamenta ad asserendum existere *miraculose* ante illam ». — Urgeri potest: Si Deus *ex misericordia et liberalitate* hos habitus conservat, quamdiu non fit actus iis contrarius, ex pari ratione eosdem habitus infundet, ubi primum per actum fidei vel spei removetur obex infidelitatis vel desperationis. — Pro 2^a sententia dicitur (P 54): Inconveniens est *prius dari facultates* quam naturam. Sed retorqueri potest: Aequè inconveniens est *conservari* facultates sine natura. Si Deus, ut peccator melius disponatur ad conversionem, hos habitus relinquit informes, ad eundem finem eos convenienter infundit

¹ Schiffini (obiect. 1) *fidem* actualem simili modo ac caritatem distinguit in *perfectam* et *imperfectam*, et satis arbitrarie statuit illam conferre habitum etiam sine sacramento, hanc cum sacramento.

informes. — Virtutes infusae considerantur tamquam « nobilissimus comitatus gratiae » (*Catech. Rom.*, p. 2 c. 2 q. 50). At fides et spes *formatae* sane comitantur gratiam, et *informes* prius infusae *sensu latiore* possent dici ad comitatum pertinere, sicut personam nobilem etiam aliqui « comites » praecedunt (*Schiff. obiect.* 3). — Optima ratio videtur esse: Conservationem probant positiva argumenta (v. th. 17). Haec desunt pro infusione anteriore. Mera autem analogia ex conservatione non videtur esse tanti momenti, ut propter eam prima sententia debeat dici probabilior. A fortiori 3^a sententia positivis argumentis destituta est.

402. Schol. 8. Utrum virtutes infusae **physice effluent** e gratia (*Thomas*, ut videtur, *Ripalda*, *Beraza* 762 767 s), an **ad exigentiam moralem** gratiae immediate a Deo infundantur (*Suarez*, *Oviedo*), v. P 57.

Schol. 9. Utrum gratia et virtutes habeant propriam **vitalitatem supernaturalem**, v. *M. Grabmann*, *Idee des Lebens* p. 64—67; *A. Zychlinski*, *De supernaturali vitalitate gratiae sanctificantis virtutumque infusarum quaestio brevis* (*Divus Thomas* [Frib.] 3 [1925] 445—452; *A. Gardeil*, *La vitalité de la vision divine et des actes surnaturels* (*RevThom* 30 [1926] 477—489).

Thesis 14. Gratiae sanctificantis effectus formalis **primarius est in eo, ut animam vere et physice, licet analoge et accidentaliter, reddat divinae naturae formaliter consortem, id est ut in ea supernaturalem imaginem Dei exprimendo, eam assimilet naturae divinae intellectuali et morali.**

403. P pr. 28. — *Ber.* 769—803. — *Mazz.* 995—1007. — *Lah. th.* 47. — *Schiff. th.* 18. — *Paulus Villada* S. J., *De effectibus formalibus gratiae habitualis* (*Vallisoleti* 1899) n. 7—25. — *Paulus Paluszczak* O. P., *Imago Dei in homine* (*Xenia thomistica* [1925] II 119—154).

St. qu. 1. Nexus. *Exsistentia* gratiae habitualis th. 13 probata, nunc *essentia* magis innotescet ex effectibus formalibus, quorum *primarius* hac thesi, *secundarii* th. 15 cum scholiis tractabuntur.

404. 2. Sensus. a) Gratiae sanctificantis, i. e. eius doni creati, physice permanentis, supernaturalis, a Deo in iustificatione infusi, de quo in th. 13; — effectus formalis, i. e. effectus non causae *efficientis*, quae *agendo* suum effectum producit, sed causae *formalis*, quae eo, quod informando sese

unit subiecto, illud *communicatione suae entitatis* ulterius determinat tamquam pars compositi intrinsecus constitutiva; — primarius, ille effectus, qui primo, immediate, essentialiter ex forma informante seu se communicante oritur, aliis verbis: est ipsum compositum, quod ex informatione subiecti per causam formalem *primo et per se* oritur (ut *album* per albedinem, *sanum* per sanitatem, *homo* per animam), in oppositione ad secundarios, i. e. omnes alios effectus positivos et negativos, qui ipsam informationem sequuntur naturali resultantia (cf. exemplum *quantitatis*: extensio aptitudinalis ut effectus primarius, actualis ut secundarius).

b) Itaque eo ipso, quod anima informatur illa qualitate, quam vocamus gratiam sanctificantem, primario obtinetur hoc, ut anima reddatur divinae naturae consors: *κοινωνός* sive habens *κοινωνίαν*. Hoc vocabulum per se est satis indeterminatum; significat societatem, sodalicium, consortium, communionem, participationem (*Gemeinschaft, Teilnahme, Anteil, Mitteilung*; v. *Zor.*). Hic non intellegitur mera societas seu commercium (*Verkehr*) cum Deo, sed aliqua participatio (*Anteil*). «Participare nihil aliud est quam ab alio partialiter accipere» (*S. Thom., In l. 2 De caelo et mundo, lect. 18 n. 6*). — Magis determinatur haec *κοινωνία* per vocabula: α) vere: non *improprie* tantum vel *metaphorice*; — β) physice: per hoc ens physicum realiter participamus cum natura divina; non unionem *moralem* tantum mentis et voluntatis per amorem et amicitiam accipimus (*Einheit der Gesinnung*). — γ) Attamen habetur analoge tantum: non *univoce*, i. e. consortium divinae naturae, prout praedicatur de *personis divinis* et de anima iusta, non est prorsus idem, sed in secundario analogato *deficit* ab illa perfectione, quam in principali habet; — δ) et accidentaliter tantum: non illo modo *substantiali*, quo divinitas *humanae naturae Christi* per unionem hypostaticam communicatur. — Gratia est forma accidentalis, physica et absoluta; quare formaliter, i. e. tamquam *forma interna, informando*, animam reddit consortem divinae naturae. Simul fundat novam relationem ad Spiritum Sanctum ut animam inhabitantem atque ab eadem possessum (v. th. 16). Sic oritur etiam aliquod consortium *relativum*, cuius *forma extrinseca et assistens* est ipse S. Spiritus. Licet hoc sit summum fastigium gratiae viae, tamen gratiae *creatae* effectus formalis primarius est consortium formale, in quo habetur fundamentum absolutum consortii relativi.

c) Quomodo *explicandum* sit hoc consortium, in argumento rationis fusius ostendetur. *Summa* explicationis innuitur tenore thesisi: Gratia animam assimilatur divinae naturae. Haec assimilatio consistit in eo, quod exprimitur in anima imago Dei supernaturalis, non merum *vestigium* Dei, quod etiam in irrationalibus creaturis invenitur, sed vera imago, i. e. «*similitudo expressa ex altero in natura specifica vel quasi-specifica vi ipsius productionis*»; nec *naturalis* tantum imago, quae habetur in omni spirituali natura, sed supernaturalis, i. e. assimilatio fit in iis bonis, quae Deo qua Deo, prout opponitur omnibus creaturis, sunt propria atque omnes potentias et exigentias creaturarum transcendunt (n. 255).

d) Quae sunt haec bona divina? Si humano modo simplicissimam Dei essentiam ad instar rerum creaturarum in varias distinguimus perfectiones (cf. P II pr. 21 s), concipimus *essentiam* ut ultimum principium essendi, *naturam* ut ultimum principium agendi immanenter et transeunter, *intellectum* et *voluntatem* ut proxima principia actionis immanentis, *potentiam* ut proximum principium operandi ad extra, *actus intellegendi* et *volendi* ut effectus immanentes intellectus et voluntatis. Ista igitur assimilatio non est ad *actus* et *facultates* praecise sumptas, neque ex altera parte ad *essentiam*, prout est principium *attributorum quiescentium* aseitatis, infinitatis, actus purissimi, sed ad naturam divinam, i. e. ad essentiam, prout praecise est *ultimum principium agendi*, et quidem ad naturam intellectualem et moralem sive ad ultimum principium agendi *immanenter* per intellectum et voluntatem; quae natura divina propter summam perfectionem essendi *perfectissimam* quoque vitam intellectualem et moralem *sibi propriam* vindicat, atque ad hoc vitae divinae principium creaturae rationali per gratiam conceditur assimilatio.

405. 3. Sententiae. a) Erroneae. Peccant a) *per defectum* Protestantes, Baius, Rationalistae, Semirationalistae, qui nullum aliud consortium nisi *mere moralem* assimilationem exercitio virtutum efficiendam agnoscunt; iam th. 9 12 13 refutati sunt; — *β) per excessum* Pantheistae, Mystici, Quietistae, quatenus aliquam *substantialem identitatem* cum natura divina sive *conversionem* in eandem naturam docent vel saltem incautis verbis exprimunt. — b) Variarum explicationum catholicae huius consortii: a) **Lessius**, *De summo bono* l. 2 c. 1, cui magis minusve accedunt Petavius,

De Trin. l. 8 c. 4 6; Thomassinus, *De Incarn.* l. 8 c. 9 ss; Scheeben, *Dogm.* II n. 832—884; Hurter, *De grat.* n. 190 ss: Effectus formalis primarius gratiae creatae est, ut hominem reddat *iustum sanctumque*. *Formaliter et complete* efficimur consortes divinae naturae, filii Dei, nati ex Deo per donum increatum, S. Spiritum inhabitantem, qui coniungitur cum gratia creata, licet etiam gratia creata recte dicatur aliquam participationem et similitudinem cum divina natura conferre (de his plura th. 15). — β) Nonnulli **Thomistae** (Ioannes **Vincentius**, *De grat. Chr.* proemium; Gonzalez de Albeda, *In 1 d.* 26 n. 10 ss; *Gonet*, t. 4 tr. 8 d. 2 a. 4): Participatur natura divina, prout est *esse per essentiam*, actus purus et infinitus¹. — γ) **Ripalda**, *De ente sup.* disp. 132 s. 9 n. 105: Assimilatio fit ad naturam divinam, prout *bonitas moralis, habitualis et radicalis* ei est propria. Omittit igitur intellectualitatem. Similia habent Esparza, *De iustif.* l. 5 c. 2; Struggl, *De grat.* p. 1 tr. 6 d. 5 q. 1 a. 3 n. 23; Oviedo, *De iustif.* tr. 8 contro. 1 n. 3; Kilber (Wirceb.), *De grat.* n. 407; complures Scotistae (v. Ber. 778). — δ) Nostra sententia fuse proponitur a Ioanne Alfonso **Curiel** (+ 1609), *In 1, 2 q.* 110 a. 3 dub. 2. Acceptata est a **Suarez**, l. 7 c. 1 n. 30 et hodie a plurimis tenetur, *Mazz.*, *Pesch*, *Villada*, *Ber.* etc.

406. 4. Qualificatio. *Aliquod consortium* supernaturale aperte docetur a Scriptura et Traditione. — *Per gratiam sanctificantem*: theologice certum. — *Effectus formalis*: certum. — *Reliqua*: probabilior explicatio theologica.

407. Prob. I. Ecclesia. 1. Damnat erroneas exaggerationes: a) Ekardi pr. 10—13 (Dz 510—513): Transformamur totaliter in Deum; quidquid Pater dedit Filio, hoc totum dedit mihi; quidquid proprium est divinae naturae, hoc totum proprium est homini iusto et divino. — b) Michaelis de Molinos, praesertim pr. 5 (Dz 1225): Mors mystica appetenda est, in qua anima ad essentiam suam redit, scil. ad essentiam Dei, in qua transformata remanet ac divinizzata. — c) Variarum

¹ Scheeben, *Dogm.* II, n. 801 loquitur de summa immaterialitate, spiritualitate, symbolice «*Lichtnatur*» divinae essentiae. Sed videtur nobiscum maxime cogitare de principio vitae summe spiritualis, sicut etiam Grabmann, *Idee des Lebens* p. 59: «*die hlm. Gnade als Teilnahme gerade an der Immaterialität und Geistigkeit der göttlichen Natur, insofern sie Prinzip der göttlichen Selbsterkenntnis und Selbstliebe ist*».

Pantheismi formae damnantur a Vaticano s. 3 cap. 1; can. 3 et 4 (Dz 1782 1803 s). — 2. Supponit aliquod consortium naturae divinae in iustificatione dandum eo, quod iustificationem vocat renascentiam sive regenerationem: Tridentinum s. 6 cap. 3 et 4 (Dz 795 s). Generando enim pater filio suam naturam communicat. — 3. Participationem divinitatis in sua liturgia celebrat (sed his locis eam non expresse gratiae sanctificanti tribuit): « eius divinitatis esse consortes » (in missa ad *mixturem aquae* et vini); « ut nos divinitatis suae tribueret esse participes » (*Praef. Asc.*); « unius summae divinitatis participes effecisti » (*Secreta Dom. 4 post Pascha*). — 4. Adversus Baium docet supernaturalitatem gratiae et tuetur scholasticam doctrinam de effectibus huius gratiae infusae, inter quos est divinae naturae consortem effici sive exaltatio in consortium divinae naturae (pr. 42 21; [Dz 1042 1021]).

In schemate Vaticani legebatur (*De supernat. ordine gratiae* cap. 18 [CL 7, 517 s]): « Interna gratia per inhabitantem Spiritum Sanctum infusa regeneramur et renovamur, ut simus in Christo nova creatura... Haec renovatio est creaturae *ad Dei similitudinem et societatem* super omnes exigentias et vires naturae creatae exaltatio atque ideo vere supernaturalis, ut per gratuitam adoptionem filii Dei nominemur et simus. *Maxima enim* etc. (2 Petr. 1, 4) ». Ergo textus classicus de consortio divinae naturae adhibetur, ut supernaturalis elevatio ad Dei similitudinem et societatem per gratiam interne renovantem probetur. — Cf. Leonis XIII encycl., « *Divinum illud* » (Acta S. Sedis 29, 644; v. n. 446).

408. II. Scriptura. Argumentum 1 ex 2 Petr 1, 4.

Contextus 1, 3—11. Constructio est difficillima; sed ad argumentum nihil interest, utrum *genetivus absolutus* v. 3 (divina virtus donavit) cum praecedente salutatione v. 2, an cum sequentibus vv. 5—7 coniungatur, an tandem anacoluthice ponatur. — v. 3 *αὐτοῦ*, Dei vel probabilius Iesu. — *ζωήν*, ante *εὐσέβειαν* positum, non exclusive *eschatologicam* vitam significat, sed veram illam vitam, quae saltem *inchoative* iam in *iustificatione* conferatur. — *διὰ τῆς ἐπιγνώσεως*, mediante cognitione accurata ac profunda (*ἐπι-*) sive fide, *τοῦ καλέσαντος*, Iesu, ista dona collata sunt. — v. 4: *δι ὧν*, per quae; nihil interest, utrum referatur ad « propria gloria et virtute », an ad *τὰ πάντα*, an indeterminate ad omnia dona Dei v. 3 memorata. Subiectum est *ὁ καλέσας*, vel *ἡ θεία δύναμις αὐτοῦ*, cum *δεδώρηται* probabilius sicut *δεδωρημένης* in v. 3 non sit passivum, sed medium. *Ἐπαγγελμα* potest esse *res promissa* vel *promissio*. 2 Petr 3, 13 satis certo est promissio: « Novos caelos et novam terram expectamus secundum promissionem eius » (*Vulg.* ibi legit *ἐπαγγέλματα* et vertit: « secundum promissa ipsius », i. e. correspondenter ad bona ab ipso promissa [*Zor.*]). Nostro loco verbum *δεδώρηται* suadet sensum esse « res promissae »; sed absolute etiam

promissiones possunt dici *dono dari* a divina benignitate. Illa «pretiosa et maxima ἐπαγγέλματα» sunt igitur aut *bona messiana a prophetis promissa* et a Christo donata, aut *bona a Christo et apostolis in praedicatione evangelii promissa* et iis, qui fidem et baptismum susceperunt, iam magna ex parte data et in consummatione saeculi plenius danda, aut *promissiones horum bonorum alterutro sensu intellectuorum*. Donavit autem Christus sive divina virtus ipsius haec ἐπαγγέλματα eo consilio, ἵνα, ut per haec fideles fiant divinae participes naturae. — ἀποφυγόντες τῆς . . . φθορᾶς. In N^oT^o φθορά habet triplicem sensum: a) *physicum*: interitus, mors, dissolutio (*Verwesung* vel *Verweslichkeit*); b) *moralem*: depravatio moralis; c) *eschatologicum*: interitus sempiternus sive amissio vitae aeternae. Sicut in opposita voce ζωή Scriptura interdum coniungit varios sensus (cf. n. 270 d), sic φθορά significare potest «conditionem depravationis *physicae et moralis*, per peccatum in hunc mundum invectae» (Zor.). Nostro loco oppositio est satis manifesta inter ζωὴν καὶ ἐνσέβειαν ex una parte et τῆς ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς ex altera parte. Quare ἀποφυγόντες non *condicionaliter* intellegendum est: «si effugiatis» vel «si effugeritis», sed *temporaliter*: «postquam effugistis»; et quidem propter additum ἐν ἐπιθυμίᾳ et oppositionem ad «vitam et pietatem» non primario cogitandum est de interitu physico in universali conflagratione mundi (cf. 2 Petr 3, 7), sed sensus est: «postquam gratuita ad fidem vocatione effugistis corruptionem, quae regnat in mundo concupiscentia pleno» (cf. 1 Io 2, 16); ergo hic significatur primario corruptio *moralis* et fortasse connotatur eius poena, aeternus interitus. Quia in contextu multa dona gratuita indicantur, ista liberatio a corruptione concupiscentiae hic exhibetur tamquam *opus gratiae*. Quid vero *ex parte hominis* adeo gratificati praestandum sit, dicitur in sequentibus. — v. 5: καὶ αὐτὸ τοῦτο = καὶ δι' αὐτὸ τ. (*und eben deswegen*): Quia tot et tanta dona gratiae acceperunt (et maiora promissa expectant), debent *praeter* (παρ-, neben) ea, quae Deus donavit, etiam ex sua parte *afferre* (-εισενέγκαντες) omne studium et diligenter exercere virtutes. Ἐπιχορηγεῖν proprie dicit «suis sumptibus *chorum* sive ludos publicos *apparare*»; ergo hic: *id agere*, ut virtutes adsint. Logicus ordo septem vel octo virtutum v. 5—7 enumeratarum difficulter explicatur. — v. 8: Quae si fecerint, bene iis erit; v. 9: secus male. — v. 10: Hoc modo suam vocationem et electionem stabilient. — v. 11: Sic Deus quoque aliquando abundanter *solvet expensas* ad festivum ingressum in Christi aeternum regnum requisitas, i. e. omnibus ad obtinendam beatitudinem caelestem necessariis eos instruet.

409. Textus: 1, 4 ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως. Adiectivum θεῖος in N^oT^o non occurrit nisi his hoc loco 2 Petr 1, 3 et 4; substantivum τὸ θεῖον semel vel bis in sermone S. Pauli in *Areopago* habito (Act 17, 29 et lect. var. v. 27). Vox est *Hellenistis eruditis* usitata, ut veram Deitatem prae multis diis plebis significant. Participare θείας φύσεως occurrit apud *Stoicos* et *Platonicos*, in *mysteriis* hellenicis

et formulis *magicis*, porro apud Iudaeos hellenisticos *Philonem*, De Decal. 21 (MG 1, 198), ubi de planetis praedicatur, et *Iosephum*, C. Apion. 1, 26¹.

410. Argumentum. S. Petrus asserit aliquod **consortium divinae naturae**, quod per pretiosa Dei dona conferatur. Hoc consortium:

1. non intellegitur sensu pantheistico vel magico. Talis idea generatim a S. Scriptura longe abest. Specialiter in hac pericopa est sermo de aliqua participatione, quam Deus per Christum *libere et gratuito* dat. Optime distinguuntur Deus magna dona dans (v. 3 s), homo fideliter cooperans (v. 5—10), Deus adiuvens et remunerans (v. 11 12). Dona sunt summi momenti *ethici*, conferunt ad vitam et pietatem, eripiunt e corruptione et concupiscentia mundi.

2. Tamen non est consortium mere morale sive sola assimilatio ethica ad Deum, exercitio virtutum procuranda. Hoc quidem exercitium fideles diligenter praestare debent (v. 5), ut fructus habeant (8) et certam reddant vocationem suam (10); sed ab eodem distinguuntur dona iam *antecedenter* in hunc finem collata, inter quae habentur consortium divinae naturae et ereptio e corruptione mundi. Haec dona sunt *ratio*, *cur* debeant studere assimilationi morali per exercitium virtutum (v. 5 init.).

3. Non est mere eschatologicum. Divina virtus (v. 3) iam dedit omnia, quae ad vitam et pietatem, i. e. ad vitam vere christianam *in hoc saeculo* gerendam, spectant. Correspondenter fuga *της ἐν ἐπιθυμία φθοράς* (v. 4) non dicit, saltem non primario, salvationem ex hoc mundo *physice* corruptibili per ingressum in vitam incorruptibilem *futuri* saeculi, sed salvationem ex corruptione *moralis* concupiscentiae mundanae, quae a Deo per gratiam iustificantem datur. Corruptio non solum dicitur *ex* concupiscentia orta, sed etiam *in* ea consistens, opponiturque «vitae et pietati». *In hoc contextu* donata dicuntur (v. 4) pretiosa promissa (sive promissiones) ad hunc finem,

¹ Cf. supra n. 248 272; — v. *Harnack*, Terminologie der Wiedergeburt p. 131 not. 4; — *Reitzenstein*, Die hellenistischen Mysterienreligionen, 2. Aufl. (Leipzig 1920) 13 99; — *Charles Bigg*, Critical and exegetical Commentary on the Epistles of St. Peter and St. Jude, ed. 2 (Edinburgh 1902) 255 s. — Gentiles philosophi hanc deificationem sensu *pantheistico* intellegebant. — Quale consortium S. Petrus asserat et quomodo a Patribus intellectus sit, v. *Curiel*.

ut per ea (sive per earum impletionem) fideles efficiantur consortes divinae naturae. Sane multo probabilius cogitatur de donis, quae promittuntur sive a prophetis sive a nuntiis evangelii, et conferuntur, *quando* homo evangelium acceptat et per fidem ac baptismum *iustificatur*. — Hoc multum confirmatur idea *regenerationis* et filiationis divinae per gratiam praesentis vitae, quae saepe in N^oT^o necnon ab ipso *S. Petro* (1 Petr. 1, 3 17 23; 2, 2) exhibetur (cf. arg. 2). — Si nihilominus aliquod consortium eschatologice conferendum hoc loco *proxime* intellegi putetur, applicari poterit ea idea biblica, secundum quam dona futurae gloriae *iam formaliter inchoantur* donis gratiae (n. 270).

4. De alio consortio cogitari nequit. Nam illud, quod per Verbi incarnationem toti naturae humanae obiective datum est, excluditur eo, quod hoc loco supposita incarnatione agitur de donis *a Christo iam paratis* atque nunc ad singulos homines applicandis. Consortium vero eucharisticum a toto contextu longe abest, quamvis *S. Cyrillus Hier.* (*Catech. mystag.* 4, 3 [R 845]) textum ad hoc accomodet.

5. Ergo exprimitur consortium, quod efficitur illis donis, quae «per cognitionem Iesu» (v. 3) i. e. per fidem dantur, quando homo, sequens vocationem τοῦ καλέσαντος, eandem fidem assensu mentis et susceptione baptismi amplectitur, i. e. in iustificatione. — In qua datur etiam donum increatum, Spiritus Sanctus, qui sane per excellentiam vocatur donum promissum, etiam a *S. Petro* in suis sermonibus (Act. 2, 38 s.; 11, 17). Sed si huic dono *exclusive* tribuere voluit consortium divinae naturae, non debuit in *plurali* de «pretiosis et maximis promissis» loqui. His verbis potius dona creata significantur. — *Aliunde scimus* (th. 12 13) in iustificatione infundi dona creata, interna, physica, permanentia, gratiam scl. sanctificantem et habitus virtutum. Ergo dicendum est his pretiosis donis dari consortium divinae naturae, et quidem per unumquodque donum secundum suam proprietatem diverso modo: Virtutes infusae quodammodo divinizant *potentias* animae, in quibus resident et ad quarum actus cooperantur. Gratia autem sanctificans est illud donum, in quo alia quasi in sua substantia et natura radicanter et connectuntur et quod *totam animam* ad superius esse elevat. Per hoc igitur donum formaliter efficiuntur *naturae* divinae consortes; S. Spiritus autem tamquam forma *assistens* consortium alius generis, *relativum*, non formale efficit. — Cf. P 343 et *Suar.* *ibid.* cit.

411. Argumentum 2. In iustificatione **generamur** ex Deo, (Io 1, 13), ut filii Dei nominemur et simus (1 Io 3, 1). Generati ex spiritu, efficimur spirituales (Io 3, 6). Quoniam semen Dei in nobis manet, quam maxime opponimur peccato (1 Io 3, 9), Dei sanctitatem imitantes. Nondum apparuit, quid erimus. Cum apparuerit, similes ei erimus, videntes eum, sicuti est (1 Io 3, 2; — v. hos textus th. 13 n. 380, 2). Cum generatio sit « productio viventis a vivente in similitudinem naturae », Deus homini, quem supernaturaliter regenerat, novam quandam *naturam confert*, qua homo Deo tamquam *patri assimilatur* aliquo modo, qui potentias et exigentias omnium creaturarum transcendit. Haec *similitudo cum Filio unigenito* aliquando, in visione beatifica, manifesto apparebit. — Ergo ex his textibus, quibus th. 13 *existentiam* gratiae sanctificantis probavimus, simul probari potest: Iustificatio est *generatio*, quatenus per eam formam, quae in ipsa confertur, *primo communicatur homini natura Dei* seu homo efficitur Deo supernaturaliter similitudinis. Quare gratia sanctificans vere est causa formalis alicuius consortii divinae naturae.

412. III. Patres¹. Patres antiquissimi interdum *innuunt* distinctionem *imaginis* naturalis et *supernaturalis*. Gnostici videntur primi inter imaginem et similitudinem (*εἰκὼν* et *ὁμοίωσις*, Gen 1, 26) explicite distinxisse (*Strucker* p. 130). Hac occasione utens **S. Irenaeus** istam doctrinam ita excoluit, ut *ὁμοίωσις*, prout eam explicat, bene identificari possit cum *gratia sanctificante*². — Alexandrini ad hanc quaestionem diligenter tractandam etiam per *Philonem* et *Neoplatonicos* adacti sunt³. — Epiphanius (*Strucker* 131) iam tot diversas imaginis et similitudinis divinae explicationes invenit, ut hanc doctri-

¹ Doctrinam deificationis a Patribus traditam v. th. 9 n. 273 ss; cf. opera n. 247 citata, maxime A. Strucker, *Gottebenbildlichkeit des Menschen*. — De imagine et similitudine Dei secundum Patres et veteres theologos fuse tractat anonymus (*Fr. Ant. Staudenmaier*, ut videtur) in ThQS 12 (1830) 199—284 403—524.

² « Irenäus fasste dann die ihm in der kirchlichen wie ausserkirchlichen Literatur gebotenen Momente zur Erklärung des Gen 1, 26 ausgesprochenen Gottebenbildlichkeitsgedankens in mustergültiger Weise zusammen und glich sie zu einer einheitlichen Auffassung aus, die schliesslich in ihren Hauptmomenten katholisches Erbgut wurde » (*Strucker* p. 131; id ostenderat p. 101 ss).

³ *Strucker* 130; cf. O. Faller (*Gregorianum* 6 [1925] 427 ss).

nam accuratius determinare nollet (*Haer.* 70, 2s [MG 42, 341 ss]). — Singulos textus v. R 40 412 613 780 787 944 1283 1468 2063 2079 2099 2106 s 2193 2286.

Saepe quidem Patres assimilationem ad Deum sive deificationem in immortalitate et incorruptione (*ἀθάνασις* et *ἀφθαρσία*) reponere videntur. At istam immortalitatem minime, ut *Harnack* aliique putant (v. n. 278), ut *meram existentiam* in infinitum productam concipiunt, sed potius ut participationem illius *vitae* divinae, qua ipse Deus cognitione et amore sui semper summe beatus est. (Eodem sensu *nos* loquimur de «vita aeterna», intellegentes beatitudinem aeternam.) Secundum Patres assimilamur Deo immortali et beatissimo *nunc* iam per vitam gratiae, *aliquando* perfectius et completius per visionem et gloriosam resurrectionem (v. *Strucker* p. 113 ss; *Sträter* p. 11 ss; *Bornhäuser*). — In hac deificatione Patres magnum quidem momentum tribuunt incarnationi Verbi (*Iren.*, *Athan.*, *Cyr. Alex.*), sed ab hac *obiectiva* et *universali* participatione Deitatis bene distinguunt *subiectivam applicationem* singulis non nativitate ex genere humano collatam, sed *regeneratione* in Christo a S. Spiritu conferendam¹. — Item Patres maximis laudibus extollunt donum increatum (v. g. *Cyr. Hieros.*, *Bas.*, *Cyr. Alex.*), sed ipsam deificationem naturae potius reponere videntur in ea assimilatione, qua Spiritus Sanctus «nos ad formam Christi perficit, per sanctificationis videlicet *qualitatem*» (*Cyr. Al.* [R 2063]).

413. IV. Theologi. Cf. n. 282 s: Bernardus, Alexander Hal., Bonaventura, Thomas. — **S. Thomas**, *In 2 d.* 26 q. 1 a. 3, explicans verba *Dionysii*, ostendit, antequam *operatio* hominis eiusque *principia proxima* ad proportionem finis ultimi supernaturalis eleventur, prius ipsam *essentiam* animae per gratiam habitualement elevandam esse «in quoddam divinum esse». Hoc tamen non concipit ut esse *quiescens*, sed ut *principium operationis*: «ut idonea sit ad divinas operationes». — *S. th.* 1, 2 q. 110 a. 2 ad 2: «Id, quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam *bonitatem*, ut de *scientia* patet.» (Ergo participationem *bonitatis* divinae non intellegit ut Ripalda exclusive de bonitate *moralis*.) — a. 3: «*Virtutes* autem *infusae* disponunt hominem altiore modo et ad altiorem finem, unde etiam... in ordine ad aliquam *altiore naturam*, h. e. in ordine ad naturam *divinam participatam*, quae dicitur lumen gratiae; secundum quod dicitur 2 Petr 1, 4» etc. — ad 2: «Bonum positum in definitione

¹ *Strucker* (p. 115) de Irenaeo: «Nicht jeder Mensch erhält tatsächlich das »Prinzip« der Gottähnlichkeit, das *πνεῦμα*, trotz der den Menschen, d. h. das ganze Menschengeschlecht, ergreifenden Rekapitulation des Logos.»

virtutis dicitur secundum convenientiam ad aliquam naturam praeexistentem vel essentialem vel participatam; . . . attribuitur gratiae . . . sicut *radici bonitatis* in homine.» — q. 112 a. 1: Donum gratiae nihil aliud est quam «quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam . . . Sic enim necesse est, quod solus Deus deficiet, communicando consortium divinae naturae per quamdam similitudinis participationem.» — Cf. 1, 2 q. 62 a. 1; — 3 q. 3 a. 4 ad 3; — q. 2 a. 10 ad 1. — *S. th.* 1 q. 93 a. 4 conceptum imaginis explicat et cum *Glossa ordinaria* distinguit imaginem creationis, recreationis, similitudinis. Prima est in omnibus hominibus, altera in iustis, tertia in beatis. «Imitatur autem intellectualis natura maxime Deum quantum ad hoc, quod Deus se ipsum intellegit et amat.» Per naturam mentis homo habet *aptitudinem* ad intellegendum et amandum Deum (*supernaturaliter*, ut e sequentibus membris elucet). Per conformitatem gratiae homo *actu vel habitu* Deum cognoscit et amat, sed *imperfecte*. Secundum similitudinem gloriae est imago eo, quod Deum *actu* cognoscit et amat *perfecte*.

Non favent Ioanni Vincentio, quae Aquinas dicit *In 1 d. 43 q. 1 a. 2* de quaestione, utrum *omnipotentia* Dei possit communicari creaturae. Respondet: «Sicut nulli creaturae potest communicari, quod sit Deus, ita non potest sibi communicari, quod sit *infinitae essentiae et infinitae potentiae*.» — ad 1: «Omne nomen, quod designat perfectionem divinam *absolute*, non concernendo aliquem modum, communicabile est creaturae, ut potentia, sapientia, bonitas et huiusmodi. Omne autem nomen concernens *modum*, quo illa perfectio est in Deo, creaturae incommunicabile est, ut est summum bonum, esse omnipotentem et eiusmodi.» — Quae habet *De ver.* q. 27 a. 2 (v. n. 283), minus cohaerent cum explicatione *Ripaldae*, bene autem cum nostra. Ceterum quoniam Aquinas essentiam *beatitudinis* non in amore et gaudio, sed in visione ponit, a priori expectandum est eum pariter elevationem per *gratiam* ad participationem divinae naturae essentialiter et primario ponere in aliquo elemento ad *intellectum* spectante, scil. in aliqua assimilatione ad intellectualitatem divinam.

414. V. Ratio explicat hoc consortium et *congruentiam* explanationis ostendit (v. P 341—346; — Ber 800—802; — Mazz. 997 ss; — *Villada* l. c.).

Explicandum est aliquod consortium divinae naturae, quod *per iustificationem formaliter* donatur. Alia «pretiosa promissa» alio sensu conferunt quoddam consortium: *Incarinatio* unam individuum naturam hypostatice Deo uniendo totam speciem dignitate extrinseca quodammodo participem reddidit naturae divinae. Sumptione *eucharistiae* efficitur consortium divinae naturae, quod qua pure sacramentale est satis imperfectum, cum possit esse sacrile-

gum, et quatenus simul est spirituale, includit consortium per gratiam. — Ad consortium iustificationis varia dona supernaturalia diversis modis contribuunt, sic actus salutare *dispositive*, sacramenta *instrumentaliter*. Per ipsam *internam sanctificationem* anima duplici donatur participatione divinitatis: a) terminativa, quae est specialis coniunctio cum *S. Spiritu inhabitante* tamquam termino novae relationis; cuius fundamentum est gratia sanctificans, ut exponit S. Bonaventura (*In 2 d. 26 q. 2 ad 1*) exemplo *equi*, qui per *frenum* tenetur. Sed hic effectus formalis gratiae creatae, *fundare* scilicet eam *relationem*, qua possidetur donum increatum, naturaliter *sequitur* eum effectum, quem gratia qua *qualitas absoluta* formaliter confert. — Atque sic tamquam *proximus et primarius* effectus formalis habetur b) participatio formalis divinae naturae. — Testimonia *Scripturae* eorumque per *Traditionem* expositio exigunt plus quam consortium mere *metaphoricum* vel mere *ethicum*. Ut autem ex altera parte vitetur *pantheismus*, non debet natura divina neque ullum attributum Dei *univoce* praedicari de Deo et creatura; insuper debet servari essentialis diversitas ab eo consortio *substantiali*, quod soli naturae humanae Filii naturalis per *unionem hypostaticam* conceditur (cf. Patres hanc differentiam urgentes, v. g. *Athan. et Cyr. Al. n. 274 et 276*).

Ergo explicandum est consortium quoddam verum et physicum, sed analogum et accidentale, quod *formaliter* habetur per *absolutam* illam qualitatem physicam, quam vocamus gratiam sanctificantem. — Iuxta doctrinam *Patrum* inde a S. Irenaeo et omnium *Scholasticorum* eiusmodi consortium invenitur in **supernaturali assimilatione** ad Deum, quam gratia sanctificans animae iusti confert. Explicamus igitur 1. quomodo anima per gratiam supernaturalis imago Dei evadat; — 2. quid praecise sit divinum illud, quod gratia in anima quasi depingit.

415. 1. Gratia in anima exprimit imaginem Dei supernaturalem. Imago (cf. *Thom., S. th. 1 q. 93*) est a) similitudo quaedam vera et formalis rei, cuius dicitur imago. Omnis imago est similis, sed non omne simile est imago, sicut *ovum*, alteri ovo simile, eius imago non est. Imago enim oportet sit b) expressa ex altero, i. e. suam originem debeat alteri tamquam suo *exemplari*. Porro similitudo debet esse c) in natura specifica vel quasi-specifica, non *generica* tantum. Quare *vermis*, secundum veteres generatione aequivoca ex homine generatus, propter solam similitudinem in genere animalis non est imago hominis. Neque sufficit similitudo secundum *accidens* compluribus speciebus *commune*, v. g. secundum solum colorem. Sufficit autem accidens speciei *pro-*

prium, ut figura; nam talis similitudo censetur esse quasi-specifica. Tandem similitudo debet oriri d) vi ipsius productionis, per actionem formaliter assimilativam sive ad repraesentandum alterum. Quare Filius quidem est imago Patris, S. vero Spiritus non est imago Patris et Filii.

Si haec ad creaturas applicamus: a) irrationales non sunt Dei imagines; non enim Deo sunt similes nisi in rationibus omnino *genericis* vel potius *quasi-genericis*, ut entis, viventis etc. Perfectiones materiales in Deo non sunt formaliter, sed *eminenter* tantum. Quatenus tamen Deus etiam irrationalium *causa exemplaris* est, et quidquid entis, veri et boni iis competit, habent, in quantum ad similitudinem Dei producta sunt, vocantur **vestigia** Dei. Repraesentant enim suum factorem tam imperfecte quam vestigium hominem, qui praeteriit. — b) Homo et angelus **naturaliter** est **imago** Dei. Nam definitio, etsi analoge tantum, tamen in omnibus quadrat. Per *naturam intellectualem* participatur aliqua perfectio, quae *formaliter* in Deo est et recte concipitur ut *quasi-specifica*; participatur autem nonnisi analoge, quia Deus est suum intellegere et velle infinitum, creatura autem rationalis a Deo habet intellectum et voluntatem finitam (cf. P III th. 16). — c) Per gratiam formaliter efficitur **imago** Dei **supernaturalis**, in qua definitio imaginis multo perfectius verificatur. Deus producendo gratiam exprimit per quandam spiritualem generationem in anima *novam* cum se ipso *similitudinem* eamque incomparabiliter perfectiorem, quam quae per creationem in anima habebatur. Accipit enim anima per illud accidens, quod Deus iustificando producit, novas perfectiones, quae omnes exigentias naturales superant et Deo, prout super omnes creaturas ineffabiliter excelsus est, quam maxime sunt *propriae*. Aliquid, quod naturaliter exclusive naturae divinae competit, quod nulli naturae creatae vel creabili debetur, cum anima, quando informatur qualitate gratiae sanctificantis, vere et physice, analoge licet et accidentaliter, communicatur. Anima, per gratiam Deo assimilata, effecta est imago Dei multo sublimior accepitque tale cum divina natura consortium, ut iure dicatur accidentaliter *deificata*.

416. 2. Ex parte Dei quae est ista perfectio, quam anima gratia ornata tamquam viva imago exprimit? Respondemus: **Est natura divina intellectualis et moralis**. — a) Non est vita divina in actu secundo sive operationes vitales. Gratia quae talis non dicit *actualement operationem* animae superioris; est

enim etiam in dormientibus et parvulis. — b) Non est intellectus et voluntas Dei, prout a nobis concipiuntur ut facultates contradistinctae ad ipsam naturam tamquam *proxima agendi principia*. Gratia habitualis praecise qua talis in fontibus non describitur ut habitus proxime operativus, sed potius ut *entitativus* (v. n. 389, 4). Ratione prius quam divina operatio eiusque potentia est *divinum esse*, quod per gratiam participatur (v. *Thom.* n. 413). Ergo gratia in anima repraesentat divinam essentiam, prout haec concipitur tamquam subiectum attributorum, ratione ab iis distinctum. — c) Non est essentia divina, prout est ultimum principium essendi et attributorum quiescentium, seu prout philosophi logice distinguunt *substantiam*, ultimum principium essendi, a *natura*, ultimo principio operandi. Patres recte intellecti non adversantur (v. n. 412 alin.). Ipsum Esse divinum, prout $\tau\theta$ esse creaturarum opponitur, est *esse per essentiam, a se, independens, infinitum, actus purus*. Videtur autem repugnare aliquam creaturam formaliter, etsi analoge et accidentaliter, participare has perfectiones divinas, quae in conceptu suo ipsum absolutum, perfectissimum infinitumque *modum*, quo in Deo sunt, ita exhibent, ut ab eodem seiungi non possint (v. n. 413 alin.). Alia vero attributa, ut esse naturam intelligentem et volentem, modum divinum in conceptu suo inadaequato non ita includunt. — d) Nihil igitur remanet nisi natura divina, prout concipitur ut ultimum principium operationis divinae. De operatione transeunte hic rationabiliter cogitari nequit. Gratia enim datur homini, ut operationes *immanentes* superioris animae sive vitam intellectualem et moralem gerat sicut oportet ad salutem supernaturalem. — Etiam *naturalis* Dei in homine *imago* consistit in formali participatione vitae intellectualis et moralis, in quantum scil. versatur circa objecta animae humanae naturaliter intellegibilia et correspondenter amabilia, i. e. circa res creatas et praecipue circa ipsum Deum in speculo creaturarum intellegibilem. Quare *supernaturalis* Dei imago dicenda est consistere in aliquo gradu intellectualitatis et consequenter etiam moralitatis, qui viribus et exigentiis naturalibus cuiuscumque spiritus creati est inaccessibleis et soli Deo connaturalis. Hic gradus est ea divinae naturae perfectio, qua immediata suae essentiae visio naturaliter ipsi est competens, et consequenter eiusdem essentiae summus atque immobilis amor cum summa perpetuae aversione ab omnibus summo bono contrariis, atque tandem summum gaudium ex tali visione amoreque in aeter-

num prorumpens. — *Intellegere* quidem non possumus *positive*, possitne creatura rationalis, supernaturaliter elevata, hanc intellectualem moralemque divinae naturae perfectionem vere et formaliter participare (v. n. 287); sed, positis limitationibus ad excludendum modum divinae infinitatis necessariis, saltem *non videmus repugnantiam*. — Revelatio nos docet *finem* nostrum supernaturalem revera consistere in tali vitae divinae participatione. Eadem revelatio dona *gratiae* saepe exhibet tamquam semen gloriae sive *formalem* ipsius *inchoationem* (n. 270). Hinc illud donum, quo essentia animae formaliter elevatur ad consortium divinae naturae seu quo anima imago supernaturalis Dei efficitur, optime eo explicatur, ut animam formaliter elevare dicatur ad eam perfectionem *naturae* Deo propriam, quae est fundamentum perfectionis intellectualis et moralis Deo propriae. — Quoniam finis valde essentialiter consistit in *visione* Dei et reliqua, quae ad voluntatem spectant, inde connaturaliter fluunt, non placet, quod *Ripalda* hoc consortium *unice* ponit in natura ut radicali principio *bonitatis moralis*. Hoc elementum utique addendum est.

417. Gratia sanctificans hominem physice et habitualiter elevat ad ordinem visionis intuitivae Dei cum correspondente amore et gaudio. **Non actualem visionem** et proximam eius potentiam (lumen gloriae) confert. «Nondum apparuit, quid erimus» (1 Io 3, 2). Gratia est principium ultimum seu radicale vitae beatae. Non per modum actus secundi nec per modum potentiae proximae, sed *per modum naturae* tantam dat animae perfectionem. Ex natura per se *potentiae proximae* et *activitas* correspondens sponte fluunt. Sed interim nondum omnia, quae naturam deificatam consequuntur, actu dari possunt. Donec *status viae* finiatur, homini ambulandum est *per fidem* et non per speciem (2 Cor 5, 7). Sed ubi primum finis huius status venerit (et obex poenae temporalis, si adsit, remotus fuerit), statim implebitur ista exigentia naturalis, et lumine gloriae infuso actus visionis beatificae habebitur. Gratia igitur dat *aptitudinem* et *exigentiam* visionis *radicalem* atque *remotam*, i. e. physica entitas gratiae qua natura superior confert substantiae animae eam physicam et moralem perfectionem, cui *connaturaliter* respondeat visio beatifica, *physice* lumine gloriae efficienda. Ea autem perfectio *naturae*, cui tamquam perfectio *intellectus* correspondet visio Dei intuitiva, soli naturae divinae naturaliter competit. Creatura, per gratiam hanc perfectionem accidentaliter participans, eo ipso physice et formaliter effecta est supernaturalis imago naturae divinae quoad gradum intellectualitatis, et in hac ratione imaginis dicimus consistere illud consortium formale naturae divinae, quod fontes animae iustae attribuunt. Ad *consummationem* perducetur idem consortium lumine gloriae et actuali Dei visione. — Simili

modo imago Dei *naturalis* vere et proprie iam adest per solam *naturam rationalem*, radicaliter aptam, quae Deum in speculo creaturarum cognoscat, etiam in *parvulo*, qui hucusque nullam cognitionem intellectualem habuit; perficitur autem, quando facultas ponitur in actu primo proximo et dein actualiter intellegit. — Itaque in vita aeterna cognoscemus Deum *cognitione* eius ordinis, quo ipse se cognoscit; consequenter amabimus eum *amore* eius ordinis, quo se ipsum amat Deus, atque fruemur *gaudio* eius ordinis, quo Deus ex visione et amore sui ipse beatur. Huius perfectissimi consortii divinae naturae formalis inchoatio habetur per aptitudinem ad hanc vitam divinam gerendam, quam gratia radicaliter confert; nam per eam homo *primum ponitur in hac specie divinae intellectualitatis*.

418. Ex data expositione elucet «*intellectualitatem*» hic non exclusive sumi de ordine cognoscitivo, sed includi correspondentes perfectiones ordinis volitivi et affectivi. Hoc modo admittimus, quaecunque *Ripalda* de **ethica assimilatione** ad radicalem Dei bonitatem moralem disserit. Gratia, quando non praecise ut inchoatio gloriae, sed ut *donum et auxilium huius vitae* spectatur, a fontibus sane *frequentius* sub isto respectu moralis ad Deum assimilationis exhibetur. Id iam indicant ipsa nomina gratiae *iustificantis* et *sanctificantis*, supernaturalis *iustitiae* sive *rectitudinis*, habitualis *conversionis* ad Deum. — Haec optime concordant cum nostra explicatione. Divina enim natura concipitur etiam ut ultima radix omnium attributorum moralium. Sic gratia sanctificans qua Dei imago est *natura* quaedam superior, tamquam *potentias* exigens habitus operativos virtutum supernaturalium. Hisce autem virtutibus infusus certissime «*nemo male utitur*»; concurrunt enim ad sola opera bona divini ordinis, atque cum earum cooperatione omne opus malum sumopere discrepat. Sic gratia ut ultimum principium virtutum infusarum animam *naturae Dei sanctissimae* supernaturaliter assimilat, quippe quae est radix omnis bonitatis moralis et omni malo morali inimicissima. Deus per hanc suam naturam semper est conversus ad se ipsum ut ad summum bonum, omnisque ab hoc bono aversio ei quam maxime repugnat. Hanc rectitudinem moralem et sanctitatem naturae divinae anima iusta per gratiam sanctificantem *formaliter participat*. Sic «*omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quia ex Deo natus est*» (1 Io 3, 9). Iustus *per nativitatem ex Deo opponitur peccato*. Gratia, prout est semen Dei, est radix omnis boni resistitque omni malo. Sed hoc quoque in vita terrestri nonnisi

imperfecte et inchoate habetur, cum gratia, licet ipsa nullum malum morale producat, coexistere tamen cum peccato *veniali* et amitti peccato *mortali* possit. Etiam ex hac parte consortium in altera vita consummabitur, in quam « non intrabit aliquid coinquinatum » (Apc 21, 27). Tunc anima creata, naturaliter defectibilis, supernaturaliter perfecte participabit plenam naturae divinae impeccantiam, idque eo, quod in summum bonum intuitive cognitum fertur *perfecto amore amicitiae*, qui, totum ordinem creatum transcendens, eiusdem ordinis est atque amor, quo ipse Deus summum bonum diligit. Sic anima indefectibilem Dei sanctitatem perfectius imitabitur, quam ulla creatura naturaliter facere vel exigere possit, quippe quae secundum *S. Augustinum* (v. g. *Epist.* 118 n. 15), quia ex nihilo creata, essentialiter defectibilis est. Interim gratia *radicaliter* sive per modum naturae, caritas infusa *proxime* sive per modum potentiae dat *connaturalitatem et aptitudinem* ad istam divini ordinis sanctitatem, immo iam habetur *formale initium* eiusdem caritatis, ex qua in altera vita perfecta impeccantia profluet.

Quoad ethicam ad Deum assimilationem praeter 1 Io 3, 9 et 2 Petr 1, 4 (*ἀπορρογόντες* ..) cf. multos textus, quibus iusti dicuntur esse « in Christo Iesu » (n. 380, 4), formari in iis Christus (Gal 4, 19), operari in iis *πνεῦμα θεοῦ* (Rom 8, 15 s 26), proponitur exemplum perfectio Patris caelestis (Mt 5, 48) atque unio inter Patrem et Filium (Io 17, 21 s). Assimilatio igitur ad sanctitatem divinam, quam gratia confert, iugi *virtutum exercitio augenda* ac perficienda est. — Patres de hac re agentes v. *Villada* n. 19.

419. Consortium divinae naturae est effectus formalis **primarius** gratiae sanctificantis. Nam essentia huius gratiae est in eo, ut sit participatio naturae divinae. Sicut ex communicatione formae *albedinis* immediate et primo resultat corpus *album*, vel sicut ex informatione corporis per *animam* humanam immediate et essentialiter habetur *homo*, ita ex collatione gratiae immediate et essentialiter oritur anima particeps naturae divinae. Accedit, quod hic primus et immediatus effectus reliquos effectus formales sive formaliter sive radicaliter *sub se comprehendit*. Hi enim vel sunt respectus diversi eiusdem realitatis (v. g. *filiatio adoptiva* est consortium naturae divinae, prout respicitur tamquam *a Deo* adoptante et quodammodo generante collatum), vel partiales effectus adaequatae participationis divinae naturae (v. g. *immunitas a peccato mortali* est participatio divinae naturae, prout est *sanctissima*). — Singula ostenduntur a *Villada* n. 23—25.

Thesis 15. Gratia sanctificans hominem formaliter constituit filium Dei adoptivum.

420. P pr. 28 n. 347 s. — Villada n. 103—117. — Ber. 804—828. — Mazz. 1011—1024. — Lah. th. 47. — Schiff. th. 18. — J. Bellamy, art. *Adoption* in DdTh 1, 421—437.

St. qu. 1. Nexus (cf. n. 403). Hic effectus formalis *secundarius* non multum differt ab effectu *primario*. Consortium naturae dicit similitudinem. Si haec similitudo confertur per generationem, oritur relatio patris et filii. Ita in nostro casu est. Licet enim adoptio *humana* non conferat similitudinem naturae, sed eam supponat, *Deus* tamen adoptat assimilando sibi adoptandum atque sic conferendo consortium suae naturae.

421. 2. **Sensus.** Gratia sanctificans (v. th. 13); — hominem formaliter constituit, sive per modum causae formalis efficit (n. 404); — filium Dei adoptivum. Adoptio (*ἰδοθεσία*; cf. n. 269, 1) est: a) assumptio gratuita; adoptans enim *libere gratisque* assumit (tamen homo adoptans, secus ac Deus, fortasse aliquam *indigentiam* filii habet et aliquod *commodum* ex adoptione sibi sperat) assumitque *cum affectu paterno*; quare si hoc fieri posset, filio adoptivo propriam naturam libenter communicaret, sicut filio naturali per generationem natura patris revera communicatur; — b) personae extraneae, quae non est filius naturalis, per generationem communicans cum natura patris, sed adoptione assumitur in filium, *nomen, dignitatem, iura*, quae filius naturalis titulo nativitatis habet, sibi acquirens; — c) atque haec imprimis cum iure hereditatis. Inter homines hereditas (*κληρονομία*) est *successio* in bona *defuncti*. In praesenti casu latiore sensu intellegitur tamquam *participatio* eorum bonorum, quibus pater adoptans, i. e. ipse Deus, dives est.

422. 3. **Sententiae.** Secundum omnes catholicos iusti sunt filii Dei adoptivi idque *aliquo modo per gratiam sanctificantem*. Sed non omnes gratiam eodem modo statuunt causam formalem adoptionis. Sententiae nobis adversae in hoc conveniunt, quod ad filiationem adoptivam constituendam *praeter gratiam sanctificantem* requirunt *aliquod elementum ab extrinseco accedens*. Cum adoptione supernaturali necessario coniungitur: a) *participatio divinae naturae*, cum pater et filius, quantum fieri potest, debeant esse eiusdem naturae; —

b) *remissio peccatorum*, ne filius adoptivus indignus sit amore et hereditate patris adoptantis; — c) ipsam *ius hereditatis*. — Sunt itaque theologi, qui negent omnia haec tria per solam gratiam sanctificantem formaliter haberi: a) Lessius (*De perf. div.* l. 12 c. 11 n. 75) aliique (n. 405 b α) contendunt adoptionem *sicut consortium* divinae naturae potissimum *per Spiritum Sanctum inhabitantem* formaliter haberi. — b) Scotus (*In 4 d. 16 q. 2 Resp.* n. 4s) cum multis Scotistis et Nominalistis dicit gratiam non sua natura, sed ex speciali Dei ordinatione *expellere peccatum*; eam ordinationem esse *novum favorem* ab extrinseco ad gratiam accedentem; hinc hominem non sola gratia, sed nonnisi addito isto favore, constitui amicum et filium Dei. — c) Secundum Ripalda (l. 6 disp. ult. s. 10 n. 131—147) gratia confert *dignitatem seu capacitatem moralem* ad hoc, ut iustus gratiose acceptetur in gloriam, sed nullam veri nominis *exigentiam physicam* gloriae, neque *ius actuale strictae iustitiae* ad praemium gloriae. Tale ius asserti oriri potius *ex promissione Dei*, facta sub condicione onerosa, nec sine *novo favore* adiungi infusioni gratiae. Quare distinguit: « Filiatio *essentialis* est intrinseca gratiae; secus *integralis et completa in actu secundo* » (n. 143). Similem favorem postulat ad remissionem peccatorum (n. 143—145).

Nos cum Suarez (l. 7 c. 2 n. 6), Salmanticensibus (tr. 14 disp. 4 dub. 2 n. 25—38) plurimisque Thomistis et Iesuitis tenemus *ex interna natura* gratiae sanctificantis formaliter resultare adoptionem *adaequatam*, i. e. coniunctam cum consortio divinae naturae, remissione peccatorum, iure hereditatis. Secundum Thomistas et multos Iesuitas hoc fit *metaphysica necessitate*; consequenter homo gratia ornatus, sed a Deo non adaequate adoptatus, metaphysice repugnat (nisi mera adoptio per melius quid, scil. per filiationem naturalem, excludatur). Quare Billuart (*De grat.* diss. 7 a. 3) per modum unius tamquam effectum formalem *primarium* gratiae recenset: « constituere hominem consortem divinae naturae, filium Dei adoptivum, heredem regni, gratum Deo et amicum ». — Suarez vero cum sat multis Iesuitis contendit cum effectu primario, qui sit participatio naturae divinae generatione spirituali communicata, solam *exigentiam et ius radicale* ad hereditatem cum *metaphysica* necessitate coniungi, *actuale* vero adoptionem sive acceptationem ex parte Dei esse inter eos effectus formales secundarios gratiae, qui *physica* quidem necessitate e natura gratiae resultent, sed *de absoluta potentia* ab eadem *separari* possint (cf. schol. 2 n. 438 s).

423. 4. Qualificatio. Filiatio adoptiva iustorum a Scriptura et magisterio ordinario docetur; — certo habetur *per gratiam*; — probabilius *per gratiam formaliter et adaequate*.

424. Prob. I. Ecclesia. 1. In sua doctrina et liturgia Ecclesia iustos saepius vocat filios adoptivos heredesque Dei. **Tridentinum** s. 5 can. 5 (Dz 792): Renati effecti sunt heredes Dei et coheredes Christi. — s. 6 cap. 3 (Dz 795) citatur Col 1, 13 s. — cap. 4 (Dz 796): His verbis Apostoli insinuatur iustificatio impii ut «translatio... in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei». — cap. 7 (Dz 799): Per voluntariam susceptionem gratiae et donorum homo fit «ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae». Spiritus Sanctus est pignus hereditatis nostrae. — Baii pr. 42 (Dz 1042): Iustitia formaliter consistit «in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei». — Cf. concilium Coloniense (a. 1860) pars 1 tit. 7 cap. 28. (CL V, 317).

Liturgia. «Promissum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit» (Praefatio Pentecostes). — Christus «divinae nobis generationis est auctor» (Postcommunio tertiae missae Nativitatis). — «Qui in toto orbe terrarum promissionis tuae filios diffusa adoptionis gratia multiplicas» (Sabbato Sancto oratio post tertiam prophetiam). — Benedictio fontis multa continet de regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto: S. Spiritus «hanc aquam regenerandis hominibus praeparatam arcana sui numinis admixtione foecundet, ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam, progenies caelestis emergat;... omnes in unam pariat gratia mater infantiam». — «Quasi modo geniti infantes» (Dom. in Albis, Introitus)¹.

2. Hunc effectum Ecclesia satis clare adscribit gratiae sanctificanti; nam Tridentinum iustificationem, quam cap. 4 dixerat «translationem in statum gratiae et adoptionis», cap. 7 docet fieri «per voluntariam susceptionem gratiae et donorum», atque ibidem huic susceptioni id quoque tribuit, «ut sit heres» homo (Dz 796 799).

3. Cum probabilitate deducitur ex doctrina concilii Tridentini gratiam esse causam formalem adoptionis. Cum

¹ Terrien, *La grâce et la gloire* I² (Paris 1901) p. 24 ss, ex archaeologia christiana ostendit, quam alte haec idea mentibus primorum christianorum insederit: «Sermones ad infantes», i. e. ad neophytos; nomina christiana: Renatus, Regeneratus, Theogonius, Vitalis, Zoe etc.; symbolum piscis et pisciculorum (*Tertullianus*, De bapt. 1 [R 302]; cf. *Fr. Jos. Dölger*, IXΘΥΣ, I [Rom 1910] 170 s); inscriptiones in baptisteriis, v. g. Sixti III in baptisterio Lateranensi (Terrien p. 28).

iustificatio secundum cap. 4 sit transitus ad statum adoptionis et consequenter adoptio aliquod constitutivum iustitiae, *unica causa formalis* iustificationis, quae iuxta cap. 7 est iustitia inhaerens, probabiliter erit etiam causa formalis adoptionis. Sed iustitia inhaerens maxime essentialiter consistit in gratia sanctificante.

425. II. Scriptura. Revelatio huius veritatis in N° T° per tres gradus procedit. — 1. Apud **Synopticos** Christus saepe loquitur de Patre caelesti, qui dilectione et cura vere paterna *omnibus* quidem *creaturis* providet, liliis quoque et passeribus (Mt 6, 26 ss), qui etiam super *peccatores* solem oriri facit et pluit (Mt 5, 45), sed specialius pater est eorum, *quos vocavit ad regnum Dei* a Christo fundandum; iterum alio et specialissimo prorsus sensu *ipse Christus* Deum vocat suum patrem. — Cf. totum *sermonem montanum* (Mt 5—7) cum oratione *Pater noster*, quae est oratio filiorum ad patrem¹. — Porro Christus iustis promittit hereditatem bonorum paternorum sive possessionem regni, quod Pater caelestis paravit electis a constitutione mundi (Mt 25, 34).

426. 2. S. Paulus hanc iustorum filiationem accuratius determinat tamquam adoptionem, qua conformitas quaedam cum Filio naturali atque ius cum eodem bona Dei hereditandi conferatur.

Υιοθεσία (v. *Zor.*) derivatur ab *υιὸν θεοῦ τὴν ἐν ἡμῶν* Active significat actionem adoptandi, *passive* statum, condicionem, dignitatem filii adoptati. Triplex apud Paulum (Rom 8 s) occurrit adoptio hominum a Deo facta et facienda: a) sensu *theocratico* populus Israel est filius Dei adoptivus, quem prae reliquis nationibus elegit, amavit, duxit; Rom 9, 4: « Israelitae, quorum adoptio est filiorum ». — Non obstante hac adoptione theocratica Israelitae habuerunt potius *spiritum servitutis* quam *adoptionis* (Rom 8, 15). Nam spiritus adoptionis intellegitur de adoptione b) sensu *dogmatico*, quo sensu « iusti, qui gratia sanctificante praediti, inhabitatione Spiritus Sancti donati, naturae divinae participes facti sunt, vocantur et sunt filii Dei atque inde heredes » (*Zor.*). — *Consummatur* haec adoptio donis gloriae, inter quae est etiam gloriosa resurrectio cor-

¹ *Knabenbauer* in Mt 6, 9 ss; *Herm. Cladder* S. J., In der Schule des Evangeliums II ^{3/4} (Freiburg i. Br. 1918) Betrachtungen 4 13 15 17. — Etiam *Harnack*, Wesen des Christentums, 4. Vorlesung, aliique Protestantess pulchre disserunt de Christo, Deum tamquam patrem annuntiantem, sed alia religioni christianae non minus essentialia omittunt.

porum; quare c) hoc sensu *plenissimo* Rom 8, 23 dicimur intra nos gemere, « adoptionem filiorum Dei *expectantes*, redemptionem corporis nostri »¹.

Κληρονομία (v. *Zor.* et *Lagrange* in Rom 8, 17) proprie est *hereditas*, patrimonium; sed in Scriptura saepe induit sensum paulo modificatum, significans « id, quod divinitus alicui perpetuo *possidendum* vel fruendum assignatur aut in futurum *possidendum* promittitur » (*Zor.*). In qua significatione idea patris morientis bonaque filii cedentis evanuit. Hic terminus potuit eo facilius de Deo sua bona largiente adhiberi, quod correspondens verbum *hebraicum* *יָרַשׁ* jarasch, duplicem habet sensum: « in *possessionem* venire » et « *hereditare* »; verba autem *graeca*, licet usu potissimum ad *hereditatem* exprimendam coarctata sint, vi vocis *generalio*rem significationem habent, cum *κληρος* generaliter sit sors.

427. Rom 8, 14—18. Exegetae quoad quaedam particularia dissentiunt (v. *Cornely* et *Lagrange*), v. g. quid singulis locis significet *πνεῦμα*. Sed cogitatio principalis manifesta est. Fideles, a morte, peccato, servitute legis et concupiscentiae per Christum liberati (c. 5—7) novaeque vita per *πνεῦμα* inhabitans dotati (8, 9), monentur, ne secundum carnem vivant, sed spiritu facinora corporis mortificent, ut vere vivant (8, 12 s). — 8, 14: « Quicumque enim *πνεύματι* [spiritu an Spiritu?] Dei aguntur, hi [soli] filii sunt Dei » (non formaliter *sunt*, sed *probantur* esse filii Dei eo, quod sequuntur ductum Spiritus). — 15: Ille spiritus, quem per Christum acceperunt, non est *πνεῦμα δουλείας*; quod olim habebant, quando timore servili Deum colebant (non dicuntur prius a Deo hunc spiritum servitutis *accepisse*; *πάλιν* coniungendum non est cum *ἐλάβετε*, sed cum *εἰς φόβον*, et sensus est: *εἰς τὸ πάλιν φοβείσθαι*, ut iterum, sicut ante conversionem vestram, timere debeatis). Qua christiani acceperunt *πνεῦμα υἰοθεσίας*, quod hic (secus ac Gal 4, 6) non videtur significare personam S. Spiritus, sed animum (*Gesinnung*) divinitus immissum eiusmodi (genetivus qualitatis), uti decet filios adoptivos erga patrem. Ex magno affectu filialis amoris clamant « Abba, Pater », atque hunc affectum a Deo acceperunt (*ἐλάβετε*). — 16: Ipse Spiritus Sanctus (hic distinguitur a spiritu nostro divinitus accepto) simul cum spiritu nostro (probabilius non intellegitur mera affectio, sicut v. 15, sed superior natura spiritualis divinitus infusa tamquam principium bonorum operum; v. *Lagr.* et *Prat* et n. 380, 5) testatur, quod sumus filii Dei. Hic non amplius

¹ De terminis mysteriorum hellenisticorum (*υἰοθεσία, σπέρμα θεοῦ*) v. O. *Faller* (Gregorianum 6 [1925] 426).

dicitur *υιοι*, sed *τέκνα*, quod vocabulum (a *τικτω* = pario, genero) insinuat hanc *υιοθεσιαν* esse plus quam relationem mere moralem sive iuridicam. — 17: « Si autem filii, et heredes [secundum ius romanum idem erat filio adoptivo ius hereditatis ac filio naturali], heredes quidem Dei [bonorum scilicet quae Deo, patri adoptanti, sunt propria], coheredes autem Christi. » Filii enim adoptivi sunt heredes cum Filio naturali, qui passione sua ipsis ius cohereditandi acquisivit et fratres suos praecessit, iam fruendo gloriosa hereditate. Qui coheredes eadem qua Unigenitus via ad possessionem hereditatis pervenient: « si tamen compatimur, ut et conglorificemur ». — 18: Celebratur magnitudo futuræ gloriae. — 19: Interim *ἡ κτίσις* (collective, omnes creaturae), quasi porrecto capite specularans (*ἀποκαραδοκία*), i. e. avidissime desiderans, exspectat externam revelationem (*τὴν ἀποκάλυψιν*) gloriosae filiationis, quae sola deest. — 29: Electos Deus « praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ». Filiatio gratuita consistit igitur in aliqua conformitate cum Filio naturali.

Gal 4, 4—7. Contextus. Hereditas secundum 3, 18 non est ex lege, sed ex promissione, quam Abraham accepit; 3, 22: quae aliquando implebitur ex fide Iesu Christi. 23 s: Antè hoc tempus custodiebamur sub lege sicut sub paedagogo. 26—29: Per fidem omnes sunt filii Dei, quia per baptismum Christum induerunt; sublata omni diversitate nationis, status, sexus, omnes sunt semen Abrahae. 4, 1—3: Heres parvulus nihil differt a servo; ita et nos eramus servientes. — Textus. 4, 4: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum », qui iam natura erat filius; — 5: « ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus ». Bona Abrahae et semini eius promissa communicantur cum iis, qui fide et baptismo Christum induunt. Hanc *υιοθεσιαν* fideles iam habent. — 6: « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. » Nonnulli intellegunt *ὅτι* = *δηλον ὅτι*: « Vos esse filios manifestum est ex hoc, quod Deus misit. » Alii, inter quos *Cornely*, explicant: « Quoniam estis filii ». Dicitur mitti ipse Spiritus Sanctus; haec vero missio non concipitur ut primo efficiens adoptionem, sed prout dat conscientiam adoptionis iam factae, sive prout eam manifestat, vel etiam prout divino sigillo eam roborat et est arra futuræ hereditatis (cf. Eph 1, 14). Concludit v. 7: « Itaque iam non est servus, sed filius; quod si filius, et heres per Deum. »

428. Eph. 1, 3—5: Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, in caritate praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. — 11: *ἐν ᾧ καὶ ἐκκληρώθημεν*, «ad cuius [Christi] etiam intimum consortium electi designatique sumus», vel: «in quo [sita est ratio, quod] facti sumus κληρος, hereditas Dei» (*Zor.*). — 14: «in quo [evangelio] et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus [*arra*] hereditatis nostrae». S. Spiritus est «*sigillum*, quo adoptio filiorum et ius hereditatis confirmatur, sicut signo annuli tabulis contractus impresso promissio vel donatio roboratur» (*Knabenb.*; de *arra* v. n. 270 a). Ulterius declaratur haec obsignatio facta «in redemptionem acquisitionis». Cum *περιποίησις* significet etiam id, quod sibi aliquis acquisivit, *peculium*, hic intellegitur populus, quem Deus in novo foedere sibi acquisivit, i. e. fideles, Ecclesia; *ἀπολύτρωσις* dicit integram ab omni malo liberationem, quae fiet per gloriosam resurrectionem totiusque creaturae glorificationem (*Zor.*). In hunc igitur finem (*εἰς*) fit ista obsignatio et datur *arra*, ex cuius valore concludere licet ad immensam magnitudinem promissae hereditatis. Tandem indicatur ultimus et summus finis huius doni et omnium operum Dei: «in laudem gloriae ipsius» (*Knabenb.*).

Col. 1, 12 s (v. *Tridentinum* s. 6 cap. 3 s [Dz 795 s]). Gratias agite Deo Patri, «qui idoneos vos fecit, ut possitis habere partem ex illa sorte, quae sanctis contingit». Quoniam κληρος saepe est sors *hereditatis* et Apostolus Deum hic vocat Patrem, aliquo modo *insinuatur*, ut *Tridentinum* dicit, translatio in statum *adoptionis*. Ad sanctos pertinent omnes fideles; sors consistit in bonis regni Dei; dicitur esse «in lumine», quia est participatio lucis divinae (cf. n. 270 e). — 13: «qui [Pater] eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae» (cf. *Tridentinum* de hac translatione). Ergo Pater eo, quod fideles per iustificationem transtulit in regnum Filii, in Ecclesiam militantem, idoneos eos fecit ad habendam partem sortis sanctorum in lumine (cf. *Knabenb.*).

429. 3. Apostoli Paulus, Petrus, Iacobus et praecipue **S. Ioannes** docent istam filiationem esse aliquid plus quam meram adoptionem, prout inter homines occurrit, quia per aliquam generationem sui generis efficitur. — Textus, inter quos eminent **1 Io 3, 9** (*σπέσμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει*), iam allati sunt in th. 13 (n. 380, 2); v. libros ibid. laudatos, insuper *Rademacher*,

Uebernatürliche Lebensordnung, 4. Kap., Die Gotteskindschaft und das Erbrecht auf die göttlichen Güter (p. 97 ss); v. *Har-nack*, Terminologie der Wiedergeburt (p. 103 s 108 ss).

430. III. Patres saepissime loquuntur de filiatione adoptiva sive de gratuita ex Deo regeneratione atque de eiusdem ad filiationem naturalem relatione necnon de iure hereditatis cum hac adoptione collato. — V. n. 273—281 et R ser. 359 s.

Tertullianus (R 302); — Clemens Alex. (R 407); — Cyprianus (*De dominica oratione*); — Novatianus (R 607); — Athanasius (n. 274; R 766 770 788); — Cyrillus Hier. (R 813); — Basilius (R 948); — Gregorius Nyss. (n. 275; R 1027); — Chrysostomus (n. 275; R 1171 1185 1187 1216 1228); — Ambrosius (R 1273); — Augustinus (n. 281; R 1433 1468 1777); — Cyrillus Alex. (n. 276; R 2106 2110); — Ps.-Dionysius (*De eccles. hierarch.* 2, 7); — Ioannes Dam. (n. 277).

431. IV. Theologi. Alexander Hal. et S. Bonaventura (n. 282). — **Thomas**, *S. th.* 3 q. 23, antequam a. 4 negat Christum esse filium adoptivum Dei, a. 1—3 de adoptione divina in genere tractat. Explicat a. 1 conceptum adoptionis per gratuitam admissionem ad hereditatem ostenditque, quae sit Dei hereditas et quo pacto divina ab humana discernatur adoptio. — a. 2: Adoptio, prout est effectus in creaturis, a tota Trinitate efficitur. — a. 3: Sola creatura rationalis a Deo potest adoptari, quia sola potest per gratiam et caritatem *assimilari Verbo secundum unitatem*, quam habet ad Patrem, et consequenter sola potest habere ius hereditatis aeternae. Filiatio igitur adoptiva est quaedam assimilatio ad filiationem naturalem, quae est ipsius exemplar.

432. V. Ratio. 1. **Explicatur natura huius adoptionis** secundum doctrinam S. Thomae. Aliquo sensu Deus est pater omnium creaturarum (*Thom.* 1. c. a. 3 ad 1); acceperunt enim ab ipso naturam aliquo modo similem naturae divinae. In variis creaturis distinguimus *tres gradus* huius similitudinis: per *esse*, per *vitam*, per *intellectualitatem*. Tertius gradus iam habet rationem *imaginis* (n. 415). Tamquam bonus pater *nutricius* (cf. n. 425) Deus omnibus viventibus providet (Ps 144, 15: «Oculi omnium . . .»), etiam peccatoribus (Mt 5, 45). Omnes creaturae assimilantur Filio naturali per suam *formam*, cuius causa exemplaris est Verbum mentale artificis divini, rationales creaturae insuper per suam *intellectualitatem* (a. 3). Haec vero similitudo *naturalis* cum Filio Dei non sufficit ad rationem verae adoptionis, quia non est gratuita assumptio ad parti-

cipanda ea bona, *quibus ipse Deus dives est*, in quantum scilicet se ipso fruitur visione et amore. *Gratia* autem hoc modo Filio Unigenito assimilatur (a. 1), id est etiam quoad unitatem, quam Verbum habet ad Patrem, quatenus scilicet Filio debentur bona paterna iure hereditatis (a. 3). Sed essentialiter differt haec filiatio a naturali generatione, qua Pater Filium Unigenitum gignit (a. 2 et 4)¹. — Verificatur definitio adoptionis: Homo est *persona extranea* relate ad ea bona, quae Deo, prout omnibus creaturis opponitur, sunt propria (a. 1 ad 1), neque ullum ius ad haec bona a natura habet. De solo *Christo* hoc non valet, quia ipse est secunda persona divina, Deo minime extranea². Homo in iustificatione a Deo libere et gratuito *assumitur in filium*, ut habeat ius ad nomen et praerogativas filii Dei (sensu analogo, quatenus comparatur cum Filio naturali), ad amorem et curam paternam, maxime vero ad *hereditatem* patris. Paterna bona nobis promissa consistunt in fruitione Dei per visionem et amorem, quibus bonis Deus ipse dives est (a. 1). Haec bona hereditabimus qua filii adoptivi, ac si filii naturales essemus, cum ipso Unigenito Patris, qui est primogenitus in multis fratribus (Rom 8, 29), cuius sumus coheredes (Rom 8, 17), cuius regnum participabimus (Rom 5, 17; Apc 3, 21; 22, 5).

Ut recuperarem amissam adoptionem, Filius Dei naturalis factus est homo. In ipso Pater posuit plenitudinem gratiae et donorum (Is 11, 1—3; Io 1, 14 16), ut nos inde haurire possimus ipsique efficiamur conformes (Rom 8, 29; 1 Cor 15, 49; Col 1, 12 s; Trid. s. 6 cap. 3 s). Intime consociamur et unimur cum Filio naturali (Io 15: vitis et palmites; Rom 11, 16—24: oliva et oleaster; 1 Cor 12, 27; 6, 15; Eph. 5, 30: caput et membra). Cum ipso patimur, morimur,

¹ M. Grabmann, *Idee des Lebens* p. 60 ss, cum Thoma et Scheeben (Natur und Gnade 85) pulchre ostendit, quomodo filiatio adoptiva sit «quaedam participata similitudo filiationis naturalis» (a. 3).

² Ergo gratia sanctificans in Christo nequit habere istum effectum formalem. Beraza (n. 826 obiect. 3) dicit adoptionem esse effectum formalem *secundarium* et absolute separabilem. Lugo (*De Incarn.* d. 31 s. 1; v. Villada n. 103 in fine) monet stricte loquendo adoptionem non venire formaliter a sola gratia, sed a gratia simul cum carentia unionis hypostaticae. — Aliqua forma utique non potest habere eum effectum formalem, cuius *suppositum deest*. Sic gratia sanctificans formaliter *delet peccatum* (v. schol. 2), sed suppositum sane est, ut peccatum delendum adsit; quare in Christo neque hunc effectum habet. Similiter nequit in Christo adoptionem efficere, quia deficit suppositum personae extraneae et capacis, quae adoptetur. Christi igitur naturae humanae gratia sanctificans confert formale consortium divinae naturae, qua collatione Christus homo constitueretur filius Dei adoptivus, nisi omnis adoptio in Filio naturali repugnaret. Consortium divinae naturae est effectus formalis *absolutus* gratiae sanctificantis; filiatio adoptiva et deletio peccati sunt effectus *hypothetici* eiusdem gratiae.

sepelimum, resurgimus, glorificamur (Rom 6, 4 ss; 8, 17; 1 Cor 15, 48; Eph 2, 5 etc.). Hinc Pater amorem, quo Filium naturalem diligit, ad filios adoptivos extendit (Io 17, 23: «Dilexisti eos, sicut et me dilexisti»; cf. *Ber.* 806 s) eosque nutrit «pane filiorum Dei» (*Vill.* n. 116; *Ber.* n. 809; cf. etiam *P. A. Dorsaz C. SS. R.*, Notre parenté avec les personnes divines (S.-Etienne 1921), praesertim p. 64 ss 192 ss.

433. Haec adoptio prae humana multas habet **praerogativas**: a) non fit ex ulla indigentia adoptantis, non ex defectu filii naturalis, neque ex spe ullius utilitatis, sicut inter homines moris est, sed fit ex purissima benevolentia et misericordia (*S. th.* 3, q. 23 a. 1 ad 2). Ergo excellentiore modo est gratuita. — b) Non supponit sicut humana adoptio idoneitatem adoptandi, i. e. similitudinem naturae et capacitatem hereditandi, sed eam efficit, supernaturaliter conferendo consortium paternae naturae eamque perfectionem, quae ad possidenda bona patris requiritur (a. 1). — c) Non est relatio rationis tantum neque denominatio extrinseca, neque ens mere morale et iuridicum, sed est relatio realis in filio, cui perfectionem physicam confert; neque vinculo mere morali, scil. affectu paterni amoris, supplet id, quo adoptio est inferior generatione naturali, h. e. realem communicationem paternae naturae; sed adoptando physice mutat naturam filii adoptivi, eam in supernaturalem Patris imaginem transmutando. Hac ex parte convenit cum filiatione *naturali*, a qua tamen eo differt, quod natura patris non substantialiter, sed *accidentaliter tantum* communicatur filio; nam novum esse, quod filio adoptivo confertur, non est ipsum substantiale esse Dei, sed aliquod esse accidentale, quo filius adoptivus specialiter particeps efficitur intellectualitatis naturae divinae. — d) Propter istam physicam assimilationem ad naturam divinam huic adoptioni recte dantur praedicata, quae de adoptione humana satis inepte dicerentur: Deus *gignit* hos filios (Iac 1, 18); ipsi sunt *ex Deo nati* (Io 1, 13); *semen Dei* in iis manet (1 Io 3, 9); sunt *nova creatura* (2 Cor 5, 17; Gal 6, 15; cf. *Thom* l. c. a. 2. — e) Quoad hereditatem habetur illud discrimen, ut non concedatur ius in *partem* bonorum patris, inter filios *distribuendorum*, sed in *integras et indivisas divitias* Patris caelestis, quae pro sua spiritualitate a multis indeminute possideri possunt simul cum Patre Filioque naturali (a. 1 ad 3).

434. 2. **Explicatur relatio adoptionis ad gratiam sanctificantem.** a) Adoptionem *aliquo modo formaliter* effici per gratiam immediate sequitur e *th.* 14; nam si Deus producit gra-

tiam sanctificantem et haec gratia formaliter confert consortium divinae naturae, eadem gratia constituimur aliquo modo filii Dei. — b) Gratiam autem esse causam formalem adoptionis ex se sufficientem sive adaequatam adoptionis neque requiri ad perfectam adoptionem aliquem novum favorem ab extrinseco gratiae additum, contra tres classes adversariorum sic probatur: *α) Contra Lessium*: Formale consortium divinae naturae formaliter habetur per gratiam creatam, non per Spiritum Sanctum inhabitantem (th. 14 n. 414). Ergo idem dicendum est de adoptione. — Hoc melius concordat cum modo loquendi concilii Tridentini (n. 424, 3; Scripturam et Patres v. *Villada* n. 108—110). — Fontes S. Spiritum potius exhibent ut causam *efficientem* adoptionis necnon ut eandem *manifestantem* et quasi *sigillo confirmantem* (cf. n. 427 s; Gal et Eph; v. etiam th. 16). — *β) Contra Scotum et Nominales*: Remissionem peccatorum necessario resultare ex gratia sanctificante absque novo favore v. *schol. 2*. — *γ) Contra Ripalda*: In conceptu adoptionis (sicut in conceptu generationis legitimae) videtur includi strictum ius ad hereditatem patris; hereditas autem, de qua agitur, secundum fontes est gloria caelestis. Ergo strictum ius actuale ad gloriam non adiungitur gratiae novo favore. Porro consortium divinae naturae ita explicavimus, ut quam maxime respiciat visionem beatificam detque talem eiusdem aptitudinem et exigentiam, qualis stricte postulet actualem visionis collationem, ubi primum impedimenta (status viae et reatus poenae) cessant (n. 417). — A fontibus gratia sanctificans exhibetur ut naturali quasi evolutione sese explicans in aeternam beatitudinem: Fons aquae salientis in vitam aeternam (Io 4, 14), semen gloriae, lignum vitae fructificans in vitam aeternam etc. (cf. n. 270 et *Ber.* n. 823). Ergo aliquo sensu ex gratia oritur etiam exigentia quaedam physica gloriae. — c) Consequenter ad ea, quae in *schol. 2* dicemus, statuimus in subiecto adoptionis capaci nexum *metaphysice necessarium* inter gratiam sanctificantem et adoptionem; metaphysice enim repugnare videtur Deum producere et conservare in anima donum, quo eadem ut imago supernaturalis intellectualitatem et sanctitatem naturae divinae exprimat atque hoc modo ex Deo quasi nascatur homo, neque simul hunc hominem in actu secundo acceptari divinitus ad ea omnia, quae in conceptu adoptionis continentur, et speciatim etiam ad plenum et strictum ius hereditatis.

SCHOLIA DE ALIIS EFFECTIBUS FORMALIBUS GRATIAE
SANCTIFICANTIS

435. Schol. 1. Enumerantur effectus formales, quos Villada (n. 23—25) recenset tamquam *partes adaequati effectus* participationis naturae divinae: a) Anima elevatur ad ordinem supernaturalem per novum esse supernaturale; b) accipit formam ordinis vere divini; c) efficitur Deo simpliciter grata, placita et amabilis; d) radicaliter disposita ad operandum intrinsece et permanentiter in ordine supernaturali; e) recta seu iusta et Deo similis moribus ac virtutibus; f) mundata ab omni gravi saltem peccato; g) supernaturaliter pulchra (v. textus *Ps-Dionysii, Cyrilli Al., Basilii, Thomae, Bonaventurae, Vegae* atque comparisonem gratiae ad lucem, quam Villada cum Scheeben et Hurter explicat; de pulchritudine effectu gratiae sanctificantis agit etiam *J. Bittremieux*: *Ephem. Theol. Lovan.* 5 [1928] 426—436). — Specialibus thesibus Villada probat: Per gratiam efficitur formaliter a) sancti seu immunes a peccato mortali; b) iusti et interne renovati; c) amici Dei; d) filii Dei adoptivi et viva membra Christi; e) templum vivum S. Spiritus in nobis inhabitantis.

436. Schol. 2. De relatione inter gratiam et remissionem peccatorum.

P 329—335. — Villada 26—55. — Ber. 854—877. — Mazz 966—994. — Schiff. 177—179.

In iustificatione delentur peccata (th. 12) et infunditur gratia habitualis (th. 13). Quaeritur nunc, quomodo haec duo inter se habeant.

I. Possuntne peccata remitti sine infusione gratiae? Nonnulli Thomistae, Caietanus, Salmanticenses, Medina etc. (v. Ber. 873), hoc *absolute negant*. Sed rectius cum Scotistis et plerisque Iesuitis respondetur: 1. Possunt remitti sine gratia infusa in aliis ordinibus salutis. a) In ordine *naturae purae* satis esset, ut Deus desineret esse aversus ab homine, qui peccato retractato et divinitus condonato sine dono infuso denuo efficeretur recte dispositus ad finem ultimum naturalem. — b) Potuit Deus *ordinem supernaturalem condicionate* instituere, ita scil. ut peccatori poenitenti remitteret quidem peccatum, sed gratiam non redderet. Sic peccator poenitens esset reductus ad ordinem naturalem atque ad eiusdem finem ultimum recte dispositus, quia Deus non amplius exigeret ab eo, ut ad finem supernaturalem per gratiam ordinaretur. — c) Tandem potuit Deus propter peccatum dona supernaturalia pro hac quidem vita definitive tollere, sed peccatori poenitenti

peccatum condonare et insuper *in altera vita beatitudinem supernaturalem* per modum puri doni sine merito concedere¹. — 2. In nostro ordine non potest remitti peccatum mortale sine infusione gratiae. Nam cum peccatum habituale sit *deordinatio* peccatoris relate ad Deum finem ultimum, remissio peccati necessario importat *sublationem* huius deordinationis. In ordine *supernaturali* essentialis deordinatio ad Deum peccato actuali inducta est aversio habitualis peccatoris a Deo, *fine ultimo supernaturali*, sive voluntaria *privatio gratiae sanctificantis* (P IX pr. 28; cf. III pr. 27). Sed in nostro ordine *Deus numquam cessat exigere* ab homine statum supernaturalis illius elevationis, in quo ipsum sive personaliter sive originaliter posuerat; quare ista deordinatio nullo alio modo tollitur nisi restitutione gratiae sanctificantis.

Quae S. Thomas S. *th.* 1, 2 q. 113 a. 2 habet, omnino vera sunt in hoc ordine, in quo *pax Dei* consistit in dilectione, qua ipse nos diligit, et huius dilectionis effectus est gratia habitualis: « Et ideo non posset intellegi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae. » In ordine autem naturali pax Dei non importaret dilectionem supernaturalem; Dei autem naturalis in nos dilectio non produceret gratiam supernaturalem.

437. II. Potestne gratia infundi sine remissione peccati?

1. In hoc ordine non potest. Haec est clara doctrina Tridentini, s. 5 can. 5 (Dz 792): Per gratiam, quae in baptisate confertur, reatus originalis peccati remittitur; s. 6 cap. 7 (Dz 799 s): Causa formalis iustificationis est iustitia inhaerens. In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum accipit homo dona inhaerentia. Neque ante Tridentinum a catholicis negatum erat infusionem gratiae de facto coniungi cum remissione peccatorum.

438. 2. Gratia ex interna sua natura ideoque physica saltem necessitate expellit peccatum, non ex sola Dei ordinatione, quae ut novus favor externus ei addatur. Opposita Scotistarum et Nominalium doctrina minus bene cum *Tridentino* cohaeret, quod s. 6 cap. 7 (Dz 799) omnes iustificationis causas satis philosophice describit atque iustitiam inhaerentem appellat unicam causam formalem iustificationis. Iam-

¹ Deus donis gratiae prorsus indebitis pro suo beneplacito potest quaslibet condiciones honestas apponere, v. g. potest eorum collationem *propter peccatum parentis* posteris denegare vel etiam *propter veniale peccatum* personale hominem ad ordinem naturalem reducere.

vero iustificatio imprimis dicit expulsionem iniustitiae sive peccati. Ergo haec expulsio causam formalem habet iustitiam inhaerentem, i. e. saltem principaliter gratiam sanctificantem. Item s. 6 cap. 4 (Dz 796) iustificatio impii exhibetur tamquam *translatio ab uno statu ad contrarium*; atqui eiusmodi translatio fit collatione alicuius novae formae, quae, cum novum statum formaliter producit, simul pristinum formaliter excludit (sicut *lux expellit tenebras*). Eodem modo dicitur cap. 7 (Dz 799 init.): «Per voluntariam susceptionem gratiae et donorum... homo ex *iniusto* fit *iustus* et ex *inimico* *amicus*.» Itaque forma adveniens statum contrarium formaliter excludit. — Eaedem oppositiones habentur in Scriptura: Eph 5, 8: «Eratis enim aliquando *tenebrae*, nunc autem *lux* in Domino»; Rom 5, 10: inimici reconciliati; 5, 21; 6, 3ss: mors et vita, sepultura et resurrectio. — Theologi adversam sententiam magis magisque dereliquerunt. — Ratio: a) Gratia ex interna sua natura hominem per participationem divinae naturae constituit *filium* Dei et consequenter *heredem* regni caelestis (n. 434); ergo etiam ex sua natura expellit id, quod hominem *privat* *filiatione et iure hereditatis* quodque ipsum facit reum aeternae poenae. — b) Homo formaliter per gratiam recte ad finem ultimum supernaturalem ordinatur sive *convertitur in Deum* ut finem supernaturalem. Ergo per gratiam quoque formaliter tollitur id, quo homo ab hoc fine *aversus* est.

Gratia non praecise propter suam *physicam* entitatem, sed potius propter *moralem suam dignitatem* pugnat cum peccato. Ex fontibus vero concludere debemus hanc moralem dignitatem non ex speciali Dei ordinatione novoque favore gratiae externe adnecti, sed e contra *necessario ex ea interna perfectione physica fluere*, quae gratiae tamquam supernaturali assimilationi ad naturam divinam propria sit. Quomodo accidens creatum tantae possit esse perfectionis, manet utique nobis mysteriosum. Sed sane *Dei dignitas ac libertas* ex hoc nihil capit detrimenti. Deus enim libere infundit tale ens, quod hominem sibi reddat supernaturaliter amabilem, atque consequenter sibi debet, ut hunc hominem amicabiliter amet desinatque eum odisse tamquam inimicum.

439. 3. Melius asserimus etiam metaphysicam repugnantiam infusionis gratiae sine remissione peccati mortalis. Sic *Thomistae*, *Vazquez*, *Silvester Maurus*, *Mazzella* (n. 991), *Tepe* (n. 303), *Pesch* (335), *Schiffini* (178), *J. Muncunill S. J.* (Tract. de grat. Christi [Barcinone 1927] 680). E contra *Suarez* (l. 7 c. 12 et 19 s), *Medina*, *Curiel*, *Gormaz*, *Arriaga*, *Tanner*, *Oviedo*, *Mayr*, *Mendive* (n. 306 317), *Villada* (48), *Beraza* (862—872)

non statuunt nisi physicam et connaturalem impossibilitatem, quae de absoluta Dei potentia superari possit. Secundum hos theologos gratia *radicaliter* quidem et *exigitive* ius ad amicitiam, filiationem et hereditatem Dei continet; ius vero *actuale* ex aliqua *promissione* divina procedit, quae non essentialiter et absolute, sed *connaturaliter tantum* et *exigitive* necatur cum gratia. — Sed a) secundum sententiam valde probabilem peccatum habituale formaliter consistit in *privatione gratiae* sanctificantis (cf. n. 436, 2). Haec privatio quae talis potest quidem aliter tolli quam infusione gratiae, quia per voluntatem Dei in simplicem carentiam mutari potest (sicut *nigredo* potest alio modo *expelli* quam educatione *albedinis*); sed *vice versa* gratia non potest ullo modo infundi, quin metaphysica necessitate tollatur peccatum (sicut *albedo* non potest *conferri*, quin cesset *nigredo*)¹. — b) Fontibus videmur plenius satisfacere, si gratiam et peccatum concipimus tamquam formas adeo *contrarias*, ut *ipso conceptu* formaliter inter se excludant. Accommodari potest 2 Cor 6, 14: «Quae participatio *iustitiae* cum *iniquitate*? quae societas *luci* ad *tenebras*?» — c) Probari nequit impossibile esse ens physicum creatum, quod metaphysica necessitate eam importet dignitatem moralem, cum qua peccatum mortale absolute non possit simul esse in anima.

Ius ad divinam amicitiam, quod supernaturalis participatio divinae naturae in actu primo confert, non expleri in actu secundo, sane multo magis repugnare videtur, quam non satisfieri ei exigentiae naturali, quam *ignis* habet ad comburendum (cf. *Ber.* 367). Ex *amabilitate* in actu primo, quam gratia etiam secundum adversarios metaphysica necessitate confert, eadem necessitate sequi videtur *actualis amor* amicitiae². — Si homo iustus grave peccatum actuale committit, Deus absolute posset cedere iuri suo avertendi se ab ipso eumque privandi gratia sanctificante, possetque *amplius conservare illud accidens* supernaturale gratiae. Sed Deus, si hoc faceret, eo ipso *peccatum actuale remitteret* et *impediret*, quominus iste homo contraheret *peccatum habituale*. Sic autem non essent simul in anima gratia sanctificans et peccatum habituale.

¹ Adversarii utique aliam de essentia peccati habitualis habent sententiam (*Ber.* n. 864: «debitum habitualiter permanens sustinendi aversionem divinam»). Sed non est huius loci dirimere istam controversiam.

² Secundum *Ber.* n. 869 fin. non amor amicitiae *absoluta necessitate* sequitur gratiam, sed solum *amor quidam supernaturalis complacentiae* erga hominem physice et supernaturaliter participem naturae divinae, qui amor absolute coniungi possit cum odio, quo Deus eundem hominem qua peccatorem odit.

440. Schol. 3. Amicitia inter Deum et hominem, quae est « *amor mutuus benevolentiae efficax et manifestus* », formaliter oritur ex gratia sanctificante, quatenus haec nos Deo reddit amicaliter amabiles, simulque ex caritate infusa, qua ex nostra parte apti reddimur ad Deum amicaliter redamandum; v. P VIII pr. 43 praesertim n. 589; *Vill.* n. 89—102; *Ber.* n. 829—841 (cf. etiam n. 453 c). — De relatione animae iustae ad Deum ut **sponsae** ad sponsum v. P *ibid.* n. 587 s; *Villada* n. 121—124.

441. Schol. 4. Scholasticorum differentias doctrinales quoad effectus formales gratiae sanctificantis Scheeben, *Dogm.* II n. 807 s, sic explicat: Thomas maxime effert *naturae creatae exaltationem*, quam confert *nativitas ex Deo*. Eiusmodi filiatio, in participatione divinae naturae fundata, ad eandem cum Deo generis nobilitatem elevat (*Gottebenbürtigkeit*). — Bonaventura primario respicit *personae dignitatem*, quam anima in *sponsam* Dei assumpta induit; ex qua dignitate iura adoptionis derivat; interim vero naturae deiformitatem magis considerat tamquam mundum nuptialem (*Brautschmuck*); opera vitae supernaturalis ei sunt quasi fructus ex hoc matrimonio spirituali generati. — Scotus, relationibus filii et sponsae neglectis, statum gratiae potius ut meram *amicitiam* concipit, adoptionem autem cum iure hereditatis tamquam annexum quoddam externum addit. Sic internus valor vigorque gratiae minuitur; actualis caritas paene magis gratificans apparet quam donum habituale; quare iustitiae inhaerenti *favor externus* sive *acceptatio divina* ut elementum magni momenti addi debuit. — Paulatim gratia sanctificans ad *merum signum* plus minusve arbitrarium factae adoptionis reducebatur. Quae forma doctrinae degeneratae praesertim in Occamistis cernitur. — Protestantes tandem internam renovationem hominis penitus e doctrina iustificationis eliminaverunt sola Dei imputatione externa retenta (cf. n. 364).

Thesis 16. In iustificatione donum increatum datur Spiritus Sanctus, in anima tamquam in suo templo inhabitans. Haec nova relatio, cuius fundamentum est gratia creata, praecipue explicatur per essentialium ordinationem gratiae in Deum, uti est in se, tamquam obiectum cognitionis et amoris supernaturalis animae intime praesentem.

442. P II pr. 89 s. — *Villada*, De effectibus formalibus gratiae habitualis n. 125—138. — *Ber.* 878—909. — *Mazz.* 1025—1066. — *Franzelin*, De Deo trino th. 43 s. — *Scheeben*, *Dogm.* II n. 832—884. — *J.-B. Terrien*, La grâce et la gloire I l. 4—6. — *Ant. Scholz*, De inhabitatione Sp. S. (Wirceburgi 1854). — *P. Oberdoerffer*, De inhabitatione Sp. S. in animabus iustorum (Tornaci 1890). — *B. Froget* O. P., De l'habitation du S. Esprit... d'après la doctrine de S. Thomas (Paris 1898; etiam in *RevThom* 1896—98). — *G. Pletl*, Die Beziehungen der drei göttl. Personen unter sich u. zu den Werken Gottes III (*Kath.* 80 [1900] II 513—526). — *P. A. Dorsaz*

C. SS. R., Notre parenté avec les personnes divines (1921). — A. Gardeil O. P., Comment se réalise l'habitation de Dieu dans les âmes justes (*Rev Thom* 28 [1923] 3—42 129—141 238—260; item in libro: La structure de l'âme et l'expérience mystique II [1927] 6—87). — A. Tanquerey S. S., L'habitation du S.-Esprit en nous et la vie intérieure (*Rev. d'Asc. et de Myst.* 3 [1922] 3—19). — St. J. Koli-pinski, Le Don de l'Esprit Saint (Fribourg 1924) 18—29. — E. Delaye S. J., La vie de la grâce (*Nouv. Rev. théol.* 53 [1926] 561—578). — Paul Galtier S. J., L'habitation en nous des trois Personnes (Paris 1928).

St. qu. 1. Nexus. In iustificatione dantur dona *creata* (th. 13 ss) et donum *increatedum*. De hac gratia increata eiusque ad gratias creatas habitudine in tractatu de gratia agendum est, licet ipsa *missio* divinarum personarum et quaestio, utrum inhabitatio sit *proprium* an *appropriatio*, spectet ad tractatum de Deo Trino.

443. 2. Sensus explicatione sub *argumento rationis* danda magis apparebit. Interim haec: a) Fontibus non satisfacit, si sola *creata* gratiae dona dicantur in iustificatione infundi. *Cum* his coniungitur et aliquo modo in thesi explicando *per ipsa* datur datumque possidetur donum increatum Spiritus Sanctus, secundum sententiam communissimam *per appropriationem* tantum; ergo proprie loquendo *tota Trinitas* dono se dat. Dicitur autem in fontibus S. Spiritus in anima iusta tamquam in templo suo inhabitare, quia ibidem permanentem ut in propria domo fixit sedem et ut in suo sanctuario vult coli. — b) Haec inhabitatio confert aliquod consortium divinae naturae *terminativum* praeter illud *formale*, quod gratiae sanctificanti qua qualitati absolutae debetur (cf. n. 404 b. et 414). Terminus huius relationis est *Deus*, cuius efficimur participes per intimam quandam *unionem*, *possessionem*, *fruitionem*. Eiusmodi nova et realis animae ad Deum relatio non potest oriri sine reali aliqua *mutatione* animae, qua mutatione confertur animae absolutum fundamentum huius relationis. Hoc autem fundamentum est gratia *creata*, scil. dona habitualia in iustificatione infusa, imprimis *gratia sanctificans* et *caritas*. — c) Cum inhabitatio dicat aliquam specialem praesentiam, praecipua difficultas est in explicando, quomodo Deus immensus et ubique praesens in anima iusta *specialius praesens* evadat. Non est opus, ut hanc specialem praesentiam *exclusive uno modo determinato* explicemus. Quare aliis momentis secundariis non repudiatis praecipue tamen attendimus ad essentialem ordinationem sive internam

tendentiam finalem, quam gratia sanctificans tamquam ultimum principium vitae supernaturalis et simul cum ea proxima huius vitae principia, scil. virtutes infusae, habent in Deum, uti est in se, quatenus in anima iusta non solum sicut in omnibus rebus per suam immensitatem adest, sed eidem speciali modo intime praesens constituitur tamquam obiectum cognitionis et amoris supernaturalis, aliquando perfecte et consummate per visionem beatificam fruendum, nunc iam ad imperfectam et inchoatam fruitionem, sive actualem, sive saltem habitualem, sese donans.

444. 3. Sententiae. Nemo catholicus inhabitationem prorsus negat. Sed in eius explicatione sunt multae et magnae differentiae. a) *Non omnes admittunt in omni iustificatione dari sive mitti Spiritum Sanctum.* Petavius (*De Trinitate* l. 8 c. 7) cum nonnullis aliis negat in iustis *Veteris Testamenti* ipsum habitasse *ὄρθωδῶς* sive *κατ' ὀρθότατον* (substantialiter). Joh. H. Oswald, *Die dogm. Lehre von den Sakramenten der kath. Kirche* I⁵ (Münster 1894) 353 s, et Karl Adam in *ThQS* (Tübingen) 101 (1920) 408, opinantur per *baptismum* non conferri nisi *dynamicam* praesentiam S. Spiritus et *substantialem* inhabitationem reservari sacramento *confirmationis*. Alii nolunt loqui de nova S. Spiritus missione in *iustificatione secunda* et praecipue, quando agitur de *augmento gratiae mere intensivo* (Bonaventura, Vazquez). — b) In explicanda *relatione* doni increati *ad dona creata* Ripalda, Viva, Vazquez non satis servant rationem *specialis doni increati*. Alii e converso *nimis separant* donum increatum a creatis, non solum Magister, qui donum creatum caritatis negat (v. n. 371 a), et Gregorius Ariminensis cum Nominalistis, qui censent veri nominis inhabitationem haberi posse per solam *externam acceptionem* Dei, sed etiam Lessius, Petavius, Thomassinus ac quadamtenus Scheeben, qui inhabitationem concipiunt donum *fere independens a gratia creata*. — c) Nonnulli Mystici non satis servant *substantialem diversitatem* animae ab eius hospite divino. — d) Quidam theologi minus bene ex aliquo fonte, qui secundarius videtur, scil. *ex exigentiis amicitiae*, totam vel saltem principalem explicationem derivant (Suarez, Salmanticenses, Billuart, Froget, alii). — e) Nos sequimur S. Thomam, in cuius explicatione quaedam affereamus, quae *Gardeil* disserit (*RevThom* 28 [1923]), quin hunc auctorem in omnibus sequamur.

4. **Qualificatio.** *Aliqua* inhabitatio: de fide; — *in omnibus iustis* et donum aliquomodo *distinguendum a donis creatis*: theologice certum; — *reliqua*: probabilior explicatio.

445. Prob. I. Ecclesia. *Factum* inhabitationis saepius enuntiatur vel supponitur. Symbolum *Epiphanii* (Dz 13): *καὶ εἰς τὸ ἄγιον πνεῦμα πιστεύομεν, . . . οἰκοῦν ἐν ἁγίοις.* — Decretum pro Armenis (Dz 697): In *confirmatione* datur Spiritus Sanctus ad robur. — Tridentinum s. 6 cap. 7 (Dz 799): «... misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat *signans et ungens Spiritu* promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae». — s. 14 cap. 4 (Dz 898): Docet S. Synodus attritionem «donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, *non adhuc* quidem *inhabitantis*, sed tantum *moventis*». — cap. 8 (Dz 904): Gravius peccant, «qui semel a peccati et daemonis servitute liberati et *accepto Spiritus Sancti* [genetivus epexegeticus?] *dono*, scientes *templum Dei* violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint». — s. 23 can. 3 (Dz 964): Per sacram *ordinationem* datur S. Spiritus. — Prop. Baii 13 et 15 (Dz 1013 1015): «... per Spiritum adoptionis *inhabitantem* corda filiorum Dei»; «... gratiam et *inhabitantem* Spiritum Sanctum».

446. Leo XIII in encyclica «*Divinum illud munus*» de d. 9 Maii 1897 (*Acta S. Sedis* 29, 644—658) nonnullis de mysterio Trinitatis praemissis exponit virtutem, quam S. Spiritus in Christo homine, Ecclesia, animis singulorum manifestet. Quoad ultimum 1. *Novum cum Vetere Testamento* comparat: «*Certum* quidem est in ipsis etiam hominibus iustis, qui ante Christum fuerunt, insedissee per gratiam Spiritum Sanctum... Verum si et illi in filiis Dei numerabantur, condicione tamen perinde erant ac servi (Gal 4, 1s)... Communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est *copiosior*, propemodum ut arram pretio vincit res pacta atque ut imagini longe praestat veritas (Io 7, 39).» — 2. Dein recenset *effectus et media gratiae* divinae: «Eloqui nemo potest, quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae Patres et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur. Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur *quasi propria* Spiritui Sancto (Rom 8, 15s)... Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma (Io 3, 7)... Uberiusque per sacram confirmationem ad constantiam et robur christianae vitae sese dono dat idem Spiritus.» — 3. Iam incipit Pontifex *asserere et explicare donum increatum*: «Sese, inquam, dono dat Spiritus Sanctus (Rom 5, 5). Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorundem est auctor atque etiam *munus* ipse est supremum, qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur »altissimi donum Dei«.

Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea, quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt, Deum videlicet adesse *rebus omnibus* in eisque esse *per potentiam . . . per praesentiam . . . , per essentiam . . .* (Thom. S. th. 1 q. 8 a. 3). At vero *in homine* est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius *cognoscitur* ab ipso et *diligitur . . .* Praeterea Deus *ex gratia* insidet animae iustae tamquam *in templo*, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam *amico amico* possit benevolentii maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruatur. Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine inhabitatio dicitur, condicione tantum seu statu ab ea discrepans, qua *caelites* Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti *totius Trinitatis* numine . . . (Io 14, 23), attamen de *Spiritu Sancto* tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem . . . *caritatis*, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret eundem Spiritum nominari *Sanctum . . .* Quapropter Apostolus, quum iustos appellat templum Dei, tales . . . appellat . . . Spiritus Sancti . . . (1 Cor 6, 19).» — 4. «Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur» (l. c. p. 651—653). Quibus enumerationis *practicas* Summus Pontifex *sequelas* adiungit. Speciatim ratione inhabitationis affert monita Apostoli: Eph 4, 30 et 1 Cor 3, 16 s. «Indigna omnia defugere» et «omni virtutum laude christianus homo nitere debet, ut hospiti tam magno tamque benigno placeat, castimonia imprimis et sanctitudine; casta enim et sancta addecet templum» (p. 656). — Cf. *Cavallera*, Thesaurus n. 543 ss.

447. Liturgia. In *hymnis*: «Altissimi donum Dei» et «Dulces hospes animae». — *Fer. 4 post Pentec.* oratio altera: «. . . ut Spiritus Sanctus adveniens templum nos gloriae suae dignanter inhabitando perficiat». — *Sabb. post Pentec.* Introitus: «Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum eius in nobis.» Oratio prima: «Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde:» — Cf. ritum confirmationis et ordinationis.

448. II. Scriptura. Dicitur Spiritus Sanctus dari nobis, idque in cordibus; in quibus manet sive ut in suo templo inhabitat, ut simus templum Dei. Etiam Pater et Filius veniunt et inhabitant.

1. **S. Paulus. Rom 5, 5** (explicationem v. n. 382): Spiritus Sanctus *datus* est nobis, quo dono Deus suam erga nos caritatem «effudit *in cordibus* nostris»; ergo interne datus est. — **8, 8—11**: «Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. . . . Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a

mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.» — 8, 16: «Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei» (cf. n. 427). — Gal 4, 6 (ibid.) — 1 Thess 4, 8: Deus «etiam dedit Spiritum suum Sanctum in vos» (alia lectio: «in nos»). — **1 Cor 3, 16 s:** «Nescitis, quia *templum Dei* estis et *Spiritus Dei habitat in vobis?* . . . Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.» — 6, 15: «Corpora vestra membra sunt Christi.» — **6, 19:** «An nescitis, quoniam membra vestra (*τὸ σῶμα* vel *τὰ σῶματα ὑμῶν*) templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est (*τοῦ ἐν ὑμῖν ἄγιον πνεύματος*), quem habetis a Deo?» — Cf. 2 Cor 6, 16. — 2 Tim 1, 14: «Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis (*τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν*).» — Spiritus datus ut *arra* (n. 270 a), ut *primitiae* (b), ut *sigillum* (380, 5; 428), ut *unguentum* (2 Cor 1, 21; cf. 1 Io 2, 20 27 s et *Trid.* s. 6 cap. 7 [Dz 799]), ut *potus* (1 Cor 12, 13; Eph 5, 18)¹. — Hinc secundum S. Paulum ipse Spiritus Sanctus datur et inhabitat (Rom 5, 5; 8, 11 etc.), et quidem in omnibus et solis iustis (in oppositione ad eos, qui Deo placere non possunt: Rom 8, 8 s).

2. S. Ioannes. Io 14, 16 s: «Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat [sit] vobiscum in aeternum.» *Παράκλητος* (*Sachwalter, Anwalt, Beistand*) «significat eum, qui ad auxilium vocatur, patrocinium alicuius rei suscipit, adiutor, defensor existit, patronus, . . . proin admonitorem, praeceptorem, solacium, subsidium» 17: *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας . . . παρ' ὑμῶν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται.* «Manet apud eos spirituali quadam conversatione, protectione; neque hoc solum, sed quod maius est *et in vobis erit*, non solum gratiam et dona vobis infundet, verum ipse in vobis inhabitabit. . . . Habebunt itaque secum intime coniunctum potentissimum opitulatorem; ergo habent rationem validam: non turbetur cor vestrum» (*Knabenbauer*). — Hic agi de aliquo dono, quod spectet ad gratiam *gratum facientem*, non de mero charismate apostolico, elucet ex v. 15: «Si *diligitis* me, mandata mea servate» etc. (sed in contextu non est sermo de illa missione, quae in *prima* iustificatione fit). — **Io 14, 23:** «Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem (*μονήν*) apud eum faciemus.»

¹ Eph 2, 21 s «habitaculum Dei in Spiritu» est *coetus* fidelium. — Eph 3, 17 et Gal 2, 20 inhabitatio Christi *moralis sensu* intelligenda est, scil. per imitationem virtutum Christi.

Explicat *Knabenbauer*: « *Venire* dicit invisere amicorum more, assistere, opem ferre; neque hoc solum, sed *mansionem facere*, inhabitare in eo et stabile ibi sibi condere domicilium. Pater et Filius igitur simul cum Spiritu Sancto (uti iam in v. 17) in anima singulari ratione habitabunt... En quomodo non relinquuntur... Pro praesentia eius corporali habebunt praeclarum supplementum in totius SS. Trinitatis ope, praesentia, inhabitatione supernaturali. »

449. Secundum J. B. Umberg S. J., *Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung* (Freiburg 1920), saepius innuitur plenior confirmationem atque inhabitationem S. Spiritus sacramento confirmationis effici: 1 Cor 12, 13; Gal. 4, 6; Eph 1, 13 s (p. 101—105); baptismo numquam expresse attribuitur communicatio Spiritus; sed eam iam inde a susceptione baptismi incipere ex eo probatur, quod possessio Spiritus Sancti declaratur ad salutem absolute necessaria, maxime Rom 8, 9—17: « Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius » (9 b) etc. Ergo Spiritus iam in baptismo datur, sed plenius in confirmatione (p. 107—114). Quod generali indoli confirmationis ut sacramenti baptismum perficientis bene congruit. Porro sententia moraliter communis theologorum prohibet, ne opinio ab *Oswald* prolata recipiatur. — Quare textus, quibus iustificatis promittitur *future* datio Spiritus Sancti, explicandi sunt de augmento iustitiae vel de novo modo inhabitationis vel fortasse aliquando de glorificatione.

450. III. **Patres** clare docent ipsum Spiritum Sanctum esse donum increatum. De quo dono praesertim **Graeci** tam copiose agunt, ut difficiliter probetur eosdem insuper admisisse creatam gratiae dona (cf. n. 273 ss et monographias n. 247 laudatas; porro R ser. 357 cum 19 textibus et *Petavium*, De Trin. 8, 4 s).

Epistula Barnabae 16, 8 (R 36): Accepta remissione peccatorum facti sumus novi, iterum creati; διὸ ἐν τῷ κατοικητηρίῳ ἡμῶν ἀληθῶς ὁ θεὸς κατοικεῖ ἐν ἡμῖν. — Ignatius, *Ad Eph.* 9, 1 s (n. 273; R 40). — Hermas, *Sim.* 5, 6, 7 (R 89 fin.). — Tatianus, *Adv. Graecos* 13 15 (R 158 s): Spiritus Dei non omnibus inest, sed in iuste conversantibus residet, conglutinatus animae. De reliquo oportet, ut iungamus animam Spiritui Sancto et coniunctionem ad Deum efficiamus (*σὺζῦγιαν*, quae vox maxime adhibetur de coniunctione maritali). Si homo quasi templum est, in ipso commorari vult Deus per legatum Spiritum. — Irenaeus, *Adv. haer.* 3, 17, 1; 5, 6, 1 s (R 219 251; cf. n. 273): Spiritus Sanctus requiescit in hominibus, habitat in plasmate Dei, in templo Dei. — Aphraates, *Demonstrationes* 6, 14 (R 683): A baptismo accipimus Spiritum Christi;

eadem hora descendit, aquis incubat, eumque induunt, qui baptizantur. — Athanasius, *Adv. Arianos* Or. 3, 24s; *Ad Serapionem* Epist. 1, 24 (R 770 780). — Cyrillus Hier., *Catech.* 3, 14 (R 813). — Basilius, *De Spir.* S. 9, 22 (R 944, cf. n. 275). — Didymus Alex., *De Trin.* 2, 6, 7 (R 1074): Omnes tres personae in nobis habitant in unitate divinitatis. — Chrysostomus, *In Rom* 13, 8 (R 1186): Tota Trinitas. — **Cyrillus Alex.**, *In Io* 1, 9 (R 2107); 9 (R 2114)¹.

E Latinis v. Novatianum, *De Trin.* 29 (R 607), — Hilarium, *De Trin.* 8, 21 (R 872) — et praesertim **S. Augustinum**, *De Trin.* l. 15 c. 17—19 n. 31—37 (ML 42, 1082 ss).

« Spiritus itaque Sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere et ipsum in nobis; hoc autem facit dilectio... Deus igitur Spiritus Sanctus, qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est » (17, 31). « Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus,

¹ De S. Cyrillo v. Weigl p. 184—203, « Die ungeschaffene Gnade und Heiligung »: « Abschluss und Gipfel aller Heilsmitteilung pneumatischer Art »; « ein Kommen und Wohnen Gottes auf substantiale, reale Weise, d. h. der Hl. Geist wie die ganze trinitarische Gottheit ist in uns nicht etwa bloss ihrer Wirksamkeit und Kraft, sondern ihrer ganzen Substanz nach gegenwärtig » (p. 184). « Mit Recht sagt Petavius...: »Cyrillus vero passim et omnibus fere in libris idem testatur« (185). « Die Einigung, welche durch die Einwohnung erfolgt, ist keine physische wie in der Inkarnation... In Christus haben wir eine *ἔνωσις φυσική*, beim begnadeten Menschen eine *ἔνωσις σχετική* » (196). « Gleichwohl ist dies Einwohnen kein bloss äusseres Wechselverhältnis. Abgesehen von der Inkarnation haben wir hier die denkbar innigste Vereinigung und Gemeinschaft der Gottheit mit einer Kreatur » (198). « Diese Verbindung ist des näheren auch als gnadenvolle Einkehr und Hingabe zum Besitze und Genusse für die Kreatur zu denken » (ibid.) « Aus den bisherigen Erörterungen folgt, dass die Gnadeneinwirkung ein höchst reales, organisches Verhältnis der wechselseitigen Angehörigkeit und Mitteilung ist... An die Stelle der hypostatischen Einigung mit der Substanz einer geschaffenen Natur tritt die gnädige hypostatische Gegenwart der göttlichen Personen (Christi im Geiste) im Leben dieser Kreatur. Das ist allerdings keine physische Einigung, wohl aber ungemein mehr, als man gewöhnlich unter moralischer Einigung versteht » (200 s). — Jos. Mahé S. J., *La sanctification d'après s. Cyr. d'Alex.* (Rev. d'Hist. eccl. 10 [1909]): Paulus dixerat fideles baptismo effectos esse Spiritus Sancti templum. Primis religionis christianae temporibus hoc insigne privilegium fuit « le thème favori des entretiens et des méditations des fidèles ». Latini postea, fortasse exaggerationibus Montanistarum deterriti, ad considerationes minus mysticas se converterunt; Graeci autem pergebant hanc hominis regenerati dignitatem frequenter exponere. Multos textus affert Mahé (p. 30 s). Excellit prae omnibus S. Cyrillus Alex., qui hac in re esse voluit fuitque fidelis *traditionis interpres* (31). Conspectu doctrinae dato Mahé quasdam controversias solvere conatur. — De Cyrilli doctrina v. etiam Grandérath in ZkTh 8 (1884) 565—571.

ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem. . . . Dilectio igitur, quae ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos *tota inhabitat Trinitas*. Quocirca rectissime Spiritus Sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei » (18, 32). Adductis multis Scripturae textibus pergit: «Et multa alia sunt testimonia Scripturarum, quae concorditer attestantur donum Dei esse Spiritum Sanctum, in quantum datur eis, qui per eum diligunt Deum » (19, 35). «Cum audiunt donum Spiritus Sancti, illud genus locutionis [genetivus epexegeticus] agnoscant», secundum quod hoc donum «nihil est aliud quam Spiritus Sanctus » (19, 36). «Deinde si in donis Dei nihil maius est caritate et nullum est maius donum Dei quam Spiritus Sanctus, quid consequentiam, quam ut ipse sit caritas, qui dicitur et Deus et ex Deo?» (19, 37). Spiritus Sanctus igitur non dicitur animam inhabitare, antequam eam caritate seu fide viva iustificaverit. Quare S. Aug., *Epist.* 194, 4, 18, duplicem distinguit modum, quo a Spiritu Sancto adiuventur homines: «Aliter adiuvat *nondum inhabitans*, aliter *inhabitans*. Nam nondum inhabitans adiuvat, ut sint fideles; inhabitans adiuvat iam fideles » (cf. *Trid.* s. 14 cap. 4 [Dz 898]).

451. IV. Theologi. Magister (v. n. 371). — Bonaventura: Donum increatum de fide credendum est (n. 385); exemplum equi et freni (n. 414). — **Thomas, In 1 d. 14 q. 2 a. 2 ad 2:** «In processione Spiritus, . . . prout scil. claudit in se dationem Spiritus Sancti, non sufficit, quod sit nova relatio, qualiscumque est, creaturae ad Deum; sed oportet, quod referatur in ipsum sicut ad *habitum*; quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab illo. Persona autem divina non potest haberi a nobis nisi vel ad *fructum perfectum*, et sic habetur per donum gloriae, aut secundum *fructum imperfectum*, et sic habetur per donum gratiae gratum facientis; vel potius sicut id, per quod fruibili coniungimur, in quantum ipsae personae divinae quaedam sui sigillatione in animabus nostris relinquunt quaedam dona, quibus formaliter fruimur, scil. amore et sapientia; propter quod Spiritus Sanctus dicitur esse pignus hereditatis nostrae.» — **S. th. 1 q. 43** agit de missione divinarum personarum. — a. 3: «Divinae personae convenit *mitti*, secundum quod novo modo existit in aliquo, *dari* autem, secundum quod *habetur* ab aliquo. Neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem.» Nam a) Deus super modum communem, quo in omnibus rebus est *per essentiam, potentiam et praesentiam*, scil. sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius, specialius est in creatura rationali, scil. *sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante*; qua operatione quoniam creatura rationalis attingit ad ipsum Deum,

«secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam *habitare* in ea sicut *in templo suo*». b) Id solum «habemus», quo libere possumus uti vel frui; sed per solam gratiam gratum facientem habemus potestatem fruendi divina persona. Sic «in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem». — a. 5: «Per gratiam gratum facientem *tota Trinitas* inhabitat mentem secundum illud Io. 14, 23.» — a. 6: Ad omnes fit missio invisibilis, in quibus invenitur inhabitatio gratiae et innovatio per gratiam; hinc etiam ad iustos *Veteris Testamenti* (ad 1); etiam secundum profectum virtutis aut *augmentum gratiae* intensivum, licet praecipue missio invisibilis attendatur, «quando aliquis proficit in aliquem novum actum vel novum statum gratiae» (ad 2); etiam *ad beatos* in ipso principio beatitudinis et in nova revelatione mysteriorum; *ad Christum* nonnisi in principio conceptionis, cum statim fuerit plenus omni sapientia et gratia (ad 3).

452. V. Ratio inhabitationem explicat.

1. Inhabitatio in fontibus exhibetur ut relatio realis. Hinc non satisfacit explicatio per ens mere morale et iuridicum. Relatio autem realis supponit realem et physicam mutationem in anima tamquam *fundamentum absolutum*. Hoc fundamentum nihil aliud esse potest nisi ipsa *iustitia inhaerens* sive creata gratia habitualis. In fontibus enim adscribitur inhabitatio Spiritus Sancti omnibus et solis iustificatis. Ergo gratia sanctificans non est qualitas animae mere absoluta, neque solam relationem imaginis ad exemplar (tamquam natura divina participata) dicit, sed simul formaliter efficit, ut anima per eam *referatur ad Spiritum Sanctum ut donatum et possessum*, nondum quidem ad fruitionem perfectam, quod reservatur gloriae, sed ad fruitionem imperfectam (*S. Thomas, In 1; v. n. 451*). Exemplum equi et freni a *S. Bonaventura* allatum (n. 414) idem ostendit. Quare gratia sanctificans et S. Spiritus non sunt eo sensu dona diversa, quasi ab invicem separari possint. Fundamentum enim et terminus eiusdem relationis separari nequeunt. Potius concipienda sunt tamquam duo elementa eiusdem doni complexi (*Terrien I p. 247*). Quare *Lessius* et *Petavius* saltem in hypothesi impossibili quaerunt, quid sola gratia increata sine additione gratiae creatae valeat (cf. n. 455). — In ordine causae *formalis* natura prior est gratia creata tamquam forma absoluta et natura posterius constituitur ista rela-

tio ad Spiritum Sanctum. In ordine causae *materialis* aliquo modo minus proprio cum *S. Thoma* (*In 1 d. 14 q. 2 a. 1 qc. 2*) gratia sanctificans potest concipi ut dispositio praeparans animam ad recipiendum donum increatum.

453. 2. Inhabitatio importat specialiorem praesentiam et possessionem Dei, quam quae donis naturalibus haberi possit. Theologi varios modos explicationis tentaverunt. Optima explicatio nobis videtur a *S. Thoma* data; sed nihil prohibet, quominus eam ulterius declarem et compleamus additis nonnullis, quae ab aliis Theologis recte statuuntur.

a) *Vazquez* (1 disp. 30 cap. 3), quem sequuntur *Ruiz* (Disp. 109 sect. 3) et *Alarcon* (Disp. 9 sect. 3), reponit novum modum inexistentialitatis in illa *excellentiore efficientia*, qua Deus producendo et conservando gratiam in anima iusti operatur. Potest afferri doctrina *S. Ioannis Dam.*, De fide orthod. 1, 13 (MG 94, 852), qui ostendens, quo sensu possit esse sermo de *loco Dei immensi*, dicit: « Dei appellatur locus, ubi eius virtus et operatio sunt... Dei locus is dicitur, qui uberioris ipsius operationis et gratiae particeps est. » — Sed hoc solum *substantialem donationem* non satis explicat; nam ista inexistentialitas non videtur essentialiter diversa esse a notis tribus modis, quibus Deus est in omnibus rebus per essentiam, praesentiam et potentiam. Secundum *Vazquez* praesentia Dei per potentiam extenderetur ad nobiliorem effectum producendum; sed fontes videntur novum simpliciter modum exigere, quo Deus per gratiam ut habitus et inhabitans animae praesens fiat. Tamen tres modi praesentiae divinae sunt necessarium fundamentum et praesuppositum in habitationis, id quod etiam *S. Thomas* (*In 1 d. 37 q. 1 a. 2 ad 3*) affirmat: « Illi tres modi... praesupponuntur etiam in aliis modis. In quo enim est Deus per unionem [hypostaticam], etiam est per gratiam; et in quo est per gratiam, est per essentiam, praesentiam et potentiam. »¹

¹ *P. Galtier* (l. c. 227 ss) sententiam a *Vazquez* propositam ulterius excolit. Ostendit, quomodo efficientia gratiae importet specialem Dei praesentiam ex eo, quod sit actio specialiter assimilatrix, in qua Deus, causa efficiens, simul est causa exemplaris, sive, uti Patres loquuntur, Spiritus Sanctus quasi sigillum continuo praesens imaginem sui animae imprimit; porro explicat, quomodo per efficientiam gratiae realis possessio Dei conferatur, quia scilicet gratia tendat ad hoc, ut nos per intellectum et voluntatem participes reddat vitae divinae. — Hoc alterum haud multum differre videtur ab iis, quae sub b) dicemus. Ceterum *Galtier* censet modum proprium istius in habitationis nos latere (217 230).

b) S. Thomam (v. supra n. 451) sequentes, cum Gardeil (RevThom [1923] 129 ss) hoc modo explicare possumus, quomodo per gratiam sanctificantem oriatur specialis et nova relatio realis animae ad Deum (sive Spiritum Sanctum) ut habitum et inhabitantem: Per dona vitae supernaturalis anima Deo trino ipsi praesente tamquam obiecto cognitionis et amoris fruitur. Id *perfecte sive consummate* fit in visione beatifica. Animae beatae Deus non solum per essentiam, praesentiam et potentiam, sive tamquam immensus et tamquam causa efficiens adest; sed ipse Deus ita in intellectum creaturae intrat, vices speciei impressae explens, ut creatura, eum immediate videns, novo omnino modo referatur ad Deum sibi praesentem «ut cognitum in cognoscente», et consequenter per amorem beatificum «ut amatum in amante». Deus igitur beatis sese dat ad fruitionem perfectam tamquam obiectum cognitionis et amoris. Anima Deum videns et correspondentem amans participat illam summam intellectualitatem, per quam natura divina summum verum et bonum spiritualiter possidet eoque fruitur (v. n. 416). — Atqui per dona supernaturalia viae et imprimis per gratiam sanctificantem, quae est ultimum principium vitae supernaturalis, iam habetur *formalis inchoatio* summae illius possessionis et fruitionis Dei, aliquando actuali visione beatifica consummandae (v. n. 270 416 ss). — Ergo per gratiam sanctificantem cum comitatu virtutum infusarum anima iam realiter ordinatur ad cognoscendum Deum, uti est in se, ad eum amicaliter diligendum eoque beate fruendum. Connaturaliter enim ex gratia sanctificante procedunt habitus et actus cognitionis et dilectionis supernaturalis et tandem lumen gloriae cum ipsa visione beatifica. Conferendo gratiam Deus iam dat *remotam potentiam* ad visionem beatificam sive instruit animam energia quadam capaci ipsum, uti est in se, apprehendendi, atque hoc modo se iam dat ad fruitionem imperfectam et inchoatam. Quare Deus animae sanctificatae praesens est ut obiectum cognitionis, amoris, fruitionis supernaturalis, quae praesentia omnino distinguitur ab ea, qua, tamquam causa dans et conservans esse, Deus in omnibus rebus est¹. — Eiusmodi intima animae cum Deo coniunctio in

¹ Gardeil, l. c. p. 132: « Dans l'indivisible unité de l'âme spirituelle, *mens*, divisée par la grâce, la substance divine est présente physiquement, comme en toutes choses, par la présence d'immensité... ; mais elle trouve ici en face d'elle, coordonnée à elle, la tendance efficace de la nature divine participée qui pousse l'âme à se réunir à Dieu, d'une union réelle, tout au moins dans

hac vita maxime se manifestat actibus caritatis. Tamen antecederet ad omnem activitatem supernaturalem anima iustificata (v. g. parvuli baptizati) vi gratiae sanctificantis et habituum infusorum Deum dicto modo iam possidet tamquam obiectum cognitionis et amoris *habitualis* (similiter ac memoria *habet* etiam ea obiecta, de quibus actu non cogitatur). — Per datam explicationem ipsa *essentia inhabitationis* exhiberi videtur. Sic revera explicatur, quomodo Deus per gratiam animae sese ita det, ut ab ea habeatur sive in ea habitet, idque eo modo, ut essentialis donorum gratiae ad gloriam ordinatio egregie manifestetur atque bene intellegatur, quò pacto Spiritus Sanctus inhabitans vocetur a S. Paulo «*arra hereditatis nostrae*» (v. n. 270 a) et *Leo XIII* dicat inhabitationem «*condicione tantum seu statu*» ab ea coniunctione discrepare, qua caelites Deus beando complectatur (n. 446).

c) Suarez (*De Trin.* l. 12, c. 5) nos monet hanc supernaturalem Dei possessionem eo magis habere rationem verae inhabitationis, quod Deo uniamur *supernaturali amore amicitiae*, qui definiri solet «*amor benevolentiae mutuus, efficax et manifestus*». «*Amor consistit in communicatione ab utraque parte*» (*S. Ignatius, Lib. Exercit.*, Contempl. ad obtinendum amorem). Qua amicus Deus creaturae rationali se ipsum donat ad liberam fruitionem et sic ab eadem «*habetur*» (*Thom., S. th.* 1 q. 43 a. 3; *In 1* d. 14 q. 2 a. 2 ad 2). Amicitia non sistit in solo affectu, sed *realem unionem et praesentiam*, in quantum fieri potest, appetit. Nam unionem secundum rem «*amor facit effective, quia movet ad desiderandum et quaerendum praesentiam amati quasi sibi convenientis et ad se pertinentis*» (*S. th.* 1, 2 q. 28 a. 1). Ergo haec amicitia est quasi *novus titulus*, qui postulat intimam Dei in anima praesentiam; quare Deus, si in anima iusti ratione suae *immensi-*

la béatitude. Dieu présent dans l'âme sainte par son immensité, y rencontre, dès maintenant, une énergie capable de le saisir... Il est clair qu'... une relation nouvelle jaillit nécessairement entre l'âme sainte et le Dieu présent substantiellement en elle, relation originale et qui n'a rien de commun avec la relation constitutive de la présence d'immensité, puisqu'elle n'est pas fondée sur la causalité divine, mais sur l'ordination essentielle de la grâce à nous unir intimement par la connaissance et l'amour efficaces qui émanent d'elle, au Dieu substantiellement présent en nous.» — *Ibid.* p. 133: «*A cette présence nouvelle l'immensité divine fournit son caractère substantiel; la grâce lui apporte l'élément nouveau, spécial, caractéristique qui la distingue à jamais de sa présence d'immensité. C'est la présence d'une réalité spirituelle substantiellement unie désormais à un être capable de l'êtreindre, reçue et hospitalisée... dans un autre esprit.*»

tatis non esset, in eam titulo *amicitiae* veniret. Cf. specialem Dei praesentiam in humana natura Christi et in eucharistia. — Praecedentia tamquam complementum et ulterior declaratio recte addi videntur explicationi sub b) datae¹. Sed minus recte essentia inhabitationis poneretur praecise in praesentia reali, quatenus titulo *amicitiae* exigatur (v. *Gardeil* l. c. 29 ss; *Galtier* 159 ss).

d) Hic amicus potentissimus simul venit et manet tamquam *παράκλητος*, i. e. protector, rector, adiutor et consolator (cf. n. 448, 2: Io 14, 16 s).

e) Licet *amicitia* semper sit inter aliquo modo pares et propterea Deus creaturam, quam amicaliter diligere vult, ad dignitatem ordinis divini elevet, tamen amicus apud amicum habitans est et manet in nostro casu *summus Dominus* (cf. P VIII n. 593). Inde ratio *amicitiae* aliquatenus modificatur. Nam hic amicus simul est summa reverentia et veneratione *colendus*. Habitans apud amicum est in sua *propria domo* vel in suo *templo* ibique in *throno* suae maiestatis residet adorandus.

f) Scheeben (*Dogm.* II n. 844 ss. 872) advertit non haberi qualemcumque *amicitiam*, sed aliquam *admissionem in familiam et cognationem* amici, sicut *sponsa* in familiam sponsi intrat. Insuper *generatione* quadam ex Deo efficitur plus quam mera adoptio. Ergo iustus coniungitur cum Spiritu Sancto non mere morali unione *amicitiae*, sed unione quodammodo «*organica*», quae unioni stricte physicae moraliter aequivaleat². Sicut vir et mulier sunt «*duo in carne una*», sic Deus et anima iusti sunt quasi «*duo in uno Spiritu*». Quare haec unio ami-

¹ Id ipse Suarez (*De Trinit.* l. 12 c. 5 n. 14) innuere videtur: «Per gratiam et caritatem manet Deus in anima ut obiectum cognitum et amatum, non utrumque, sed per modum amici intime dilecti, qui non utrumque obiective dicitur esse in amante, sed tamquam bonum intime praesens et intra ipsum amantem existens, ut eum peculiariter custodiat et regat, et ab eo in corde suo colatur et adoretur. Quod potest etiam declarari *exemplo beatorum*; nam ex vi luminis gloriae habent Deum peculiari modo suis mentibus praesentem in ratione obiecti visibilis intime quodammodo unitum ipsis beatis, ut per se ipsum et absque alio medio videatur.» — Etiam ea, quae sub sequentibus litteris afferimus, intelligimus tamquam ultiores explanationes et accuratiores determinationes explicationis principalis iam datae.

² «Die freundschaftliche Vereinigung Gottes mit den Begnadigten... nimmt den Charakter eines organischen Ineinanderlebens der Freunde und der Verschmelzung zu einem Wesen an» (n. 872). — Etiam *Dorsaz* multa habet de nostra cognatione cum divinis personis, quam ex nostra relatione ad Christum, fratrem primogenitum et caput corporis mystici, derivat.

calis est coniunctio artior et realior quam ea, quae per meram amicitiam efficitur; comparatur potius unioni *filii* ad patrem, *uxoris* ad maritum (cf. supra n. 441).

g) Altior quidam gradus huius inhabitationis habetur, quando Deus praesens est « ut obiectum *experimentaliter cognoscibile et fruibile* intra animam ». Hoc perfecte habetur in *visione* beatifica et inchoative in *mystica unione* animae contemplativae cum Deo, qua iuxta Philippum a SS. Trinitate Deus per quendam substantialem ad animam contactum praesens et unitus sentitur. Sed non debet hoc modo ea inhabitatio explicari, quae omnibus iustis communis est. Talis tentaminis saltem speciem non satis vitat Ioannes a S. Thoma O.P. (*In 1* q. 43 a. 3 disp. 17; cf. *Villada* p. 178 ss; *Gardeil* p. 139 s 246 ss; *Galtier* p. 169 ss), qui secus sententiam S. Thomae bene proponit¹.

454. 3. Unio, quam explicavimus, est dicenda realis, non mere moralis sive iuridica; nam eius fundamentum est realis qualitas animae, absoluta et simul relativa. Sed non habetur *physica mixtio naturarum* neque *hypostatica unio*. Ex parte *extremorum* posset vocari unio substantialis, quia substantia animae cum substantia Dei unitur; sed quoniam haec terminologia facile falso intellegitur, melius ab ea abstinetur (v. *Galtier* l. c. 214 ss). *Modus uniendi* est accidentalis; fit enim haec unio mediante gratia, quae est accidens.

455. 4. Licet gratiam increatam a gratia creata distinguamus, tamen haec duo principia non sunt ita separanda, ut alterius effectus formales sint omnino alieni ab altero. *Idem effectus* utrique principio debentur, sed *sub diversa ratione*. Quae gratia creata *informando* confert, Spiritus Sanctus *terminando* efficit. Sic utrumque principium simul sumptum vocari potest formalis causa nostrae iustificationis, sanctificationis, adoptionis, deificationis; at causa formalis *stricte* dicta, scil. *intrinsicus informans*, est gratia creata, gratia vero increata qua terminus relationis dici potest *sensu analogo* causa formalis, *externa* scil. et *assistens* (sicut etiam causa exemplaris reduciatur ad causam formalem). Hac media via incedentes vitamus inconvenientias, quae iis occurrunt, qui aut cum *Lessio*, *Peta-*

¹ *Granderaeth*, ZkTh 7 (1883) p. 632—638 bene ostendit, quomodo S. Spiritus a) veniat et maneat ut amicus, extendendo ad iustum eam amicitiam, quae est inter tres personas divinas; b) sit donum et possessio iusti; c) sit pignus et arra gloriae; d) habitet ut in domo propria sive in templo suo.

vio etc. sublimiores effectus exclusive Spiritui Sancto attribuantur aut cum *Ripalda* et *Viva* solam participationem formalem sive similitudinariam naturae divinae admittunt, non satis servantes testimonia *Scripturae* et *Patrum*, quibus participatio per praesentiam et possessionem S. Spiritus indicatur.

In controversia, quae de his quaestionibus fuit inter *Th. Granderath* S. J. (ZkTh 5 7 8 [1881 ss] et *M. Scheeben* (Kath. 63 I II; 64 I [1883 s]), prior ultra modum urget definitionem *Tridentini* de unica causa formali iustificationis, s. 6 cap. 7 (Dz 799), quae tamen facta est contra doctrinam *imputationis externae* secundum mentem Protestantium necnon Coloniensium (v. n. 359 ad 362), sed minime ea intentione, ut distingueretur, quid gratia creata qua ens *absolutum* ex nuda physica perfectione sua valeret, quid vero ex unione cum S. Spiritu, quam qua ens *relativum* importat. Minus recte *Granderath* absolute vetat gratiae increatae ullam causae formalis rationem tribui. *Scheeben* autem de unione mystica et organica ita loquitur, ut quae potius *tropice* dicta sint oportet, facile falso intellegi possint sensu proprio et rigoroso. Porro minus recte gratiam increatam ut *novum favorem* concipit, gratiae creatae liberaliter a Deo superadditum, quo favore filiatio adoptiva, utpote per solam gratiam creatam quoad *essentialia tantum* et in statu quasi *rudimentario* existens, ad *idealem plenitudinem et abundantiam* perducatur (cf. n. 405 b a; 422 a). — Melius gratia sanctificans et Spiritus inhabitans concipiuntur ut *unum donum totale*, omnino inseparabile, sed secundum duplex, quod continet, elementum *duplicem praebens aspectum*. Spectari enim potest tam ex parte doni *creati et absoluti* quam ex parte *termini increati*. In hoc dono totali recte dicitur Spiritus Sanctus «nobilissimum elementum et altissimum fastigium nostrae iustificationis et adoptionis, ita ut tota perfectio nostrae sanctificationis multo magis appareat ex parte Spiritus Sancti inhabitantis, quam ex parte gratiae creatae» (P II 676; cf. V 342 et duo scholia II 676—684). — Suarez, *Proleg.* 3, 3, 12 (P II 675) profert exemplum beatitudinis, in qua similiter invenitur donum compositum ex *forma interna* luminis gloriae et *termino externo* essentiae divinae.

SCHOLIA DE ALIIS DONIS GRATIAE GRATUM FACIENTIS

456. *Scholium 1. De virtutibus moralibus infusis.*

P VIII pr. 2. — Ber. 766. — Mazz., *Virt.* n. 48—57. — Schiff., *Grat.* n. 202. — Billot, *Virt. th.* 2. — Van der Meersch, *Grat.* n. 231—233.

Sententiae. Exsistentiam horum habituum negant *Henricus Gandavensis*, *Durandus*, *Scotus*, multi *Scotistae* et *Nominales*, affirmant *Bonaventura*, *Thomas*, *Thomistae*, *Iesuitae* fere omnes. Pauci, inter quos *Capreolus* et *Medina*, negantem

sententiam censura dignam declarant; plerique assentiunt *Suarez*, qui sententiam affirmantem ut conformiorem Scripturae, Patribus et rationi defendit, sed eam cum certitudine e fontibus deduci posse negat¹.

457. Argumenta, quae pro existentia afferri solent, praeter auctoritatem theologorum longe maiorem sunt valde debilia. Innocentius III (Dz 440; cf. n. 373) de effectu baptismi parvulorum duas opiniones affert. Viennense (Dz 483) certissime sententiam scotisticam reicere noluit, quam sine dubio ipsi accusatores Ioannis Petri Olivi tenuerunt. Catechismus Romanus, a Dominicanis conscriptus, huic sententiae favet, ubi loquitur de nobilissimo omnium virtutum comitatu (v. n. 376 *δ*). — De textibus Scripturae (2 Petr 1, 3ss; 2 Tim 1, 7; Sap. 7, 11; 8, 7) ad summum dici potest: «suaderi videtur existentia» (*Van der Meesch* 234), vel: «si hae quoque virtutes concedantur, ... faciliori et sublimiori sensu intellegi possunt» (*Schiffini*). — Patres inter actus et habitus virtutum non solent distinguere; quando dicunt virtutes donari a Deo, potius praesumendi sunt intellegere actus vel habitus actibus a Deo inspiratis acquisitos. Sed Gregorius M. (v. n. 384) insinuare videtur humilitatem, castitatem, iustitiam atque misericordiam non secus ac fidem, spem et caritatem per modum habituum infundi. — Rationem affert Thomas *S. th.* 1, 2 q. 63 a. 3 *ex analogia ordinis naturalis*, de quo a. 1 (cf. q. 51 a. 1) docuerat: «In ratione hominis insunt naturaliter quaedam principia naturaliter cognita tam scibilium quam agendorum, quae sunt quaedam seminaria intellectualium virtutum et moralium, in quantum in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundum rationem» (quo appetitu homo naturaliter inclinatur in *finem* naturalem). Istae inchoationes virtutum consummantur virtutibus acquisitis, quibus inclinatur homo «diversimode secundum diversas materias, in quibus virtutes operantur, et secundum diversas circumstantias» (ergo in ordine ad varia *media*). In ordine *supernaturali* (a. 3) «loco ... naturalium principiorum conferuntur nobis a Deo

¹ *Billot* p. 120: «Opinio Scoti sensim obsolevit, ita ut sententia opposita ... evaserit processu temporis simpliciter communis et fere universalis.» Ab ipso defenditur «ut longe conformior sensui in Ecclesia recepto». — *V. d. Meersch* (not. 3 ante n. 231). citat *Collationes Brugenses* 12, 714: «Quum ... sententia negans ... a tempore *Suarezii* fere nullos patronos invenerit, videtur sententia affirmans absque temeritatis nota iam negari non posse.» Hanc notam non approbem.

virtutes *theologicae*, quibus ordinamur ad *finem* supernaturalem (cf. q. 62 a. 3) . . . Unde oportet, quod his etiam virtutibus theologicis proportionaliter respondeant alii habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habeant ad virtutes theologicas, sicut se habent virtutes morales et intellectuales ad principia naturalia virtutum » (i. e. qui constituent hominem in actu primo perfecto respectu *mediorum* ad finem supernaturalem). — Obiectiones Scoti et responsa v. *Billot* p. 122 ss¹. — Plerique dicunt habitus *quattuor virtutum cardinalium* requiri et sufficere. Sed ii, qui principium: « Actus et habitus specificantur ab obiecto », urgere solent, per se pro omni distincta specie obiectivae bonitatis moralis distinctum quoque habitum infusum postulare deberent. Hoc modo *Suarez* et *Salmanticenses* revera sibi constant (P 46 s).

458. Scholium 2. De donis Spiritus Sancti.

P VIII pr. 6. — *Billot*, Virt. th. 7 s. — *Mazz.*, Virt. n. 257—269. — Ber. 910—933. — *Schiff.*, Grat. n. 213—219. — *Gaume*, Traité du S.-Esprit, 3me éd. (Paris 1890) chap. II 25—33. — A. *Gardeil* O. P., Dons du S.-E. (DdTh 4, 1728—1780). — B. *Froget* O. P., De l'inhabitation p. 4 c. 6. — M. *Touzard*, Is 11, 2 3 et les sept dons du S.-E. (Rev. bibl. 1899, 232 ss). — Controversia inter Mgr. *Perriot* et B. *Froget* in: L'ami du clergé 1892 1898 1900 et RevThom. 1896 1898 s. — Die Lehre des hl. Thomas über die 7 Gaben d. Hl. G. (Kath. 59 [1879 I] p. 449—473. — G. *Pleil*, Die Gaben des Hl. Geistes in Schrift und Tradition (ib. 80 [1900 II] p. 404—416 513—526). — L. *Raymond* O. P., Les dons du Saint-Esprit en général (RevThom 21 [1913] 406—418 537—551; 22 [1914] 1—16). — P. *Olcese*, De donis Spiritus Sancti iuxta mentem Aquinatis aliorumque Patrum et Doctorum (Genuae 1904). — D. *Joret* O. P., Les dons du S.-E. (La vie spirituelle 1 [1919—20] 383—393). — *Greg. von Holtum* O. S. B., Die motio divina der natürlichen und übernatürlichen Tugenden und der Gaben des Hl. Geistes (Div. Thom. 4 [1917] p. 244 ss). — *Mor. Meschler*, Die Gabe des hl. Pfingstfestes (9. u. 10. Aufl. Frei-

¹ Virtutum moralium cum theologicis *intimum nexum* atque earum ab iisdem *dependentiam* effert *Scheeben*, *Dogm.* II n. 785: « Jedenfalls sind die übernatürlichen sittlichen Tugenden nur als Zweige zu betrachten, welche in den theologischen ihre Wurzel haben. » Item *Heinrich-Gutberlet* VIII p. 626: *Realis distinctio virtutum moralium infusarum a theologicis non stricte probatur.* « Aber auch wenn die sittlichen Tugenden real von den göttlichen unterschieden angenommen werden, so ist doch die Möglichkeit nicht ausgeschlossen, dass die Eingießung der letzteren die ersteren mit erzeugt. . . Dazu ist. . . nur notwendig, dass derselbe Verstand und derselbe Wille, welcher in eine übernatürliche Verfassung für die Akte der *göttlichen* Tugenden versetzt wird, damit auch eine entsprechende Verfassung für das *sittliche* Tun erhalte. . . Die Ausrüstung für jene höheren Akte bringt eine entsprechende für die niederen mit psychologischer Notwendigkeit mit sich. »

burg 1922) Kap. 25—32. — *J. B. Umberg* S. J., Der moderne Katholik und die Firmgnade (StaML 80 [1911 I] 524—535); Vom Wohnen und Wehen des Hl. Geistes (StdZ 93 [1916/17] 121—133); Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung (Freiburg 1920) p. 190; Confirmatione Baptismus «perficitur» (Ephem. theol. Lovan. 1 [1924] 514 ss). — *Alb. Mitterer*, Die sieben Gaben des Hl. Geistes nach der Väterlehre (ZkTh 49 [1925] 529—566). — *R. Garrigou-Lagrange*: Xenia Thomistica (1925) II 211—232. — *St. Kolipinski*, Le Don de l'Esprit Saint (Fribourg 1924). — *L. Siemer* O. P., Die mystische Seelenentfaltung unter dem Einfluss der Gaben des Hl. Geistes (Vechta 1927). — *O. Lottin* O. S. B., Les dons du S.-E. chez les théologiens depuis P. Lombard jusqu'à S. Thomas d'Aquin (Recherches de Théol. anc. et méd. 1 [1929] 41—97. — *J.-Fr. Bonnefoy* O. F. M., Le S.-E. et ses dons selon s. Bonaventure (Paris 1929).

459. Fundamentum scripturisticum praebet **Is 11, 1—3**. Sed textus hebraicus non habet nisi sex nomina donorum vel potius «spirituum», quorum ultimum bis positum, יִרְאָה jir'ah, LXX vertunt primo εὐσέβεια, dein φόβος θεοῦ. Vocabulum enim hebraicum sensum sat amplum et indeterminatum habet; v. *Knabenbauer* et *Condamin* (qui conicit textum esse corruptum). Hi spiritus a propheta *Messiae* tributi secundum Traditionem a capite in membra descendunt (P 98; *Plett*; *Mitterer*). Liturgia, praesertim ritus confirmationis, habet septem dona; item Synodus Romana a. 382 (Dz 83) agit «de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit» (loco Spiritus pietatis ponit Spiritum veritatis). — Leo XIII in encycl. «*Divinum illud*» (cf. n. 446) doctrinam de septem donis S. Spiritus ad mentem *S. Thomae* exponit (*Acta S. Sedis* 29, 654; *Cavallera*, Thesaurus n. 547).

460. De natura horum donorum sententiae valde diversae in Ecclesia tolerantur. Summa Sententiarum (quae diu *Hugoni a S. Victore* attribuebatur) tr. 3 c. 17 (ML 176, 114): Sunt «*primi motus* in corde quasi quaedam semina virtutum». — *Vazquez* (*In 3*, disp. 44 c. 2 n. 7): Sunt *actuales motiones* ad extraordinarias actiones. — Satis communiter asseruntur esse *habitus*, et discutitur, an et quomodo distinguantur a virtutibus infusis. Magister (*Sent.* 1. 3 d. 34): Dona sunt *virtutes*. Scotus (*In 3*, d. 34 n. 20): Dona intellectus et scientiae sunt realiter identica cum virtute fidei imperfectae et perfectae, donum sapientiae cum caritate (et spe), reliqua cum 4 virtutibus cardinalibus (quae tamen secundum Scotum non sunt habitus infusi). Pesch (VIII n. 114) statuit *realem identitatem* donorum cum 3 virtutibus infusis intellectualibus et cum 4 cardinalibus simulque *distinctionem inadaequatam*,

quatenus habitus virtutis non dicitur donum nisi accedente speciali et altiore motione Spiritus Sancti; i. e. donum super virtutem addit mobilitatem respectu altioris motionis. — *Communius* cum S. Thoma dona habentur *distincti habitus* infusi. Nonnulli notant numerum *septenarium* non esse certum, quia per eundem facile significari possit *plenitudo* quaedam donorum neque constet Isaiam voluisse dare completam enumerationem (*Suarez*, l. 6 c. 10 n. 10; *Ber.* 925). Patres omnes apud Isaiam numerum septenarium inveniunt; Alexandrini (*Clemens* et *Origenes*), dein quattuor magni Patres latini, praesertim *Ambrosius*, tenent septem dona inter se specificè distincta; sed Patres et exegetae Antiocheni contradicunt (*Mitterer*). — Plerique theologi admittunt *septem* habitus realiter distinctos. Sic v. g. S. Bonaventura statuit septenos habitus infusos virtutum, donorum et beatitudinum (*Bonnefoy* l. c. 65).

461. De ratione discriminis inter dona et virtutes iam **S. Thomas** (*S. th.* 1, 2 q. 68 a. 1 et *In 3* d. 34 q. 1 a. 1) multas diversas opiniones recenset¹: a) Dona sunt in superiore parte animae, virtutes in inferiore; b) dona sunt magis in ratione, virtutes magis in voluntate; c) dona dantur ad resistendum malo, virtutes ad operandum bonum; d) virtutes ad expurgandum a peccatis, dona ad sanandum a sequelis peccati; e) virtutes conformant Christo operanti, dona patienti. — *Ipsè Thomas* dicit (*In 3*): «Dona dantur *ad altiores actus*, quam sint actus virtutum... Dona a virtutibus distinguuntur in hoc, quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona *ultra humanum modum*.» Quam differentiam (*S. th.* 1, 2 q. 68 a. 1) ex nomine «spirituum», quo in Scriptura appellantur, derivat. «Virtutes humanae perficiunt hominem, secundum quod homo natus est *moveri per rationem*. Oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundum quas sit dispositus ad hoc, quod *divinitus* moveatur.» Per dona «homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina». Iam *Philosophus* «in cap. de Bona Fortuna» (i. e. *Eth. Eudem.*; v. n. 221) distinxerat motionem per rationem humanam et per melius principium, scil. per anteriorem instinctum divinum ad actiones *heroicas et divinas*. Hoc sensu «dona perficiunt hominem ad altiores actus, quam sint actus virtutum». — a. 2: Dona homini sunt *necessaria* ad salutem «in his, in quibus non sufficit instinctus rationis, sed est necessarius Spiritus Sancti instinctus». Est enim ratio nonnisi «*aliquahter et imperfecte informata per virtutes theologicas*»; quare in ordine ad finem ultimum supernaturalem non sufficit «ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti». — ad 2: «Per virtutes theologicas et morales non ita perficitur homo in ordine ad ultimum finem, quin semper indigeat moveri quodam superiori instinctu Spiritus Sancti.» Ergo

¹ Quinam theologi has opiniones docuerint, v. apud *Lottin* l. c. Doctrinam ipsius S. Thomae fuse expositam invenies apud *Kolipinski* l. c.

dona secundum S. Thomam non ad solos actus extraordinarios et heroicis requiruntur. — Quare Billot (th. 8) distinguit *duplicem exercitii modum, ordinarium et extraordinarium*. Prior est in hoc, quod per dona homo disponitur ad bene recipiendum inspirationes divinas ordinarias, i. e. eas *gratias actuales*, quibus iusti indigent *ad perseverandum et proficiendum* in accepta iustitia (cf. n. 174 f). Hoc modo dona se habent ad actus supernaturales indeliberatos sicut virtutes ad actus deliberatos. Anima tam virtutibus quam donis instructa se habet « instar *navis*, cui inest primo *machina* motrix interior, tum praeterea systema *velorum*, ut recipiat motionem ab extrinseco, videlicet a vento. Nam *virtutes* respondent vi motrici, quae inest navi intrinsecus, *dona* vero respondent velaturae, per quam navis est disposita ad recipiendum impulsu motoris exterioris. » Est discrimen in hoc, quod navis alterutro tantum apparatu utens, licet tardius, tamen ad scopum pervenire potest, anima vero utroque absolute indiget (p. 172). *Extraordinarius* modus secundum eundem auctorem usu venit a) in *extraordinaria contemplatione* sive in oratione quietis et mysticae unionis; b) quoad *agibilia*, cum divinitus inspiratur, quod secundum ordinarias prudentiae regulas non liceret vel non expediret (exempla S. Apolloniae et S. Catharinae Senensis p. 190)¹.

Dona *probabilius* inseparabiliter coniuncta sunt cum gratia sanctificante; ergo iam in *prima iustificatione* conferuntur. Per *confirmationem*, quae baptismum perficit, copiose augentur. Umberg in scriptis citatis, praesertim in *Eph. Lov.* p. 515, censet etiam probabile esse dona saltem ordinarie non conferri baptismo, sed confirmatione.

ARTICULUS III

DE AMISSIONE ET AUGMENTO IUSTITIAE

Thesis 17. Iustitia adaequate sumpta potest amitti, etiam in perpetuum. Amittitur omni et solo peccato mortali gratia sanctificans cum omnibus donis infusis praeter habitus fidei et spei, qui non destruuntur nisi peccatis directe oppositis.

462. P V pr. 31; VIII pr. 5. — Mazz. pr. 39 III; Virt. 183—241. — Lah. 326—329; Virt. 41—48. — Ber. 949—957.

St. qu. 1. Nexum v. n. 322. — Iustitia accepta potest iterum amitti (*haec thesis*); potest augeri, non autem minui (*scholia*); amissa potest recuperari (*tractatus de poenitentia*).

¹ Meschler, *Gabe des Pfingstfestes* (Kap. 25) effectum donorum assignat: «Empfänglichkeit, Beweglichkeit, Fertigkeit, ja Schlagfertigkeit den göttlichen Eingebungen gegenüber, mit einem Worte: vollkommene Betätigung des geistlichen Lebens. Das Wissen geht nicht bloss in Können, sondern das Können in Tun, und zwar in leichtes, vergnügliches Tun über.» — Umberg, *StdZ* 93 (1916/17 II) 130: «Ansprechleichtigkeit».

463. 2. Sensus. a) Iustitia adaequate sumpta, i. e. gratia sanctificans cum omnibus donis gratiae gratum facientis, quorum existentia in art. II probata est; — potest amitti, i. e. non omnis, qui semel vere iustificatus est, iustitiam usque ad mortem certo servabit, neque si quis post baptismum graviter delinquit vel si a fide desciscit, indicium est, quo ipsum nunquam vere iustificatum fuisse evincatur; — etiam in perpetuum; quare etiam reprobi per aliquod tempus vitae possunt esse iusti.

b) Amittitur peccato mortali actuali, quod definitur (P IX pr. 24): «actus moraliter et perfecte liber, quo homo se ita convertit ad bonum creatum lege divina prohibitum, ut *se simpliciter avertat a Deo fine ultimo*»; sive (P V n. 371): actus, «quo homo se cum plena deliberatione a Deo avertit et beatitudinem suam in creatura collocat». Eiusmodi peccata Scriptura in «catalogis vitiorum» enumerat; — omni, ergo non solo peccato *infidelitatis*; et solo, ergo non quolibet minimo peccato, scil. non peccato *veniali*, «quo homo non vult se deliberate a Deo avertere, sed servata habitudine ad Deum finem ultimum deficit a debito ordine in usu creaturarum» (P V 371; cf. P IX pr. 30; supra n. 163).

c) Ad *singula dona* infusa quod attinet, peccato gravi commisso amittuntur gratia sanctificans, caritas, virtutes morales infusae, inhabitatio Spiritus Sancti eiusque dona, i. e. omnia, quae ad *gratiam gratum facientem* pertinent, praeter habitus fidei et spei, qui licet tamquam facultates vitae supernaturalis cum ultimo eius principio connaturaliter simul perire debeant, tamen ex speciali Dei ordinatione, ut *novae iustificationis fundamentum* esse possint, conservantur, nisi homo committat peccata ipsis directe opposita sive cum eorum obiecto formali pugnancia, i. e. *desperationem*, quae destruit spem, et *infidelitatem*, quae destruit fidem et consequenter etiam spem.

464. 3. Sententiae. Generatim thesi adversantur quidam antiqui haeretici et Protestantes. In nonnullis quaestionibus minus essentialibus et in explicatione rationum est dissensus inter theologos catholicos.

a) *Possibilitatem amissionis* negant α) Iovinianus, docens «eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari [ita ut succumbant];... quicumque autem tentati fuerint, ostendi eos aqua tantum et non Spiritu baptizatos» (*Hieronymus, Adv. Iov.* 2, 1 [ML 23, 281]). — β) Varii Praedesti-

natiani, inter quos eminent Calvinus: «Solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut numquam dispereat semen vitae in eorum cordibus insitum.» In reprobis non est nisi inferior quaedam operatio Spiritus «sine adoptionis spiritu» (*Instit.* 3, 2, 11 [CR 30, 406]). — Synodus Dordracena (a. 1619) cap. 5 can. 6: «Deus... ex immutabili electionis proposito Spiritum Sanctum, etiam in tristibus lapsibus, a suis non prorsus aufert; nec eousque eos prolabi sinit, ut gratia adoptionis ac iustificationis statu excidant» (*Müller, Bekenntnisschriften* p. 857). — Mitiores Calvinistae concedunt praedestinos ad tempus iustitiam posse amittere. — Be-guardi et Beguinae fabulabantur de gradu perfectionis, in quo homo factus sit penitus impeccabilis, adeo ut corpori libere concedere possit quidquid placeat. Ad huiusmodi errores accedebat quadamtenus Michael de Molinos quietista.

b) Quoad *causam amissionis* adversantur α) ii, qui cum Luthero doctrinam de *sola fide* iustificante tenent. Secundum ipsos iustitia imputata, sicut sola fide acquiritur, ita solo peccato *infidelitatis*, i. e. cessando a fide fiduciali (v. n. 327), amittitur¹ (plura v. apud *Krogh-Tønning, De grat. et lib. arb.* p. 82 s). — β) Item ii, qui *distinctionem peccatorum in mortalia et venialia negant vel falso explicant*. Sic Iovinianus et Pelagius, qui ad iustitiam retinendam et aeternam poenam vitandam plenam exigunt *impeccantiam* (v. n. 164—167)². — Wicleff: Omnia reproborum peccata sunt mortalia, electorum venialia. Luther: Peccata omnia ex se merentur aeternam damnationem, sed fidelibus non imputantur. Similia

¹ Nota sunt verba, quae Luther in aliqua epistula die 1 Augusti 1521 scripsit Melanchthoni (Luthers Briefwechsel von Enders III [1889] n. 449 p. 208; *De Wette, Luthers Briefe* II [1826] 37): «Esto peccator et *pecca fortiter, sed fortius fide* et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi... Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum, qui tollit peccatum mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornecemur aut occidamus.» De his verbis v. *M. Pribilla S. J.* (StDz 107 [1924 II] 391—395) et scripta ibidem indicata. In fine ait: «Die Katholiken müssen zugeben und geben zu, dass eine wörtliche Auslegung im absoluten Sinne (etwa: »Sündige nur tapfer drauf los«) nicht zulässig ist. Die Protestantem müssen zugeben und geben zu, dass die Stelle missverständlich und missbräuchlich ist.» Cf. etiam *Ferd. Kattenbusch de Pribilla* (*Die Christl. Welt* 39 [1925] 202—207).

² Iste rigorismus, e doctrina *Stoicorum* derivatus, maxime apparet in sententiis pelagianis a. 414 Augustino e *Sicilia* missis (v. *Aug. Epist.* 156) et in tractatu «*De malis doctoribus*» a Caspari edito (v. supra n. 26 not.) cap. 12—16, p. 88 ss; *ibid. Epist.* 1, p. 5. — Cf. etiam *Schiesl, Der objektive Unterschied zwischen Tod- und lässlicher Sünde* (Augsburg 1891) p. 25—29; *Portalié* in *DdTh* 1, 2382 s.

habet Calvinus. — Praeiverant Gerson aliique Nominales, qui discrimen inter mortalia et venialia potius ex benignitate Dei, non omnia peccata imputantis mortalia, quam ex natura peccatorum repetebant. — Baius quoque peccatum *ex natura sua* veniale negavit (v. *Wirceb.*, De pecc. n. 34). — Hirscher: Iustus non peccat nisi venialiter, peccator e contra semper mortaliter delinquit (v. P IX 517). — Herm. Schell: Nullum peccatum ad sempiternam ducit damnationem, nisi illud, quod «*elevata manu*» patrat (Kath. Dogmatik III 2 [Paderborn 1893] 742). — Errores professorum Hirscher et Schell coniungere videtur Jos. Wittig¹.

c) Quoad *varia dona* omnes catholici docent caritatem et inhabitationem Spiritus Sancti nunquam manere sine gratia sanctificante. Neque ii, qui virtutes morales et dona Spiritus Sancti inter habitus infusos numerant, hos habitus a gratia et caritate separant, exceptis paucissimis quoad *virtutes morales* infusas², praesertim eas, quae simili modo ac fides et spes novae iustificationi inservire possint, uti est habitus *poenitentiae, attritionis, timoris servilis* (v. *Ripalda* l. 6 disp. 128 n. 68—75). De fide et spe catholici non dissentiunt nisi de *qualificatione* et de *causis conservationis et destructionis*. — Nonnulli veteres theologi, quos S. Thomas refutat, putabant habitum formatum fidei et spei cum gratia destrui et *novum habitum informem produci*. Durandus singulariter opinatur (*In 3* dist. 23 q. 9) haeresi formali circa unum alterumve articulum commissa non totaliter destrui habitum fidei. *Voluntaria dubitatio* an destruat fidem, disputatur; item an *praesumptio* destruat spem³. — *Cur* non omnes habitus simul cum gratia pereant, diversimode explicatur.

¹ *Die Erlösten* (*Hochland* 19 [1921/22 II] 1—26: «Wenn bei gutem Willen eine Tat passiert, die sonst alle Kennzeichen der Sünde an sich hat, so stört diese Tat die Erlösung nicht» (12). «Ja, es passieren euch Sünden, aber das sind keine Sünden, das ist Gottes heiliger Wille. Wie könnte es Sünde sein, was du mit gläubigem Herzen guten Willens tust? . . . Es ist möglich, dass du den Glauben verlierst, da hebst du deine Hand gegen Gott, da sprichst du das meineidige Wort, da tust du die schlimme Tat, da ist Sünde» (20).

² S. Bonaventura, *Brevil.* 5, 4, docet septem esse habitus virtutum gratuitarum, trium theologicarum et quattuor cardinalium; «et licet sint gratuita per gratiam informatae, possunt tamen fieri informes per culpam, sola caritate excepta, et iterum informari per poenitentiam, adveniente gratia» (cf. *Bonnefoy* l. c. 70s).

³ Si *iudicia credibilitatis* et *credulitatis affectus* ex habitibus infusis prodire dicuntur, novae exsurgunt quaestiones. Nonnulli dixerunt propter iudicia credibilitatis manere informem habitum infusum *prudentialis*. His quaestionibus dirimendis supersedemus (v. *Ripalda* l. c.).

465. 4. Qualificatio. Pars 1^a, *amissibilitas* iustitiae in genere, et pars 2^a, *amissio per omne et solum peccatum mortale*, sunt de fide definita. Quoad singula dona parte 3^a examinanda: *Caritatem et inhabitationem* non manere sine gratia, licet non expresse sit definitum, tamen est certissimum et ordinario magisterio docetur. Etsi non sit certum *virtutes morales et dona S. Spiritus* esse habitus infusos, certum tamen est ea, si sunt habitus supernaturales, non relinqui abscedente gratia et caritate; quod videtur moraliter certum esse etiam quoad eos habitus virtutum moralium, de quibus veteres nonnulli dubitabant. — *Fidem infusam* non quolibet peccato mortali tolli est definitum (quam certum sit eam esse physicum habitum, v. n. 372 ss). Eam infidelitate destrui saltem supponitur obiterque dicitur a Tridentino et etiam propter unanimum theologorum doctrinam est certum. Item ex consensu theologorum certum est *spem* non expelli nisi peccatis directe spei vel fidei oppositis. *Reliquae* sententiae et explicationes sunt liberae et plus minusve probabiles.

466. Prob. A. Iustitia in perpetuum amitti potest.

I. Ecclesia. Tridentinum s. 6 cap. 12 (Dz 805) damnat, «quod iustificatus aut amplius *peccare* non possit aut, si peccaverit, certam sibi *resipiscentiam* promittere debeat». — cap. 13 (Dz 806): «De *perseverantiae* munere... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur.» — cap. 14 (Dz 807) supponit lapsos ab accepta iustificationis gratia; item tota de poenitentia doctrina s. 14, v. g. cap. 1 (Dz 894). — **Clare definitur s. 6 can. 23** (Dz 833): Semel iustificatus *amplius peccare et gratiam amittere* potest. Potuit esse vere iustificatus, qui postea labitur et peccat. — Cf. Viennense, *Err. Beg.* 1 et 2 (Dz 471 s). — Innocentius XI, *Err. Molinos* 52 61 (Dz 1272 1281). — Clemens XI, *Err. Quesnelli* 43 (Dz 1393).

467. II. Scriptura saepe docet iustum posse amittere iustitiam reprobunque fieri. **Ezech 33, 12 s**: «Iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacunque die peccaverit.» Si «confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur, et in iniquitate sua... morietur». — **Rom 11, 19—23**: Rami olivae fracti sunt. 22: «Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris.» — Cf. monita ad Galatas (v. g. 5, 4), ad Hebraeos (v. g. 6, 4—8), in Apc (v. g. 3, 11: «Tene, quod

habes»). — Paulus sibimetipsi timet: 1 Cor 9, 27: «Castigo corpus meum . . . , ne forte . . . ipse reprobus efficiar.» — Iudas aliquando iustus fuit, nam Christo datus fuerat a Patre. Tamen tamquam «filius perditionis» periit, et «bonum erat ei, si natus non fuisset» (Io 17, 12; Mt 26, 24).

468. III. Patres. Hieronymus hoc *adversus Iovinianum* defendit (ML 23). — Augustinus, *De corr. et grat.* 13, 40: «Credendum est quosdam de filiis perditionis . . . in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere et aliquamdiu fideliter ac iuste vivere et postea cadere neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri.» — Omnes **Theologi** hoc docent.

469. IV. Ratio. a) Secus superfluae essent et vanae tot *exhortationes* ad iustos, ut caute ambulent ac cum timore et tremore suam operentur salutem (v. n. 176—178). — b) Secus *perseverantia finalis* non esset magnum et speciale donum Dei assiduis precibus impetrandum (th. 21).

470. B. Peccato mortali iustitia amittitur.

I. Ecclesia. 1. Omni. Tridentinum s. 6 cap. 15 (Dz 808) docet «non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam *quocumque alio mortali peccato*, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti» (1 Cor 6, 9s). — can. 27 (Dz 837): «Si q. d. nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio peccato semel acceptam gratiam amitti, A. S.» — s. 7 can. de bapt. 6 (Dz 862): «Si q. d. baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, A. S.» — Cf. conc. Valentinum (a. 855) can. 5 (Dz 324). — **2. Solo. Tridentinum** s. 6 cap. 11 (Dz 804): «Licet enim . . . in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti.» — s. 14 cap. 5 (Dz 899): «Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur», in confessione taceri citra culpam possunt. — Cf. Carthaginense can. 7s (Dz 107s). — Baii pr. 20 (Dz 1020): «Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.»

471. II. Scriptura. 1. Omni. In «catalogis vitiorum» (1 Cor 6, 9s, quem textum affert *Tridentinum* s. 6 cap. 15 [Dz 808]; Gal 5, 19—21; Eph 5, 5; Apc 21, 8) multa peccata

enumerantur, quae a possessione *regni Dei* excludant. — **Ezech 18, 24:** « Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem . . . , omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur; in praevaricatione . . . et in peccato suo . . . morietur. » — Iac 1, 15: « Concupiscentia . . . parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. » — 2. **Solo** (cf. n. 166). Iac 3, 2: « In multis offendimus omnes. » — Mt 6, 12: « Dimitte nobis debita nostra. » — **1 Cor 3, 10 ss:** Qui res inutiles et insolidas super verum fundamentum aedificaverit, fecit quidem, quod poenam meretur, a salute tamen non excludetur. — Quaedam peccata comparantur rebus minimis: *festucae* (Lc 6, 41), *culicibus* (Mt 23, 24). Propter eiusmodi offensiones iustus non amittit amicitiam Dei, ius adoptionis et hereditatis.

472. III. Patres. 1. Omni. Aphraates, *Demonstr.* 6, 14 (R 683): Spiritum Sanctum ne contristemus, « ne forte a nobis recedat . . . Ex homine autem, qui Spiritum ex aqua receptum contristavit, egreditur. » — Athanasius, *Adv. Ar. or.* 3, 25 (R 770): « Cum aliquis vitio aliquo (*διὰ τὴν κακίαν*) a Spiritu defecerit, . . . ille, qui cecidit, non amplius in Deo est, eo quod Sanctus et Paracletus Spiritus . . . ab ipso recesserit. » — Basilii (?), *Sermo ascet.* 1 (R 973: « Peccatum . . . deformavit imaginis [divinae] pulchritudinem . . . Itaque qui Dei similitudinem amisit, is perdidit vitae consortium. » — Augustinus, *De Gen. ad litt.* 8, 12, 26 (R 1701): « Homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem continuo tenebratur; a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. » — *De corr. et grat.* 6, 9 (R 1944): « Si autem iam regeneratus et iustificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere: Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. » — 2. **Solo.** Patres contra *Iovinianum* et *Pelagianos* pugnantes (cf. n. 166 s; P V n. 376 et IX pr. 30).

473. IV. Theologi. 1. Omni. Thomas, *S. th.* 2, 2 q. 24 a. 11, tractans de caritate, docet: Caritas quidem *patriae* non potest amitti, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis, in quantum omnis actualis motus eius fertur in Deum; caritas vero *viae* non sic replet potentialitatem sui subiecti; hinc quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, per quod amittatur. — a. 12: Amittitur per omnem actum peccati mortalis, quia « quilibet actus peccati mortalis *contrariatur*

caritati secundum propriam rationem, quae consistit in hoc, quod *Deus diligatur super omnia* et quod *homo totaliter illi se subiciat*, omnia sua referendo in ipsum » et quod praeceptorum eius regulam in omnibus velit sequi. — Cf. 3 q. 86 a. 3: Per *poenitentiam* nequit unum peccatum sine alio remitti; nam « nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autem peccatum mortale *contrariatur gratiae* et excludit eam. » — 2. **Solo.** Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 71 a. 4: « Peccatum veniale, quod non *contrariatur caritati* nec excludit ipsam, per consequens etiam non excludit alias virtutes. » — Cf. 2, 2 q. 24 a. 12 ad 1 et 4.

474. **V. Ratio.** 1. **Omni.** a) Peccato mortali homo *se voluntarie avertit a Deo*, fine ultimo, atque se ipsum constituit *Dei inimicum*. Ergo iustum est, ut Deus quoque se avertat ab homine mortaliter peccante, destruat gratiam et solvat vinculum amicitiae. — b) Per quodlibet peccatum mortale actuale connaturaliter inducitur status peccati mortalis sive *peccatum mortale habituale* (nisi Deus statim remittat peccatum; sed non vult remittere nisi facta retractatione per poenitentiam; v. *Tridentinum* s. 14 cap. 4 [Dz 897]). Atqui peccatum habituale est *forma gratiae contraria*. Per gratiam enim homo formaliter est *amicus Dei* et *heres regni caelestis*, per peccatum vero est formaliter *Dei inimicus* et *aeternae damnationis reus*. Ergo accedente forma peccati habitualis necesse est, ut recedat forma gratiae¹. — 2. **Solo.** In natura peccati venialis nihil est, quod cum gratia habituali pugnet. Nam per gratiam homo constituitur in recto ordine ad finem ultimum supernaturalem. Homo autem iustus peccatum veniale committens ita affectus est, ut se et omnia sua ad Deum ordinet, in quantum *essentialis ad finem ultimum ordinatio* id exigit. Deum habitualiter amat super omnia, serio vult manere eius amicus, neque faceret illud peccatum, si eo amicitia cum Deo solveretur. Sed Deus non deserit, nisi prius deseratur. — Neque *inter homines pater*

¹ Sane gratia, quae est ens physicum supernaturale, non potest *physice* destrui per aliquem actum peccaminosum sive illa privatione morali affectum, in qua consistit malitia moralis. Sed hic actus est ratio, cur Deus, qui solus gratiam produxit et conservat, ab ea conservanda cesset. Itaque inter peccatum habituale et gratiam sanctificantem est repugnantia saltem *physica* et probabilius *metaphysica* (n. 438 s); sed peccatum actuale non nisi ut causa *moralis, dispositive* scil. et *demeritorie* ideoque *indirecte* gratiam destruit. Peccatum enim est animae dispositio gratiae contraria et meretur, ut Deus eandem gratiam subtrahat.

propter exiguam quandam offensam filium odit et hereditate privat. Hoc Deus eo minus faciet, quia homo ne cum iis quidem auxiliis, quae sibi ordinarie comparare potest, moralem potentiam habet vitandi omnia prorsus peccata venialia (n. 163 ss). — Cf. P IX pr. 30, praesertim n. 530.

475. C. Quoad singula dona.

1. **Caritas** est inseparabilis a gratia sanctificante (v. n. 391—394). **Tridentinum** promiscue utitur utroque vocabulo. — Secundum s. 6 cap. 7 (Dz 800) perfecta unio cum Christo fit per fidem accedente spe et caritate. Quoniam amissa gratia ista unio dirumpitur, saltem etiam caritas amittitur. In can. 28 (Dz 838) *amisisse gratiam* retenta fide idem est ac fidem *sine caritate* habere. — **Scriptura** proxime loqui videtur de caritate *actuali*, sed **Traditio** tales textus recte etiam de caritate *habituali* intellegit. Qui enim habitum caritatis servat, connaturaliter saepius actum caritatis elicit. Sed dicitur 1 Io 4, 7 16: «Omnis, qui diligit, ex Deo natus est... Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.» 3, 14: «Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte.» Cf. Io 14, 23; 1 Cor 13, 1—3. — Iac 1, 12: Coronam vitae Deus repromisit diligentibus se. — Ex his et similibus textibus, quibus *Scotistae* voluerunt realem *identitatem* gratiae et caritatis probare, saltem sequitur *inseparabilitas* utriusque doni. Nam secundum hos textus omnis, qui Deum actu diligit, et consequenter qui habitualiter dispositus est ad Deum diligendum, aliis verbis: qui habet *caritatem* infusam, simul habet veram vitam animae, unionem cum Deo et ius hereditatis, i. e. habet *gratiam* sanctificantem. Quare *vice versa* ille, qui hac *gratia* privatus est, non diligit Deum caritate infusa neque habitualiter ad hanc dilectionem dispositus est sive amisit habitum *caritatis*. — Augustinus (n. 399): Gradus caritatis gradui iustitiae correspondet. Quare iustitia amissa nihil caritatis remanet. — **Ratio**. Iustificatio importat amicitiam, i. e. *mutuum amorem*, inter Deum et hominem (v. n. 452 c). Ut Deus hominem amore amicitiae amet, necesse est, ut homo per *gratiam* sanctificantem Deo sit supernaturaliter amabilis. Ut homo Deum constanter tamquam amicum diligere possit, requiritur habitus infusus *caritatis*. Quare haec duo intime inter se cohaerent. — Aliam rationem v. n. 473, 1: Quodlibet peccatum mortale contrariatur caritati.

476. 2. Inhabitatio Spiritus Sancti. Dubitatum est, num omnis iustificatio (in V^oT^o, ante confirmationem; cf. n. 444) importet inhabitationem; sed *nemo dubitavit*, quin simul cum gratia semper expellatur Spiritus Sanctus inhabitans. — Patres graeci tamquam effectum peccati maxime hoc exhibent, quod homo a Spiritu Sancto deseratur (cf. n. 472). — Thomas, *S. th.* 1 q. 43 a. 3: Missio invisibilis fit secundum solam gratiam gratum facientem.

477. 3. Dona Spiritus Sancti ab iis, qui tenent ea esse habitualia, affirmantur simul cum gratia sanctificante destrui. Reddunt enim hominem facile et connaturaliter mobilem a Spiritu Sancto, ad quem animam referunt « ut ad motorem familiarem atque inhabitantem » (*Billot, Virt.* p. 182 s). Etiam peccatores inspirantur et moventur a Spiritu Sancto (Tridentinum s. 14 cap. 4 [Dz 898]), sed non tam frequenter nec connaturaliter. Sua culpa male sunt dispositi ad finem ultimum; hinc non convenit, ut habeant in se supernaturalia principia, quibus bene disponantur evadantque facile mobiles relate ad eos S. Spiritus impulsus, quibus ducantur in vitam aeternam. — Sinere se regi a Spiritu Sancto signum est *filii Dei*. « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei » (Rom 8, 14; cf. n. 427). — Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 68 a. 5: « Dona Spiritus Sancti *connectuntur* sibi invicem *in caritate*, ita scil., quod qui caritatem habet, omnia dona Spiritus Sancti habet, quorum nullum sine caritate haberi potest. »

478. 4. Virtutes morales infusae ab iis, qui eas defendunt, considerantur tamquam *facultates* seu proprietates superioris naturae, cuius ultimum principium est *gratia* sanctificans, vel tamquam *instrumenta*, quibus *caritas* quasi forma omnium virtutum utatur. Connaturaliter igitur exigunt subiectum, quod sit *bene ordinatum* ad finem ultimum supernaturalem sive quod possit ad vitam aeternam *meritorie operari*. Hac ordinatione et vivificatione cum gratia et caritate sublatis virtutes infusae *non supponendae*, sed *probandae* sunt remanere ut habitus informes. *Positiva argumenta* praesto sunt pro remanentia fidei et spei, sed quoad virtutes morales *desunt*. — Paucissimos theologos, qui *indiscriminatim* hos habitus remanere asserebant, *Ripalda* (l. 6 disp. 128 n. 45) temeritatis accusat. Eos, qui praeter fidem et spem ex pari ratione, scil. ad faciliorem praeparationem novae iustificationis, habitum *poenitentiae* servari autumabant, idem theologus (n. 75 fin.) monet omnem habi-

tum destrui peccato ipsi *adversante*, quodlibet vero peccatum mortale adversari poenitentiae¹. — Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 65 a. 2: Virtutes morales non possunt esse sine *prudentia*, neque prudentia sine aliis virtutibus moralibus. Ad prudentiam autem requiritur, « quod homo bene se habeat *circa ultimum finem*, quod [in hoc ordine] fit *per caritatem* ». Ergo prudentia infusa non potest esse sine caritate, neque aliae virtutes morales infusae, quippe quae supponunt prudentiam infusam. — Cf. 1, 2 q. 71 a. 4.

479. 5. a) **Fides non tollitur quolibet peccato mortali. Tridentinum** s. 6 cap. 15 (Dz 808) docet « etiam quocumque alio mortali peccato, *quamvis non amittatur fides*, acceptam iustificationis gratiam amitti ». — **can. 28** (Dz 838) definit: Amissa gratia *non semper amittitur* fides; fides, quae remanet, est *vera fides*², licet non sit viva; ille (baptizatus), qui fidem sine caritate habet, est christianus. — Aperte loquitur concilium de eadem fide, *cuius infusionem cap. 7 docuit*. Haec autem certo est *habitus*, non actus moraliter permanens (v. n. 376)³. — Etiam cap. 7 (Dz 800) *supponitur* aliqua fides infusa, quae sine spe et caritate existat, non perfecte uniens cum Christo, mortua et otiosa. — Damnantur Iansenistarum pr. 12 (Dz 1302), quae in magnis peccatoribus remanere fidem divinam negat, et Quesnelli pr. 51 ss (Dz 1401 ss), quibus fides nimis arcte cum caritate nequitur. — **Scriptura** loquitur de fidelibus, qui graviter peccant, sed fidem non abiciunt. Traditio hoc interpretatur *non de solo actu fidei* non retractato, sed insuper de *habitu* servato. — Mt 7, 22 s est sermo de multis, qui in nomine

¹ Textus Patrum, qui pro hac re afferri solent (v. g. P VIII 32 42 82), non distincte agunt de habitibus infusis. Porro « impii », quibus omnem veram virtutem denegant, secundum terminologiam illius temporis sunt infideles; secus nimum sequeretur ex iisdem testimoniis, scil. omnem peccatorem fide quoque et spe destitui.

² *Vera* non intellegitur de veritate *logica*, quia vera dogmata affirmat, sed de *ontologica* veritate: fides, in cuius actibus verificatur genuina definitio actus fidei theologicae. Similiter Vaticanum s. 3 cap. 3 (Dz 1791) de fide informi loquitur.

³ Quia fides remanere dicitur, post Tridentinum non sine temeritate defenderetur sententia eorum veterum, qui ponebant *loco* fidei formatae infundi *alium* habitum fidei informis. De hac opinione Magister, *Sent.* 1. 3 d. 23 n. 5: Minus probabilis est, etsi sine periculo teneri possit. — Thomas, *S. th.* 2, 2 q. 4 a. 4, eam maxime ex hac ratione refutat: « Non videtur esse conveniens, ... quod aliquod *Dei donum* homini infundatur *propter peccatum mortale*. » Interim ista sententia diu ab omnibus derelicta est.

Iesu miracula pataverunt, id quod fidem supponit, sed ne tunc quidem habuisse videntur caritatem (« Quia nunquam novi vos »). — 1 Cor 13, 2 ponitur casus, quod quis summum habeat gradum fidei (fidem miraculorum et consequenter eius suppositum, fidem dogmaticam) neque habeat caritatem. — Iac 2, 14: Fides sine operibus non potest salvare. — Parabolae zizaniorum, sagenae, vestis nuptialis, virginum fatuarum (Mt 13, 24 ss 47 ss; 22, 11; 25, 1 ss) ostendunt regnum Dei terrestre, i. e. Ecclesiam sive coetum *fidelium*, constitui tam iustis quam peccatoribus. — **Patres** bene norunt fidem mortuam absque operibus caritatis; v. g. **Augustinus**, *De fide et operibus* (cf. n. 339, 2); *De Trin.* 15, 18 (R 1679): « Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. » — **Scholastici** haec explicant de *habitu* fidei informis. Sat multi theologi (v. g. *Mazz.*, *Virt.* n. 195) propter Tridentinum hanc doctrinam dicunt esse *de fide*; alii de definitione dubitant, sed eam habent omnino *certam*. — **Ratio** non videtur *ex interna natura* huius doni demonstrare posse non quolibet peccato mortali illud tolli, sed rectius id *ex positiva lege Dei* derivat¹. Ostendit autem convenientiam huius institutionis: Peccator, quamdiu Deo fidem non denegat, *non penitus ab eo se separat*. Quare Deus quoque convenienter non totaliter ab ipso se retrahit, sed benigne relinquit illud donum supernaturale, quod est « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis » (Tridentinum s. 6 cap. 8 [Dz 801]). Sic peccator manet *quadamtenus dispositus* ad iustificationem recuperandam. — Neque quidquam obstat benignae huic conservationi, quoniam, secus ac quoad caritatem, non omne peccatum mortale contrariatur fidei (cf. Thomas, *S. th.* 2, 2 q. 24 a. 12 ad 5).

480. b) **Fides tollitur peccato directe opposito**, i. e. infidelitate. **Tridentinum**, licet probabilius non intenderit hoc docere, tamen id *supponit obiterque dicit s. 6 cap. 15* (Dz 808): « ... infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur ». — Secun-

¹ Sunt diversae sententiae de connexionione virtutum infusarum cum gratia et caritate: a) Est nexus adeo *essentialis* omnium virtutum, praeter fidem et spem, cum gratia et caritate, ut ne per potentiam quidem Dei absolutam separari possint. — b) Hic nexus est *connaturalis*, iterum exceptis fide et spe. — c) *Connaturalis* nexus etiam fidem et spem cum reliquis coniungit; sed *Deus ex lege extrinseca fidem et spem praeter exigentias naturales conservat*. — d) *Nullus est nexus ex natura rerum necessarius*; tam destructio quam conservatio ex Dei ordinatione externa dependet (v. *Mazz.*, *Virt.* 196; *Suar.* 11, 3, 11; *Rip.* disp. 128 s. 4 s). — Probabilior videtur tertia sententia propter analogiam gratiae et virtutum ad animam eiusque facultates (cf. n. 388).

dum **Scripturam** quidam fideles negata fide ad infidelitatem redierunt, et Traditio id explicat de amisso *habitu* infuso. 1 Tim 1, 19: Docendo aliquam haeresim «quidam ...circa fidem naufragaverunt»; 2 Tim 2, 18: «...qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam». — 1 Tim 4, 1: «In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.» — Possibilitatem eiusmodi apostasiae supponunt monita in Gal, Hebr, 1 Io, Apc (cf. n. 467). — **Patres**, v. g. Tertullianus, *De praescr. haer.* 37 (R 298): «Si enim *haeretici* sunt, *christiani* esse non possunt.» — Basilius (?), *De fide* 1 (R 972): «Manifestus a fide lapsus...». — Augustinus, *Enarr. in Ps* 55, 19 (R 1469): «Fidem nemo perdet nisi qui spreverit.» — **Theologi**. Thomas, *S. th.* 2, 2 q. 5 a. 3: «In haeretico discrepente unum articulum fidei non manet fides neque formata neque informis.» Oppositam Durandi sententiam omnes theologi reiciunt. — **Ratio**. Convenit, ut Deus subtrahat eum habitum, quem homo *actu contrario* demeritorie et dispositive abicit, et ut adultus, qui libere amplexus est fidem, libere quoque eandem retineat. — Peccatum, quod fidem destruit, est illud, cum quo non potest stare motivum fidei theologiae; scil. est *infidelitas positiva, formalis, pertinax* (Mazz., *Virt.* 229—231; cf. P VIII pr. 23 et n. 466), ad quam pertinet etiam *voluntaria dubitatio*, in quantum tali infidelitati moraliter aequivalet.

481. 6. a) **Spes non tollitur quolibet peccato mortali.** Damata est Quesnelli pr. 57 (Dz 1407): «Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.» — Theologorum unanimis est sententia. Medina iudicat id esse *de fide*, Suarez (11, 5, 15) esse omnino *certum*. — **Thomas**, *S. th.* 1, 2 q. 65 a. 4: «Fides et spes possunt esse sine caritate»; ad 1: «...secundum proprias rationes *nec a prudentia* [sicut virtutes morales] *nec a caritate* [sicut prudentia] dependent». — q. 71 a. 4: Fidei et spei «habitus remanent informes post peccatum mortale». — **Ratio** similem *conventioniam* atque quoad fidem ostendit (Thomas, 2, 2 q. 24 a. 12 ad 5; P VIII 86). — b) **Spes tollitur indirecte**, quoties destruitur fides, quae est necessarium eius fundamentum tamquam «sperandarum substantia rerum» (*ἐπιζόμενον ὑπόστασις*, Hebr 11, 1). Quoniam actus spei infideli est impossibilis, Deus habitum spei in eo non amplius conservat. **Directe** destruitur eo actu, qui immediate *contrariatur motivo spei*. Tale peccatum omnibus consentientibus saltem est **desperatio**. De prae-

sumptione theologi non omnino concordant. Suarez (11, 7, 2) propugnat eam *numquam* excludere habitum spei, cum nihil aliud sit nisi *inordinata tendentia* in id, quod spes ordinate appetat. Sylvius (*In 2, 2 q. 21 a. 2*) *distinguit*: Non tollitur spes ea praesumptione, qua solum *exceditur in modo* sperandi; tollitur autem, si quis praesumit veniam et beatitudinem *independenter* aut *ab omni auxilio Dei* aut *ab omnibus bonis operibus* ope Dei factis consequi (*Mazz.*, Virt. 233). Ceterum talis praesumptio vix possibilis est sine haeresi, quae cum fide etiam spem excludit.

482. Schol. 1. Num habitus infusi maneant in altera vita (P VIII 90—92; III 477 s 485 s; *Lah.*, Virt. 42—44; *Schiff.*, Virt. 46s; *Thomas*, S. th. 1, 2 q. 67). a) Beati retinent gratiam, caritatem, quae cum actu suo «nunquam excidit» (1 Cor 13, 8), virtutes morales, quae tamen non possunt versari circa omnes actus viae (v. g. poenitentiae, mortificationis), dona S. Spiritus (cum eadem restrictione, v. *Thom.*, 1, 2 q. 68 a. 6). Certo cessabunt *actus fidei* et *spei*, id quod definiivit *Benedictus XII* (Dz 530). *Habitus* igitur nonnisi ut ornamentum animae remanent; sed theologi communissime docent infuso lumine gloriae *habitus fidei* tolli. *Habitus spei*, cum non respondeat novus habitus patriae, a nonnullis dicitur manere et elicere actus amoris concupiscentiae. — b) Animae purgatorii retinent omnes habitus viatorum. — c) Dammati amittunt omnes habitus infusos nec quidquam supernaturale retinent nisi characteres sacramentales (cf. *Pesch* VI n. 200). Fides daemonum (Iac 2, 19) non est vera fides theologica.

483. Schol. 2. De inaequalitate iustitiae (P 378; *Ber.* 938 ad 942; *Mazz.* 1098—1101 1109—1111; *Lah.* 330—332; *Thomas*, S. th. 1, 2 q. 112 a. 4; 2, 2 q. 5 a. 4). Iovinianus cum Stoicis omnia opera bona omniaque peccata statuit esse aequalia, et consequenter etiam iustitiam et iniustitiam, beatitudinem et damnationem. Protestantes, licet inaequalitatem operum et virtutum admiserint, iustitiam ab hisce dependere negaverunt. Iustitia Christi secundum *Lutherum* omnibus credentibus aequaliter, secundum *Butzerum* pro diversa fide fiduciali magis minusve imputatur. — **Tridentinum** docet a) iam in prima iustificatione non ab omnibus aequalem iustitiam recipi, sed «secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus* partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cuiusque *dispositionem et cooperationem*» (s. 6 cap. 7 [Dz 799]); b) iustificatos in

ipsa iustitia accepta *crescere* atque magis iustificari posse (cap. 10 [Dz 803]). Ergo iustitia est inaequalis tum in prima iustificatione diversarum personarum (adularum), tum in eadem persona pro diverso tempore. — Cf. Io 14, 2; 1 Cor 15, 41; Iob 1, 8; Luc 1, 28. — Ambrosiaster, *In 2 Tim 2*, 20 (ML 17, 491); Hieronymus, *Adv. Iov.* 2, 20 23 (ML 23, 320 325); Augustinus, *Epist.* 167, 13; 187, 17.

484. *Schol. 3. De augmento gratiae et virtutum.*

P V pr. 32; VIII pr. 4. — Mazz., *Virt.* 120—182. — Lah., *Virt.* 32—40. — Schiff., *Virt.* 34—40.

Non intellegitur augmentum *extrinsecum* sive *extensivum* (extensio ad plura obiecta materialia, v. g. fidei ad plures veritates explicite credendas, caritatis ad plures homines propter Deum diligendos), neque maior *facilitas* (cf. P VIII n. 14), *firmitas*, immobilitas, per actus repetitos acquirenda, sed augmentum *internum* habitus ex parte sua *subiectiva*, sive prout ipse est aliqua physica entitas supernaturalis in anima. Tale augmentum *intensivum* vel eius suppositum Iovinianus et Protestantes negant. Beguardi possibilem in hac vita statuunt gradum tantae perfectionis, ut amplior in gratia profectus fieri non possit.

485. **Ecclesia** istam prop. 1 Beguardorum in concilio Viennensi reiecit (Dz 471); adversus Protestantes definivit in **Tridentino s. 6 cap. 10** (Dz 803) iustificatos per observantiam mandatorum in ipsa iustitia (ergo *interne*) per Christi gratiam accepta (i. e. in ea iustitia infusa et *inhaerente*, de qua in cap. 7), cooperante fide bonis operibus (non sola fide fiduciali) *crescere atque magis iustificari*. Hoc incrementum iustitiae dein explicatur per *augmentum virtutum theologicarum*. Innuitur progressus in indefinitum: «de virtute in virtutem», «de die in diem», neque ullus alius terminus agnoscitur nisi mors: «usque ad mortem». — can. 24 (Dz 834): Iustitia accepta augetur coram Deo per bona opera; can. 32 (Dz 842): Iustificatus bonis operibus vere meretur augmentum gratiae (cf. n. 703 s). — Sacramenta omnia conferunt gratiam (s. 7 can. 8 [Dz 851]); sed quaedam sacramenta iam praerequirunt statum gratiae, v. g. eucharistia (s. 13 cap. 7 [Dz 880]). Ergo *haec sacramenta augent gratiam*. — **Scripturae** testimonia a Tridentino et theologis explicantur de augendis habitibus vel saltem ad eosdem applicantur. **Apc 22, 11**: «Qui nocet, noceat

adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc; et qui iustus est, iustificetur adhuc (*δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι*), et sanctus sanctificetur adhuc (*ἀγιοσθήτω ἔτι*).» Primum et tertium membrum agunt de *operibus* malis et bonis, sed secundum et quartum potius de *statu* malo et bono. — Prov 4, 18: «Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem» (primario de operibus dictum, sed applicabile ad habitus infusos). Saepe, v. g. 2 Petr 3, 18; 2 Cor 4, 15—17; 9, 8—11; 10, 15; Phil 1, 9; 3, 12 s; Lc 17, 5; Eph 4, 15 s; Col 1, 10 s; 1 Thess 4, 1, est sermo de incremento et abundantia iustitiae, gratiae, fidei, caritatis, de continua hominis interioris renovatione, de studio maioris perfectionis etc. Postquam de infusione habituum gratiae et virtutum constat, tales textus optime intelleguntur etiam de augmento intensivo horum donorum et totius iustitiae inhaerentis¹. — Similiter **Patres** loquuntur (v. P V 380; VIII 61). — **Theologi** omnes docent habitus augeri posse in indefinitum, ex opere operantis et ex opere operato. De philosophica explicatione huius augmenti multum disputant. — **Thomas, S. th.** 1, 2 q. 52 agit de augmento habituum; q. 66 de aequalitate virtutum; 2, 2 q. 24 a. 4—7, utrum, quo modo, quibus actibus, quousque caritas augeri possit.

486. Ratio explicat hoc augmentum. a) Causa *efficiens physica* est Deus. Causa *instrumentalis moralis* sunt sacramenta ex opere operato et actus meritorii ex opere operantis². Causa *formalis* est ipsa physica intensio harum qualitatum supernaturalium. Quam *Thomistae* explicant per maiorem radicationem in subiecto, *Durandus* per productionem novae qualitatis intensioris deleta priore remissione, *Albertus M., Bonaventura, Scotus* cum *Scotistis* per additionem graduum, qui inter se ad unam qualitatem constituendam uniantur; cui explicationi *Suarez* addit gradus non esse homogeneos, sed heterogeneos; hanc sententiam *Vazquez* impugnat³. — In tota

¹ Eccli 18, 22: «Ne verearis usque ad mortem iustificari» in textu *graeco* sensum prorsus alium habet: Persolutionem voti «ne differas, donec morte iustificeris», i. e. ab hoc onere libereris.

² Qui actus praeter meritum morale etiam *physicam* quandam dispositionem et exigentiam augmenti intensivi habituum producere videntur (cf. n. 342 analogam quaestionem de actibus ad primam iustificationem disponentibus).

³ De his v. M. Limbourg S. J., Vervollkommnungsfähigkeit des Habitus; Vermehrung und Verlust der Gnade und Tugend (ZkTh 10 [1886] 107—141 277—312). Ipse tandem dicit (p. 120): «Nach allem vollzieht sich die subjektive Verstärkung oder innere Stei-

hac disputatione nonnumquam oblivioni datum videtur accidens non esse id, quod est, sed «ens entis» sive id, quod est aliquid.

b) Terminum internum hoc augmentum non habet. Istae enim qualitates supernaturales ex natura sua sunt *in indefinitum* perfectibiles, produciuntur a Deo omnipotente et recipiuntur ab anima secundum potentiam oboedientialem, quae tam late patet quam interna possibilitas seu non-repugnantia rerum; sed non repugnat quocumque gradu collato conferri gradum superiorem. Ergo ne humana quidem natura Christi summum, qui cogitari potest, gratiae creatae habuit gradum. Terminus externus habetur *ex libera Dei ordinatione*, qui singulis hominibus determinatam copiam gratiarum externarum et internarum, determinatum vitae spatium etc. praedestinat et confert. Quanto studio singuli hisce gratiis occasionibusque salutis usuri et consequenter quantum augmentum gratiae habitualis per bona opera et sacramenta sibi comparaturi sint, Deus praevidet. Impossibilitate hanc Dei praevisionem *consequente* nemo potest ultra istum gradum a Deo praevisum et praedestinatum proficere. At neque *antecedenter* quilibet gradus cuilibet est attingibilis. Nam licet homo aliquis cum omni gratia per totam vitam ea, qua absolute posset, diligentia cooperaretur nullamque occasionem augendi iustitiam praetermitteret, non perveniret nisi ad determinatum aliquem gradum sanctitatis, qui immensa adhuc distantia infra sanctitatem Christi et matris eius maneret; sicut *limax*, quamvis per totam vitam ulterius usque repere possit, tamen non permittitur tantum itineris, quantum *aquila* paucis pervolaverit diebus (exemplum Patris *De Coninck*, apud P VIII 72). — Communiter homines, si diligentius uterentur gratiis oblati, multo maiorem assequerentur sanctitatis gradum, quam de facto sibi acquirunt.

c) De nexu inter augmentum gratiae et augmentum virtutum variae sunt sententiae: *α)* Vazquez et alii: Habitus *fidei* et *spei* non omnibus, quibus gratia augetur, actibus, sed *propriis tantum actibus* augentur. — *β)* Suarez aliique: Habitus formati crescunt simul cum gratia; *informes per pro-*

gerung des Habitus dadurch, dass die mit seinem Wesen gegebene Steigerungsfähigkeit durch höhere in innerer Hinordnung zu einander stehende Grade fortschreitend sich verwirklicht, er selbst auf diese Weise einer grösseren Seinsvollendung zugeführt wird und so tiefer in seinem Träger wurzelt und diesen zu grösserer Wirksamkeit befähigt. »

prios actus ex merito de congruo augentur. — γ) Ripalda: *Crescente gratia* omnes virtutes augentur; ea non crescente nulla augetur virtus; habitus informes crescere non possunt. Huic sententiae *plerique auctores moderni* subscribunt (P 77; Lah. 35; Mazz. 145). *Schiffini* vero (40), cum censeat fidem et spem propter primos actus harum virtutum iam ante gratiam sanctificantem infundi (v. n. 400, 1), pariter censet eas independenter a gratia, in statu scil. informi, augeri posse. — Sententia Ripaldae bene conformis est doctrinae Tridentini, quod s. 6 cap. 10 (Dz 803) de augmento totius iustitiae inhaerentis ita loquitur, ut eadem tamquam unum quid et aequaliter quoad omnes suas partes crescere videatur; quod incrementum Ecclesiam dicit petere, cum oret: «Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.» — Ergo *probabilius* quoad gradum intensionis *omnium donorum infusorum proportio aequalitatis semper servatur.*

d) Utrum omnes actus salutares iustorum an intensiores tantum augeant habitus gratiae et virtutum, multum disputatum est (similem quaestionem de *reviviscentia meritorum* v. P VII 334 ss). Communi consensu habitus augentur per actus *intensos*. Quoad actus *remissos* aliquod augmentum saltem *in actu primo*, i. e. ius quoddam ad accipiendum augmentum, non negatur nisi a *Bannez* et paucis Thomistis propter priora S. Thomae scripta. Sat multi negant istud augmentum statim dari *in actu secundo*. Iuxta alios differtur usque ad *glorificationem* vel usque ad *ultimum vitae instans*, iuxta alios usque ad *conatum melioris dispositionis*, qui qualis esse debeat, diversimode iterum explicatur. Hodie vero multo communius cum *Suarez*, *Salmanticensibus* etc. statuitur propter omnes actus meritorios, etiam remissos, *illico conferri* aliquod augmentum gratiae et virtutum. Scriptura enim et Tridentinum *universaliter*, nulla addita restrictione, per actus salutares iustos in iustitia, sanctitate, virtutibus proficere docent¹. — Fuse de his quaestionibus agit Mazz. 149—173.

487. **Schol. 4.** Num habitus infusi minuantur sive remittantur (P V 377; VIII 93—96; Mazz., Virt. 242—256; Lah., Virt.

¹ S. Thomas priorem sententiam, quae actibus remissis augmentum negabat, postea sat clare *retractavit* (S. th. 1, 2 q. 114 a. 8 ad 3; 2, 2 q. 24 a. 6 ad 1). Docet quidem augmentum, quod actus remissi mereantur, *non statim* dari; sed eius auctoritas superatur auctoritate posteriorum theologorum, qui de hac re iudicarunt, postquam per Tridentinum et longas disputationes magis elucidata fuit.

40 s; Ber. 946—948) ¹. *Habitus acquisiti* experientia teste actibus oppositis et neglecto propriorum actuum exercitio remittuntur. Hoc autem non licet simpliciter transferre ad *habitus infusos*, quippe qui non adeo ad augendam *facilitatem* agendi, quam ad conferendam *facultatem agendi supernaturaliter* dantur atque a solo Deo physice producuntur, augentur, destruuntur. Sine dubio Deus potest *habitus* remittere, sicut eos potest intendere. Sed non remittet nisi *ex rationabili causa*. Quae alia esse non potest nisi aliquod *demeritum* ex parte hominis, et quoniam peccatum mortale plurimos *habitus* penitus destruit, cogitandum est de *peccato veniali*. Atqui peccatum veniale *habitus gratiae et virtutum non minuit*. a) Rationem dat S. Thomas, S. th. 2, 2 q. 24 a. 10: « Cum aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Deus enim non plus se avertit ab homine, quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet ad ea, quae sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in caritate, per quam ordinatur ad ultimum finem. » — b) Secus auctis peccatis venialibus tandem tota iustitia evanesceret, quod admitti nequit ². — c) Theologi communiter cum S. Thoma diminutionem negant. Dionysius Carth. pro sententia affirmativa non nisi ad paucos antiquos theologos provocare potest. — Venialia peccata utique *minuunt actualem fervorem caritatis* et aliarum virtutum necnon *acquisitam facilitatem* iuxta hos *habitus operandi* ingeruntque *inclinationem ad peccata etiam mortalia*. Hoc modo peccata venialia et cessatio ab exercitio virtutum omnisque tepiditas in vita spiritali ad corruptionem iustitiae infusae *disponunt* (cf. Thom., S. th. 2, 2 q. 24 a. 10). Quare Scriptura et Patres iure monent, peccata venialia ne neglegantur ³.

¹ Cf. etiam *Kath. N. F.* 2 (1859) 1174—96: Kann die einmal erlangte heiligmachende Gnade vermindert werden und wird sie es insbesondere durch lässliche Sünden?

² Hanc consequentiam evadere non poteris, nisi cum Dionysio Carthusiano (*In 1 d. 17 q. 9* [ed. Tornac. vol. 20 p. 59—64]) gratis asserueris istam diminutionem non progressionem arithmetica, sed geometrica fieri (cf. *Mazz.* 251—254).

³ Saepe accommodatur textus Eccli 19, 1: « Qui spernit modica, paulatim decidet », cuius proximus sensus est: Qui prodigus est in modicis, paulatim pauper evadet.

SECTIO QUARTA

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS

CONSPECTUS HISTORICUS

488. **Scriptura** frequenter loquitur de *gratuito Dei influxu interno* in mentem hominis, quo ad salutariter agendum *trans-eun-ter* iuветur. Dicitur enim Deus interne illuminare, aperire cor, docere, revelare, pulsare, excitare, trahere, delectare etc. Huic speciali influxui divino respondent *actus vitales* hominis audientis, discentis, cogitantis, sentientis inclinationem in bonum, amorem et delectationem caelestem. — **Patres**, praesertim Augustinus cum discipulis, et **antiquae Ecclesiae documenta** necessitatem et gratuitatem internae gratiae adversus Pelagianos ita defendunt, ut sicut adversarii non multum distinguere soleant inter auxilia actualia et habitualia. Sane non omnia, quae de illustratione intellectus et inspiratione bonae voluntatis docent, exclusive de gratia actuali intellegenda sunt (cf. *Scheeben, Dogm. III, 2 n. 34*); tamen ea auxilia interna, quae Deus ad peccata vitanda et ad opera salutaria patranda confert, potissimum ut motiones sive actus exhibent: Mens attingitur viso, voluntas impletur motu caritatis et delectatione caelesti etc. Saepe dubium manet, utrum per gratiam excitantem, adiuvantem etc. directe velint exprimere donum creatum divinitus *datum*, an potius ipsam gratuitam Dei voluntatem, i. e. gratiam *dantem* (v. n. 5, 1 et *Scheeben l. c. n. 50*).

489. **Scholastici** adhibitis conceptibus aristotelicis gratiam primo tam exclusive intellegebant *habitualement*, ut internam gratiam *actualement neglexerint* (cf. n. 218 ss 343 ss). Praesertim doctrina S. Thomae de duplici sensu vocis gratiae (donum habituale et gratuitum auxilium Dei interius animam moventis) eo duxit, ut divisio gratiae in habitualement et actualement explicite statueretur. Eam Capreolus († 1444) iam sub hisce vocibus proponit; sed usque ad aetatem posttridentinam gratia actualis *ordinarie sub aliis nominibus* occurrit. Vocari solet *auxilium*

Dei moventis, motio gratuita, influentia specialis etc., atque ea auxilia, quae iustificationem praecedunt, potius inter gratias *gratis datas* numerantur (cf. *Scheeben* n. 41; *Denifle* I² p. 586 not. 3). Nominales et post eos Novatores rectum gratiae actualis conceptum non habuerunt (*Denifle* p. 577 ss 586 ss)¹. — **Tridentinum** secundum rem clare describit gratiam actualem (s. 6 cap. 5 et 6; s. 14 cap. 4); in eiusdem actis saltem semel occurrit terminus (*Ehse* V 434, 44; cf. supra n. 376), sed plerumque Patres et theologi Concilii aliis nominibus utuntur (v. *Hünemann*, Wesen u. Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil v. Trient [Paderborn 1926] 7 ss). — In controversiis de gratia *sufficiente et efficaci*, quae post Tridentinum contra Baianos et Iansenistas et inter scholas catholicas agebantur, doctrina gratiae actualis plene evoluta est, immo adeo praevaluit, ut gratia *habitualis* cum habitibus virtutum infusarum paululum *neglegi* coepta sit, saltem quoad auxilium ad salutariter agendum, quod ex his gratiae donis habetur (*Scheeben* n. 31). Multi auctores recentiores in tractatu de gratia actuali absolvunt quaestiones, imprimis de necessitate et gratuitate gratiae, quae nequaquam ad solam gratiam actualem spectant, et divisiones gratiae (praeventis et adiuvantis, operantis et cooperantis etc.), quas veteres Scholastici primario de gratia habituali intellexerunt, uni gratiae actuali tribuunt².

490. De natura gratiae actualis disputatur praesertim inter scholam *neothomisticam* et *molinisticam*. Haec quaestio magna ex parte est *philosophica*, scil. quatenus dependet a correspondente quaestione de *concursu* Dei naturali, praevio an simultaneo, neque est magni momenti theologici, dummodo separatur ab explicatione *gratiae efficaci*. Hinc non desunt Molinistae, qui gratiam actus liberos physice praedeterminantem prorsus negant et tamen naturam gratiae actualis cum Neothomistis explicant. Intra scholam molinisticam Suarez in quibusdam quaestionibus a Molina recedit. Neque Thomistae quoad omnia inter se concordantes sunt. Certa solutio in hac materia hucusque non videtur esse inventa.

¹ Melanchthon a. 1521 negavit S. Augustinum novisse gratiam actualem: « Die sonderliche Gotteshilf kennt er nicht » (*Den.* p. 587 not. 1).

² Ex hac evolutione tractatus de gratia explicatur, quod Scholastici mediae aetatis multa dicta Patrum falso intellexerunt de *habitibus* et vice versa multi auctores moderni effata veterum Scholasticorum falso de gratia *actuali* interpretantur.

Thesis 18. **Exsistunt auxilia actualia gratiae internae, quae a fontibus exhibentur tamquam illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis immediatae importantque actus vitales indeliberatos et deliberatos.**

491. P pr. 1 et 2. — Van der Meersch n. 255—260 277. — Palm. th. 6—10. — Mazz. n. 107—140. — Lah. th. 4—9. — Schiff. n. 131—140. — Ber. n. 41—65 69—75. — Scheeben, Dogm. III, 2 n. 31—121.

St. qu. 1. Nexus. Post gratiam *habitualement* agemus de gratia *actuali*. Hac thesi agitur de eius *exsistentia* et de *essentia*, quatenus de ea *communiter* inter hodiernos theologos constat. *Sequenti* thesi ea tractabuntur, de quibus sunt *controver-siae* theologicae.

492. 2. **Sensus.** A. Exsistunt auxilia ad actus salutareseficiendos, — non solum *habitualia*, scil. imprimis virtutes infusae, de quibus egimus, — sed etiam actualia, i. e. quae non conferunt permanentem *statum* (iusti, fidelis etc.) neque dantur ad *actus* alicuius virtutis supernaturalis *indefinite multos* efficiendos, sed spectant ad aliquem *particularem actum* salutarem, quo elicitio finem suum attigerunt neque ulterius perdurant. Sunt igitur auxilia natura sua transeuntia ad modum motuum sive actuum animae. — Loquimur de auxiliis gratiae internae. Influxus transeuntes multarum rerum *externarum* adiuvant ad salutem, accedente utique gratia interna, omnisque providentia Dei in hoc ordine inservit salutis supernaturali (cf. P 25). Ista externa adiumenta nunc non curamus, sed in hac sectione non attendimus nisi ad gratias internas, prout th. 1 ad omnem actum salutarem requiri probavimus. Deus et angeli possunt etiam motus internos facultatum *sensitivarum* excitare (P 26). Tamen *sensu stricte theologico* interna gratia salutaris intellegitur ea, quae *superioribus* facultatibus animae confertur; nam ipsae solae, intellectus scil. et voluntas, actus simpliciter supernaturales elicere possunt. Sed ad hoc debent supernaturaliter *elevari* (cf. th. 10). Praeter eam elevationem habitualement, de qua in th. 13 egimus, etiam admittenda est *elevatio transiens* per auxilia actualia. Primo igitur loco *exsistentiam* actualium auxiliorum interiorum et supernaturalium probamus.

493. B. Quid sunt haec auxilia? a) A fontibus, Scriptura, Patribus, documentis Ecclesiae, exhibentur, sive explicitè vel aequivalenter sic vocantur, sive eo modo describuntur, tamquam illustrationes et inspirationes. In fontibus

prior vox non exclusive exprimit influxum in intellectum neque altera exclusive influxum in voluntatem. Omnis enim gratia potest concipi tamquam participatio *divini luminis*, et veteres Scholastici sub «*lumine gratiae*» intellegunt gratiam habitua-lem vel etiam omnes gratias viae; neque ex altera parte quidquam obstat, quominus *intellectuale* lumen dicatur a Deo «*inspirari*» (cf. inspirationem hagiographorum). *Trid.* s. 6 cap. 5 utrumque terminum uno eodemque sensu adhibere videtur. Sed hodie illustrationem ordinarie referimus ad intellectum, inspirationem ad voluntatem. Intellectus illustratur, ut lumine supernaturali elevatus videat, quae expediant ad salutem; voluntati inspiratur sancta affectio, ut possit velle et exsequi opera salutis¹.

b) Hae illustrationes et inspirationes dicuntur immediate in oppositione ad *mediatas* tantum, quae per *auxilia externa* vel etiam per influxum in *facultates inferiores* hominis naturali modo intellectum et voluntatem ad actus moveant. Sed immediata motio intellectus *non* dicit Deum immediate aliquam *speciem cognoscitivam* eidem infundere. Haec esset via prorsus *extraordinaria*, qua per gratiam subito aliquid novi disceremus. Id minime ad omnem actum salutarem requiritur, atque th. 10 et sequ. scholio iam ostensum est absolutam necessitatem gratiae ad salutariter agendum non debere repeti ex aliqua supernaturalitate, sive modali sive substantiali, quae se habeat ex parte *obiecti*, sed potius ex *entitativa* supernaturalitate actus, quae sit ex parte *subiectiva*. Quandocumque Deus influxu speciali immediate influens id efficit, ut oriatur actus intellectualis *nobilioris entitatis subiectivae*, quam ex viribus naturalibus oriretur, recte loquimur de *immediata* intellectus illustratione, licet omnia ad hunc actum ex parte *obiecti* requisita via ordinaria, dirigente utique providentia Dei supernaturali, occurrerint. Ergo etiam illustratio immediata ex ordinaria lege praerequirit *obiectum extrinsecus propositum*, quod piam cogitationem determinare valeat (*Palm.* th. 7 p. 23 ss). Si ad praesentiam talis obiecti intellectus cum concursu Dei generali ita agit, uti ipsius naturae respondet, non habetur immediata intellectus per Deum illustratio. Sin Deus, proposito quidem extrinsecus obiecto, ipse vi sua physice in mente agit, indebito lumine eam elevans, ut veritatem ita apprehendat, prout ad salutem expedit, i. e. actu, qui secundum inter-

¹ Apud Patres «*voluntas*», quae dicitur inspirata, non facultatem, sed *actum volendi* significare solet.

nam entitatem fini ultimo supernaturali proportionatus est, talem actum intellectualem recte vocamus immediatam illustrationem. Hic igitur actus *objective* spectatus nexu naturalis consecutionis cum externo obiecto cohaeret, non secus ac bona cogitatio naturalis, quam illustrationem *mediatam* vocare possumus; sed si idem actus *subiective et efficienter* spectatur, talis nexus deest, quia facultas a Deo immediate iuvatur, ut supra vires naturales eliciat actum, sicut oportet ad salutem. — Ad immediatam inspirationem voluntatis requiritur, ut, positis omnibus praerequisitis atque etiam illustratione immediata, Deus specialiter, gratuito et indebito modo, iterum interveniat, in ipsa voluntate aliquid producendo, quod non ex solo ontologico et psychologico nexu inter exercitium intellectus et voluntatis explicatur. Secus inspiratio erit mediata tantum¹.

c) Quaestionem, utrum in his actibus vitalibus intellectus et voluntatis *tota essentia* gratiae actualis consistat, ad sequentem thesim differimus, interim id tantum, quod ab omnibus theologis conceditur, asserentes: Ista auxilia important, sive in his solis consistunt, sive aliud quid addendum est, actus vitales cognoscitivos et volitivos animae superioris, a Deo dicto modo immediate causatos; aliis verbis: hi actus vitales *pertinent* ad auxilia internae gratiae actualis. Possunt autem hoc munere fungi tam actus indeliberati, qui sine deliberatione sive consilio rationis et consequenter sine libera voluntatis electione fiunt, et deliberati, qui ex deliberatione et libera electione procedunt².

494. 3. Sententiae. a) Pelagiani primum solam *naturam* et beneficia *externa* tamquam gratias efferebant. Postea etiam immediatas illustrationes *intellectus* saltem tamquam utilia adiumenta voluntatis admisisse videntur; sed *immediatum Dei in liberum arbitrium influxum* semper acriter impugnabant. Pelagius *Diospoli* dixit: «Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio» (*Aug., De gestis Pel.* 28, 42; alia dicta v. n. 35). — Semipelagiani quoque omnem videntur negasse gratiam voluntatis, quae primam liberam volitionem boni *prae-*

¹ Illa *consolatio*, quam secundum Librum Exercitiorum spiritualium S. Ignatii (De discret. spirituum, hebd. 2, reg. 2) solus Deus dat «*sine causa praecedente*», non est ea inspiratio immediata gratiae actualis ordinariae, de qua nunc agimus, sed est *extraordinarius* quidam gratuitus in voluntatem influxus.

² De variis actibus voluntatis v. *Thom., S. th.* 1, 2 q. 8ss; *Scheeben* 1. c. n. 68ss; *Fröbes*, Psychol. speculativa II (Friburgi 1927) p. 143ss.

veniat (v. n. 57—59; 172 not. 2; 197 not. 1). — b) Veteres Scholastici generatim non habebant conceptum satis clarum gratiae actualis intrinsecus supernaturalis, vel saltem eam prae habitibus infusis neglegebant (cf. n. 218—228). — c) Sub influxu *Occamistarum* Luther aliique Protestantes hanc gratiam internam falso explicarunt. — d) Baius distinctionem inter gratiam habitualem et actualem non curavit (n. 77). Iansenistae solam *caritatem* exclusis aliis affectibus (ut timoris) tamquam veram gratiam salutarem agnoverunt (n. 82). Iis propinqui sunt Augustinenses (87). Quesnel gratiam dixit esse voluntatem omnipotentis Dei (85). — e) Andreas Vega O. M. Obs. († 1560), *Trid. decr. de iustif. expositio* l. 6 cap. 8, falso intellegens dictum *Aristotelis* «intellegere esse quoddam *pati*» et canonem 20 *Arausicani* (Dz 193), certum esse putat excitantis gratiae opera posse Deum se solo causare; non esse tamen omnino certum Deum hunc modum semper servare. «Verum tandem pensatis omnibus *probabilius* videtur a Deo totaliter, vel per se ipsum vel per angelos suos, et *semper sine nobis* produci vocationes, illuminationes, inspirationes seu bonos affectus, quibus Deus nos per se vocat et excitat ad poenitentiam. Quod in concilio 2° *Arausicano* videtur diffinitum.» — f) Petavius, *De dogm. pel. ac semipel.* cap. 10, Vazquez, *In 1, 2 disp.* 185 cap. 6, et pauci alii dicunt sufficere eam inspirationem voluntatis, quae ex supernaturali illustratione intellectus sponte et connaturaliter oriatur *sine immediata inspiratione voluntatis*. — g) Quomodo concipienda et explicanda sit ista Dei influentia *immediata*, paulatim clarius et rectius cognitum est neque nunc ab omnibus theologis prorsus eodem modo statuitur (cf. th. 10 et schol.).

495. 4. **Qualificatio.** Thesis in genere est theologice certa. — De fide est dari speciales *illustrationes et inspirationes internas* praeter connaturalem externae doctrinae et legis in facultates humanas influxum. — Eas *non* posse omnes explicari *per solum influxum habituum infusorum* ex revelatis et definitis certo deducitur atque a theologis communiter docetur. — Opinio *Vegae* est philosophice falsa. — Sententia *Petavii* satis dissonat a modo loquendi fontium, licet fortasse quoad rem non adeo multum distet a sententia communi. — Explicatio *per entitativam* elevationem horum actuum vitalium videtur hodie esse moraliter certa, explicatio *per elevationem ex sola parte subiectiva* actus multo probabilior (cf. n. 296 308—310).

496. Prob. A. Exsistunt actualia auxilia gratiae internae, etiam independentia ab habitibus infusis.

I. Ecclesia saepe tamquam gratias *internas et absolute necessarias* exhibet eiusmodi auxilia transeuntia, intellectui et voluntati data, eaque ita describit, ut non possint concipi tamquam meri effectus donorum *habitualium*. Hoc maxime valet de *primis motibus salutaribus* infideli collatis, ubi nihil insinuat iam antecedenter ad eos infundi aliquem habitum; praesertim infusio habitus exclusa esse videtur, quando dicitur inspiratio gratiae et recipi et *abici posse*.

Indiculus cap. 8 (Dz 134): «Praeparatur voluntas [i. e. volitio] a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum»; cf. cap. 9. — Arausicanum can. 3—8 (Dz 176 ss) primos motus bonae voluntatis fieri negat nisi «per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos» (can. 4), «per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem [i. e. volitionem] nostram» (can. 5). Nemo potest ad gratiam baptismi venire, nisi quem Pater attraxerit (can. 8).

Tridentinum s. 6 cap. 5 (Dz 797) describit gratiam praevenientem aduكتورum tamquam aliquam vocationem, qua peccatores vocantur, ut convertant se ad suam iustificationem et disponantur, ita ut tangat Deus cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem. Hanc vero inspirationem homo recipiens etiam abicere potest. — **cap. 6** (Dz 798) actus describuntur, quibus homines, excitati divina gratia et adiuti, ad ipsam iustitiam disponuntur. Infusio virtutum habitualium cap. 7 (Dz 799 s) clare ab actibus praeparatoriis praecedentis capituli distinguitur (cf. n. 376). Ergo gratia, qua iuxta cap. 6 hi actus excitantur et adiuvantur, est actualis¹. — s. 14 cap. 4 (Dz 898) docetur

¹ Posset quidem absolute aliquis doctrinam de mutua causalitate inter actum dispositivum et habitum, de qua quoad ultimam dispositionem et gratiam sanctificantem egimus (n. 343 ss), ad omnem dispositionem et habitum infusum transferre (cf. *Huarie de Stuffer: Gregorianum* 6 [1925] 107; *Suar.* l. 8 cap. 11 n. 1); nam probabilis est sententia, quae docet habitus fidei et spei iam occasione primi actus harum virtutum infundi (v. n. 400 ss). Sed istam opinionem de mutua causalitate tamquam *philosophice impossibilem* reiecitimus, et ipsi illi auctores, qui ultimam dispositionem ex sola gratia habituali procedere contendunt, divisionem gratiae in habitualem et actualem cum reliquis theologis tamquam necessariam admittunt (v. n. 345 et 500). — Quando interna gratia, qua Deus cor hominis tangit, abicitur sive quando liberum hominis arbitrium a Deo excitante atque vocante dissentit (cf. *Trid.* s. 6 cap. 5 et

attritionem esse « Spiritus Sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis ». Secundum *obvium sensum* intellegitur motio per influxum *actualem*.

Idem valet de damnatione pr. 63 et 64 Baii (Dz 1063 s) reicientis distinctionem « *duplicis iustitiae*, alterius, quae fit per Spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quae fit *ex inspiratione* quidem Spiritus Sancti, cor ad poenitentiam *excitantis*, sed nondum cor inhabitantis », et distinctionem « *duplicis vivificationis*, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae et vitae novae *propositum et inchoatio* per Dei gratiam *inspiratur*, alterius, qua vivificatur, qui vere iustificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur ». Iustitia et vivificatio minus perfectae describuntur tamquam per actualement gratiam inspirationem productae (cf. *Le Bachelet* in *DdTh* 2, 103). — In tota controversia iansenistica Ecclesia cum adversariis *supponit* et aliquoties satis aperte *enuntiat* internam gratiam actualement. Innocentius X definit esse gratiam interiorem, cui resisti potest et resistitur (*Iansenii* err. 2 et 4 [Dz 1093 1095]). Cf. Quesnelli pr. 8—25 (Dz 1358 ss). — Pistoriensium pr. 21 (Dz 1521): Pius VI defendit proprie esse gratiam Christi etiam eam gratiam, qua cor hominis tangatur per illuminationem Spiritus Sancti, et dari veram interiorem gratiam Christi, cui resistatur. — pr. 22 (Dz 1522): Non ipsa excellens virtus fidei est prima gratia, sed prior est « gratia illa, quae, *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem* » (neque Pistorienses neque Pontifex hic cogitaverunt de aliquo *habitu*, v. g. piaie credulitatis, sed de gratia *actuali* praeveniente).

497. II. Scriptura. Io 6, 44 s (cf. n. 64): « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. » Haec verba v. 65 s explicantur de *fide*. Ergo nemo adultus per fidem salutarem ad Christum venire sive salutariter credere potest post solam *externam* evangelii praedicationem et naturalem cogni-

can. 4 [Dz 797 814]), certe ista gratia interna non est gratia sanctificans; secus enim homo adultus sine sua cooperatione transeunter factus esset iustus et filius Dei. — Patres Tridentinos textus allatos revera intellexisse de gratia actuali ex actis clare apparet; bene enim distinguunt inter habitualia dona et actualia auxilia gratiae (v. n. 376 et librum *Fr. Hünermann* ibid. laudatum, in quo doctrina Tridentini de essentia et necessitate gratiae actualis bene ex actis eruitur). Sufficit unum afferre textum: Notationes theologorum super prima forma decreti (*Ehses* V 393, 3—5): « In 8. canone. Videtur multis, quod in uno canone seorsum ponantur illa, ad quae praeelegitur gratia gratum faciens, et in altero ea, quae solum praerequirunt gratiam gratis datam, i. e. speciale auxilium. »

tionem et volitionem, quae secundum leges psychologicas et per vires naturae auditionem nuntii salutaris sequuntur et sequi possunt. Potius requiritur *interna* tractio ex parte Patris. Eam Christus explicat v. 45: «Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei [*διδασκτοὶ θεοῦ* — docti a Deo]. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.» — Ergo nisi homo interne audit Deum sibi loquentem, se docentem, non potest discere, i. e. credere. Hic *obvio sensu* describitur aliquis *actualis influxus* Dei, internus et gratuitus, quo homo necessario iuvandus est, ut veritates a Christo revelatas, sicut oportet ad salutem, assensu fidei amplectatur, i. e. describitur aliqua interna et supernaturalis gratia actualis, qua via salutis inchoatur. — Is 54, 13, ad quem textum Dominus provocat, sicut Ier 31, 34, docet peculiarem praerogativam Novi Foederis fore internum quoddam Dei magisterium. — 1 Cor 3, 7: «Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.» Externae operationi hominum opponitur interna operatio Dei (*ὁ ἀόξάνων θεός*), quae est absolute necessaria, ut Corinthii et credant et oboediant evangelio (cf. *Palm.* p. 29). Eiusmodi operatio divina supponenda est consistere in conferendis auxiliis actualibus. — Act 16, 14: Quaedam mulier nomine *Lydia* Philippis audivit verba Pauli, «cuius Dominus *aperuit cor* intendere his, quae dicebantur a Paulo». — Mt 11, 25; 16, 17: Pater quaedam interne revelavit parvulis et Petro.

498. III. Patres (cf. n. 45 ss 67 s). Augustinus, *Epist. (ad Sixtum)* 194, 4, 18, distinguit duplex adiutorium Spiritus Sancti: «Aliter adiuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuvat, ut sint fideles, inhabitans adiuvat iam fideles.» Prius adiutorium videtur concipi ut mere actuale. — Generatim explicatio de gratia actuali necessaria est, quandocumque describitur *prima origo* fidei, bonae cogitationis et volitionis per gratiam praevenientem, vocantem, excitantem, delectationem infundentem; v. g. *Ad Simpl.* 1, 2, 31. Etiam *caritatem* Augustinus plerumque tamquam motum actualem cordis a Deo excitatum describit (cf. n. 383).

499. IV. Theologi. Summa Sententiarum *dona Spiritus Sancti* intellegit auxilia actualia gratiae praevenientis: «Primi motus in corde quasi quaedam semina virtutum» (v. n. 460). — S. Bernardus, *De grat. et lib. arb.* 14, 46 s (ML 182, 1026): Gratia praeveniens «seminat cogitatum». — Magister, *Sent.* 1. 2 d. 26 cap. 6 s (ed. Quar. n. 237 s): *Augustinus* distincte

assignat ordinem gratiarum, «qualiter scil. intellectus bonorum praecedit concupiscentiam eorundem, et ipsa concupiscentia delectationem, quae fit per fidem et caritatem». Idem docet «etiam ante gratiam praevientem et operantem, qua voluntas bona praeparatur in homine [Magister intellegit gratiam iustificationis], praecedere quaedam bona ex Dei gratia et libero arbitrio, quaedam etiam ex solo libero arbitrio». — Bonaventura, *In 2 d. 28 a. 2 q. 1* (cf. n. 54 218) nomine «*gratiae gratis datae*» comprehendit, «quidquid illud sit, quod superadditum est naturalibus, adiuvans aliquo modo et praeparans voluntatem ad habitum vel usum gratiae, sive... sit habitus, sicut timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis *actus*, sicut aliqua vocatio vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, ut se requirat». Haec verba satis indicant gratiam *internam*¹. — De S. Thoma v. n. 219 ss 343 ss. Etiam ad *praeparationem iustificationis* necessariam esse gratiam *internam* in decursu vitae magis magisque cognovit. Actus *fidei, spei, caritatis* fieri non posse sine supernaturali elevatione semper docuit (v. g. quoad fidem informem *In 3 d. 23 q. 3 a. 2; S. th. 2, 2 q. 6 a. 1*). Saepissime distinguit *duplicem sensum* vocis gratiae: «*donum habituale*» et «*auxilium gratuitum Dei interius animam moventis sive inspirantis bonum propositum*» (sic *S. th. 1, 2 q. 109 a. 6*)². — *De ver. q. 27 a. 5*: «Gratia vero gratum

¹ G. Bozilkovic, S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio (p. XLI), iudicat, «quod inter primos theologos in Ecclesia catholica S. Bonaventura eminet, qui clare, diffuse ac resolute de ortu, natura, ambitu, necessitate gratiae actualis, quam ipse gratiam gratis datam nuncupat, locutus est». Sed auctor non satis attendit ad hoc, quod apud S. Bonaventuram sub voce gratiae gratis datae etiam multa alia intelleguntur.

² Non adeo manifestum est, sitne ista motio divina revera nostra gratia actualis. Sunt enim Thomistae, qui explicant eam fieri *per ipsam infusionem gratiae habitualis* (v. n. 496 not. et 500), et S. Thomas *ambigue* loquitur (v. n. 344. *S. th. 1, 2 q. 113 a. 3*: Deus movet liberum arbitrium *simul cum* infusione gratiae iustificantis; a. 7: *per* infusionem eiusdem gratiae). Si S. Doctor revera tenet mutuam causalitatem et prioritatem inter ultimam dispositionem et formam introducendam, posset utique omnes actus supernaturales sine gratia actuali explicare. — Secundum J. Stufler (*D. Thomae Aqu. doctrina* n. 128 ss 232 ss 253 ss, et *ZkTh* 1923, 1—21 161—183) actus supernaturalis, qui non procedat ex habitu infuso, in doctrina Aquinatis est absolute impossibilis, id quod maxime ex *Qu. disp. de caritate* a. 1 probare vult. Recta huius articuli expositio non est facilis; cf. *Th. Rev.* 23 (1924) 351 ss, et Zigon in *Divus Thomas* 1924, 24—34. Si motio divina in ordine naturali ex mente S. Thomae fit per collationem permanentium potentialium activarum, sicut Stufler explicat, utique praesumendum erit *supernatu-*

faciens ... dupliciter accipitur: uno modo pro ipsa divina acceptatione, quae est *gratuita Dei voluntas*; alio modo pro dono quodam creato, quod formaliter perficit hominem et facit eum dignum vita aeterna. » Si priore modo accipitur, ex parte Dei acceptantis est una tantum gratia; «ex parte autem effectuum divinorum potest esse multiplex, ut dicamus omnem effectum, quem Deus facit in nobis ex gratuita sua voluntate, qua nos in suum regnum acceptat, pertinere ad *gratiam gratum facientem*, sicut quod *immittat nobis bonas cogitationes et sanctas affectiones* ».

500. Aegidius Rom. docet fieri gratuitos impetus et divinos motus in impio atque specialem motionem liberi arbitrii ad gratiam habitualement consequendam, qua *natura supra se levetur* (n. 225). — De Scoto v. Jos. Klein: Franziskanische Studien 1921, 260 ss. — Marsilius de Inghen († 1396) gratiam gratis datam et auxilium Dei speciale omnino distinguit ab influenza generali Dei (v. Gerh. Ritter, Studien zur Spätscholastik I. Marsilius von Inghen u. die okkamistische Schule in Deutschland [Heidelberg 1921] p. 172 et *Palm.* p. 304 s). — De aliis Occamistis v. K. Feckes, Die Stellung der nominal. Schule zur aktuellen Gnade: Röm. Qschr. 32 (1924) 157—165, et eiusdem auctoris: Die Rechtfertigungslehre des Gabr. Biel (Münster 1925). — Ioannes Capreolus O. P., «princeps Thomistarum» († 1444), *Defens. theol. D. Thomae*, In 4 d. 14 q. 2 a. 3 ad 1^{um} arg. Henrici (ed. Turon. 1906 t. 6 p. 321): «Non enim oportet, quod dispositio positiva ad gratiam, scil. detestatio peccati et appetitus gratiae et iustitiae, procedat *ex gratia habituali gratum faciente*; sed sufficit, quod procedat *ex gratia actuali gratis data*, quae est aliqua motio, ut ostendit S. Thomas 1, 2 q. 112 a. 2. » Postea laudat Bernardum de Gannato, qui adversus Henricum Gandavensem dicit: «Talis

ralem quoque motionem facultatum humanarum ad actus salutares correspondenter fieri additione permanentium virium supernaturalium, i. e. *infusione habituum* gratiae et virtutum. Sed per multa saecula ab omnibus S. Thomas intellectus est defensor motionis actualis, quae per *immediatum concursum* divinum fiat, et Durandus negans hunc concursum adversarius S. Thomae habitus est. Oppositionem inter doctrinas horum duorum doctorum nuper denovo ostendit G. Huarte S. J., *Gregorianum* 6 (1925) 81 ss. *Stufser* hucusque suam expositionem paucis tantum persuadere potuit. Potius praesumendum est etiam in ordine supernaturali Aquinatem praeter principia habitualia agnoscere aliquam motionem divinam per *immediatum influxum actualement Dei*. — Num S. Thomas hoc actuale auxilium conceperit tamquam *elevans* actum, v. n. 223 et P. de Vooght O. S. B., A propos de la grâce actuelle dans la théologie de s. Thomas (Divus Thomas [Placentiae] 31 [1923] 386—416). Sed doctrina de gratia actuali *elevante* post Tridentinum valde evoluta est; quare theologo hodierno minime licet omnibus sequentibus praetermissis simpliciter ad mediam aetatem redire (cf. Scholastik 2 [1927] 613 s; 3 [1928] 613 s; 4 [1929] 304 s de E. Neveut et P. de Vooght).

conatus [obtinendi caritatem] supponit aliquid supernaturale, puta vel fidem informem vel auditum aliquem de rebus supernaturalibus; non autem oportet, quod praecedat ipsum gratia gratum faciens. Item istum conatum praecedit quaedam *motio* divina, qua homo movetur ad bonum supernaturale, faciendo quod in se est.» — Dionysius Carthus. († 1471), *In 2 d. 5 q. 3*, loquitur de *actuali quadam motione* Spiritus Sancti. — Ioannes de Paltz O. S. Aug. (magister Lutheri, † 1511), *Supplem. Coelipotodinae, De conversione tertia*, accurate distinguit adiutorium Dei *generale* ad omnem actum necessarium et *speciale*, quo homo se praeparet ad suscipiendum S. Spiritus donum. — Ioannes Eck, Lipsiae cum Luthero disputans (d. 12 Iulii 1519) de timore servili a Deo inspirato, ait: « In uno tamen videtur mihi aequivocatione falli [Lutherus], quod hanc gratiam, qua Deus *praevenit corda hominum movendo*, credit esse caritatem, cum sit aliud gratuitum Dei munus.» Postea: «Deinde assumit gratiam praevenire timorem et amorem; quod si loquitur de *gratia motionis divinae*, qua Deus nos aspirando praevenit, fateor quidem tunc.» Luther ad haec respondit: «Transeat: haec distinctio, nihil ad propositum, est elusio verborum Pauli» (Lutheri opera latina III [Erlangae 1866] 190 194 196; D. Martin Luthers Werke II [Weimar 1884] 364, 33—35; 367, 23—25; 368, 29 s.). — Conradus Wimpina († 1531), *Anacephalaeosis* 2, 9, 88 a (apud Laemmer, *Die vortrid.-kath. Theologie des Reformationszeitalters* [Berlin 1858] p. 129): «Quidquid agunt homines, praeventrix gratia donat vel saltem *auxilium divinum gratuito movens*. Quo auxilio gratuito movente nihil prius in homine, quo se gratiae praeparet, requiritur. Nam hoc auxilium gratuito movens ex mera Dei liberalitate, nulla nostra praeveniente praeparatione, nobis superne advenit. In cuius etiam vi et efficacia ad gratiam nos praeparare possumus.» — Ioannes Driedo († 1534) generali Dei influxui opponit *peculiarem et gratuitum tractum*, quo Pater rationales vires peculiariter ad initia fidei attrahit (*De captivitate et redemptione generis humani* tract. 5 [apud Palm. p. 305 s]). — In Tridentino omnes unanimiter necessitatem interni auxilii actualis tenebant (cf. *Hünemann* l. c. 24 s 30 ss 39 ss). — Post Tridentinum gratia actualis ab omnibus theologis docetur, etiam ab iis, qui dicunt ultimam dispositionem non ex actuali auxilio, sed ex sola gratia habituali procedere. Sic I. B. Gonet O. P. († 1681), *Clypeus theol. thomist.* tr. 7 disp. 3 a. 1 et 3 (ed. Burdigal. 1667 t. 9 p. 724 s 738) expresse de gratia actuali supernaturali et ad gratiam gratum facientem late intellectam pertinente disserit. Item Marcus Serra O. P. († c. a. 1650), *Summa Commentariorum, In 1, 2 q. 109 a. 9 s* (ed. Romae 1653 t. 3 p. 319 s 329), auxilio universali ordinis naturalis opponit quoddam *auxilium generale ordinis supernaturalis*; donum perseverantiae vocat auxilium, «quia non est aliqua gratia habitualis, sed *actualis gratia* vel actuale auxilium speciale»¹. — Molina motus gratiae actualis

¹ Ceterum hi Thomistae *gratiam habitualement in fieri* describunt tamquam aliquod auxilium *actuale*. Serra l. c. q. 113 a. 8 (p. 446): «Gratiam enim habitualement considerat D. Thomas dupliciter; primo ut infunditur seu ut est *in fieri* et habet esse imper-

accurate describit et de eius essentia disserit. Abhinc omnes theologi multas quaestiones de auxiliis agitant et nomen gratiae actualis communiter usurpant; multi principalem divisionem totius tractatus ex distinctione gratiae in habituales et actuales desumunt.

501. B. De essentia auxiliorum actualium haec satis communiter statuuntur:

1. Exhibentur a fontibus ut illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis. Terminus illustrationis sive illuminationis saepe in **Scriptura** invenitur, licet ex ea sola non probetur eodem significari actualia auxilia interna. Ps 12, 4: «Illumina oculos meos.» 17, 29: «Illumina tenebras meas.» 26, 1: «Dominus illuminatio [hebr. lux] mea.» 33, 6: «Accedite ad eum et illuminamini.» Eccli 2, 10: «Diligite illum et illuminabuntur corda vestra.» Lc 1, 79: «Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.» Io 1, 9: «Illuminat omnem hominem.» Eph 1, 18: «Illuminatos oculos cordis vestri.» 2 Cor 4, 6: «Ipse illuxit in cordibus nostris.» — Terminus inspirationis in Scriptura raro occurrit. Iob 32, 8: «Inspiratio (πνοή) Omnipotentis dat intellegentiam.» Eccli 4, 12 (Vulg.): «Sapientia filiis suis vitam inspirat» (hebr. «filios suos docet»; LXX: «exaltat»). — *Sub aliis terminis* docetur eiusmodi influxus gratuitus in intellectum: Mt 11, 25; 16, 17: Pater revelat. Io 6, 45; 1 Io 2, 20 27: Deus docet; Act 16, 14: aperit cor intendere; 2 Cor 3, 5: dat sufficientiam (idoneitatem) cogitandi; Ps 118, 34: dat intellectum. — Influxus in voluntatem (per se mediante cognitione): Apc 3, 20: Deus pulsatur; Eph 5, 14: excitat dormientem; 2 Thess 2, 16: exhortatur corda. Inspirantur boni affectus, quibus homo iuatur ad bona opera: Gal 5, 22: gaudium; Sap 12, 1: suavitas; 1 Petr 2, 3: dulcedo; 1 Io 4, 7; 2 Tim 1, 7: dilectio; Is 11, 3: timor Domini. Ps 118, 32: Deus dilatat cor. — Similia v. n. 186.

fecto modo quasi in via, et hoc modo idem est cum motione Dei moventis...; secundo ut eam consequimur seu ut *in facto esse* et habet esse perfectum et completum in subiecto, dans ei perfecte suum effectum formalem.» — Goudin O. P. († 1695), *De gratia Dei*, q. 6 a. 2 § 3 (ed. Lovanii 1874 t. 2 p. 332): «Actus conversionis... effective procedit a virtute infusa caritatis vel poenitentiae, non tamen ut *communicata per modum habitus, sed per modum actualis auxilii seu motionis*; sicque disponit ad gratiam et ad ipsam virtutem infusam per modum habitus consequendam. Unde quodam sensu dici potest *quasi materialiter procedere ab habitu supernaturali; exactius tamen dicitur procedere ab actuali auxilio et disponere ad habitum.*» — Billuart O. P. († 1757), *De gratia*, diss. 7 a. 4 § 4 valde laudat Goudin.

502. Patres fere eosdem terminos adhibent. Clemens Alex., *Strom.* 6, 17, 157, 4 (R 430): «Virtuosorum hominum cogitationes secundum inspirationem (*ἐπιπνοίαν*) divinam fiunt.» — Ephraem, *Hymni de Epiphania* 10, 15 (R 704): Dominus docet, erudit et acquirit nos. — **Augustinus** (cf. n. 186; P n. 16 21 31; Ber. 48 50; *Scheeben* 63 et passim), *De pecc. mer. et rem.* 1, 25, 37: Interior magister docet; inspiratio eius docet; secus forinsecus inaniter perstrepunt verba. — Lumine aeterno intus mens aspergitur. — 2, 19, 33 (R 1724): Deus aperit, quod latebat, et suave facit, quod non delectabat. — *In Ps* 102, 16 (R 1483): Deus etiam «vocat per intimam cogitationem». — *In Ps* 118, 10, 6: «Cordis dilatatio iustitiae est delectatio.» — 17, 3 (R 1485): «Docet Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem...; sic docet, ut scienda sciamus aperiendo veritatem; sic docet, ut facienda faciamus inspirando suavitatem.» — 22, 7: Deus impertit caritatem; dat suavitatem «ut bonum vere bene, i. e... boni spiritualis delectatione faciamus». — *In Io* tr. 26, 4 (R 1822): Homo voluntate et voluptate trahitur a Patre. — Prosper, *C. Coll.* 7, 2 (ML 51, 230 s; cf. R 2025): Trahunt timor, laetitia, desiderium, delectationes aliique affectus, per quos visitatio Dei animum humanum ducit. — *De voc. gent.* 1, 8 (ML 51, 656; cf. R 2043): Per operationem potentiae divinae firmatur affectus, dulcescit cibus verbi, veteres tenebrae nova luce pelluntur. — 2, 26 (ML 51, 711): Gratia Dei suadet, movet, terret, incitat, dat intellectum, inspirat consilium, cor illuminat et fidei affectionibus imbuit. — Fulgentius, *Epist.* 17, 67 (ML 65, 492 s; cf. R 2246): Deus donum illuminationis ad credendum praeparavit, auditum hominis interioris aperit etc. — **Ecclesia** eodem modo loquitur: Carthaginense can. 4 (Dz 104): Aperitur et revelatur intellegentia mandatorum; praestatur, ut facienda facere diligamus... — Indiculus cap. 8 (Dz 134): Praeparatur voluntas. Deus paternis inspirationibus tangit corda. — cap. 12 (Dz 141): Liberum arbitrium de tenebroso fit lucidum. — Arausicanum can. 4 (Dz 177): Spiritus Sancti infusio et operatio in nos; can. 5: inspiratio; can. 6: infusio et inspiratio Spiritus Sancti; can. 7: illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti, qui dat suavitatem; can. 8: Pater attrahit. — can. 22 (Dz 195): Ex eo fonte quasi guttis quibusdam irrorati. — Eosdem terminos Tridentinum sanxit, praes. s. 6 cap. 5. — In suis orationibus Ecclesia a Deo saepe petit lucem, suavitatem, dilectionem.

503. Ergo auxilium gratiae ad salutariter agendum, quod secundum partem priorem est saltem ex parte gratia actualis, in fontibus exhibetur hisce fere terminis: Ex parte *intellectus* est illuminatio, scientia, pia cogitatio, aperitio cordis, locutio, doctrina, revelatio; ex parte *voluntatis* est delectatio caelestis, cupiditas boni, caritas, bona voluntas, sanctum desiderium, inspiratio amoris, suavitatis, sancti timoris (cf. *Palm.* p. 23 s 32 s 38 s; *Ber.* 51).

504. 2. **Important actus vitales** eiusmodi auxilia gratiae. Plurimi ex terminis allatis *directe* exprimunt actus intellectus et voluntatis tamquam auxilia ad opera salutis divinitus donata. Alii non quidem formaliter significant actus vitales, sed per aliquam *figuram loquendi* influxum Dei in hominem designant, uti sunt pulsatio, excitatio, vocatio, tactus cordis. In proxima thesi videbimus, quomodo hi termini explicandi sint. Si exprimunt aliquid, quod actum vitalem hominis praecedit (hoc ut minus probabile reiciemus), tamen per illud actus vitalis statim excitatur; nam ista vocatio, pulsatio etc. homini per actum vitalem innotescit. Eiusmodi vero actus vitalis, gratuito Dei auxilio productus, adiuvat animam ad salutariter agendum. Ergo eidem competit ratio internae gratiae actualis, et essentia huius gratiae aut totaliter aut saltem partialiter in eo consistit. Nam actum vitalem totaliter ab hac gratia excludere nimis alienum videtur a modo loquendi fontium (v. *Ber.* 51; *Palm.* th. 9).

505. 3. Sunt actus a) **indeliberati**. Termini, qui vi vocis *actionem Dei* vocantis, docentis, invitantis, excitantis, suadentis, cor tangentis etc. designant, satis indicant eiusmodi divinum influxum homini per actus indeliberatos *innotescere*. Termini, qui *directe* exprimunt *actus vitales hominis*, plerique, proxime saltem, dicunt aliquod exercitium facultatum cognoscivarum et appetitivarum, quod *deliberationem et liberam electionem antevertit*: Datur a Deo intellectus, scientia, pia affectio, suavitas, delectatio, timor etc. Eiusmodi actus solent indeliberate exurgere, possunt utique deinde deliberate foveri. — **Patres** saepe expresse dicunt hos motus gratiae *non esse in nostra potestate, nos praevenire, fieri in nobis sine nobis*¹. Augustinus, *Ad Simpl.* 1, 2, 21 (ML 40, 126): «Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas

¹ Intellege: sine nobis *libere consentientibus*, non vero sine nobis *vitaliter elicientibus*; nam actus vitales sive immanentes oriri non possunt, nisi facultas active ad eorum productionem concurrat (v. Lah. n. 91). Voluntas igitur concurrat qua *θέλησις*, non qua *βούλησις*.

moveatur ad fidem?» — n. 22: «Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest; hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.» — *De spir. et litt.* 34, 60 (R 1736): «Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est.» Frequenter dicit gratiam *praevenire* nostram voluntatem (volitionem). — **Tridentinum** loquitur s. 6 cap. 5 (Dz 797) de illuminatione et inspiratione gratiae, quam homo recipere et abicere potest. Ergo haec gratia actum deliberatum praecedit. — Saepissime fontes loquuntur de gratia *praeveniente* (v. schol.). — Molina, *Concordia* q. 14 a. 13 disp. 45 (ed. Paris. 1876 p. 253 ss) hanc doctrinam optime exponit. Etiam plurimi Thomistae, licet in his actibus non ponant *essentiam* gratiae actualis et eos aliquatenus prae sua praemotione physica *neglegere* soleant, tamen actus vitales, qui liberum consensum antecedant, ut auxilia gratuita agnoscunt, v. g. *Alvarez, Salmanticenses, Billuart*¹. — **Rationi** valde consentanea est haec doctrina. *Psychologice necessarium* est, ut liberam voluntatis electionem praecedat actus indeliberatus intellectus et probabiliter etiam semper aliqua indeliberata affectio voluntatis². Quoniam gratia non destruit, sed elevat

¹ Del Prado, *De grat. et lib. arb.* t. 3 pag. 107 ss, ex consueto zelo doctrinam Molinae carpendi valde impugnat actus supernaturales libertate carentes: «Affirmare, quod affectus et motus, ad quos efficienter concurrat et cooperatur voluntas nostra, insurgunt, velit nolit voluntas, est affirmare contradictoria» (p. 108) et «derogat ipsi divinae gratiae, quae non destruit, sed perficit ac elevat naturam» (p. 109). Immo p. 284 ss Molinam septem assertis *accedere ad Calvinum* conatur ostendere, quorum secundum est: «Motus divinae gratiae insurgunt in voluntate, velit nolit voluntas.» *Tridentinum* s. 6 can. 4 errorem damnavit: «liberum arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo» (p. 286). Molina vero, «quem imitantur passim cuncti Molinistae», ait: «Ad affectus et motus gratiae praeventientis non cooperatur voluntas, qua liberum arbitrium est; sed velit nolit... insurgunt, et patitur illos» (p. 289). — Eiusmodi argumentatio se ipsa refutatur. Ceterum iam Scheeben (n. 73) adductis quoque testimoniis principalium Thomistarum solide reiecerat similem adversarium anonymum, qui secundum *Morgott (Litterar. Handwörter 1887, 35)* fuit *C. M. Schneider*. Fr. Marin-Sola O. P., licet ipse istos actus esse liberos teneat, dicit sat multos Thomistas in hac secundaria quaestione a sua sententia discrepare; Billuart vero declarat utramque sententiam intra Thomismum posse sustineri (v. *Scholastik* 1 [1926] 543 s).

² Molina, l. c. p. 254 s, existimat hoc etiam valere de *puro spiritu* et de homine dono *iustitiae originalis* instructo, ostenditque, quomodo Lucifer et Eva ad peccatum pervenerint. Nonnulli graves theologi (*Tanner, Platel*) econtra censent posse voluntatem obiecto per intellectum proposito sine indeliberata affectione statim ad actum liberum transire (v. *Schiff.* n. 168; *Ber.* n. 45).

naturam, Deus hominem sapientissime per supernaturalem actum indeliberatum ducit ad supernaturalem actum deliberatum.

506. b) Sunt etiam actus **deliberati**, in quibus verificetur theologica notio gratiae actualis. **Ratio:** Actus liber et salutaris ex una parte est omnino *donum gratuitum Dei*, quia est effectus gratiae; saepissime vero simul est *auxilium* divinum ad salutariter agendum, quia potest esse *principium alicuius novi actus* deliberati et salutaris, non secus ac actus indeliberatus supernaturalis. Si homo ex amore Dei eidem cultum exhibet, concupiscentiis resistit, eleemosynas distribuit, *liber actus caritatis* est principium actuum religionis, temperantiae, misericordiae. — Idem e **fontibus** elucet. Docemur enim omnia *bona opera esse dona Dei*: S. Paulus saepe Deo gratias agit pro fide et bonis operibus christianorum. Indiculus cap. 12 (Dz 141): «Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona.» Quae verba Tridentinum s. 6 cap. 16 (Dz 810) repetit. Porro actus liber unius virtutis *movet* ad bonum opus alterius virtutis: Hebr 11 enumerantur multi, qui *fide moti* Deum coluerunt, ei oboediverunt etc. Iac 2, 22: Fides cooperabatur bonis operibus Abrahae. — Arausicanum can. 17 (Dz 190): *Fortitudinem christianorum Dei caritas facit.* — Augustinus delectationem caelestem saepe intellegit tamquam a Deo quidem in corde excitatam, sed ab homine *libero consensu receptam* atque sic opera salutis producentem. Etiam «*cogitatio*» dicit deliberationem de bono faciendo; interdum complectitur *omnes actus internos* in oppositione ad externa *verba* et *opera* (sicut in *Confessione*: «peccavi nimis cogitatione, verbo et opere»). — Theologi, quando disputant de *motivo fidei vel caritatis* ad actus meritorios necessario, hanc doctrinam supponunt.

507. 4. Sunt sensu explicato **immediatae** a) **illustrationes intellectus**. Quatenus vere habent rationem *gratiae salutaris*, non sunt cognitiones, quae *sponte naturae* ex manifestatione externa veritatis oriuntur, sed potius *speciali Spiritus Sancti operationi* debentur. Hoc contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* atque iterum a Tridentino definitum est (v. th. 1 et 2, n. 36 ss 60 ss). Atqui saltem, quando *primi actus salutare*s fiunt ab homine, qui fidem suscipit seque ad iustificationem praeparat, ista *specialis operatio divina* non consistit in infusione habituum, sed in collatione alicuius gratiae *actualis*, quae habitus

praecedit ad eosque disponit. — Absoluta vero *necessitas* talis interni auxilii specialis non potest alio modo sufficienter *explicari* nisi ex hac ratione, quod idem auxilium *efficienter debeat concurrere ad producendum actum salutarem*, qui sit *entitative et simpliciter supernaturalis*. Quare oportet, ut hoc auxilium sive haec illustratio actualis *ipsa quoque* sit entitative et simpliciter supernaturalis (v. th. 10, praesertim n. 302). Talis autem non evadet per eam operationem intellectus, quae praesente obiecto cum concursu Dei *generali* exseritur, sed ad hoc necesse est, ut Deus «*immediate*», concursu aliquo *supernaturali*, producat in intellectu actum entitative perfectiorem, quam per ullum agens naturale vel per ullum influxum ex parte solius obiecti fieri possit (cf. schol. post th. 10, n. 304 ss).

508. b) Etiam **inspiraciones voluntatis** sunt immediae. Ut aliquid positivi valeant ad salutem, imprimis non a cognitione naturali debent provocari, sed ab *immediata illustratione intellectus*. Fontes enim prorsus exigunt, ut eiusmodi motiones voluntatis specialiter a Deo dentur (n. 501 s). Qui autem nihil amplius admittunt, fontibus non videntur satisfacere. Nam Patres et concilia *adversus Pelagianos* valde urgent duplicem requiri gratiam internam, unam eamque minorem qua «*revelatur et aperitur intelligentia mandatorum*, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus», alteram eamque maiorem, qua datur *caritas*, «*ut... etiam facere diligamus atque valeamus*» (Carthaginense can. 4 [Dz 104]). — Indiculus cap. 9 (Dz 135): «*Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio*, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit.» Eiusmodi verba *plus dicunt* quam influxum in voluntatem *mediatum* tantum, mediante scil. supernaturali cognitione a Deo in intellectu immediae producta.

S. Augustinus *Ad Simpl.* et in *prioribus scriptis antipelagianis* gratiam saepe descriperat tamquam internam Dei *vocationem*, qua voluntas utique *mediate* movetur (eiusmodi textus v. n. 505). Adhuc a. 416—417, *In Io* 26, 7 (R 1823): «*Videte, quomodo trahit Pater, docendo delectat.*» Sed in *posterioribus* libris magis magisque infusionem caritatis, delectationis similiumque affectuum ita describit, ut *immediatam* horum motuum voluntatis per Deum productionem significare dicendus sit. Quoniam neque S. Augustinus neque adversarii eius satis distinguebant inter *voluntarium indeliberatum* et *deliberatum*, praecise haec doctrina motus voluntatis immediae a Deo effecti adversariis videbatur *destruere liberum arbitrium*. Nihilominus S. Augustinus, ista consequentia strenue negata, ipsam doctrinam tamquam veram et catholicam sententiam pro-

pugnare perrexit. Sic *Op. imperf.* 3, 106: Iulianus concedit Deum multis modis *iuvare* nos « praecipiendo, ... coercendo, provocando, illuminando », ita tamen, ut « unusquisque ... liberum habeat voluntatem Dei vel servare vel spernere ». Augustinus respondet: « Tam multa dicis, quibus nos adiuvat Deus..., et non dicis: *caritatem dando*... Hanc vos ab homine esse dicitis homini per liberum arbitrium... Ideo nec pacem habetis cum Ecclesia. » Cf. *ibid.* n. 114. — Similiter Prosper, *Carmen de ingratis* v. 335 ss (ML 51, 114).

509. Scholastici moraliter omnes propter fontes immediatas inspirationes voluntatis exigunt. Explicatio rationi consona neque libertatem laedens datur a Molina (ed. Paris. 1876 p. 256): « Ex cognitione vero et penetratione earum rerum, quae ad fidem spectant, ... oritur naturaliter in voluntate motus affectionis ad res ita cognitae, quo allicitur et quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum... Cum hoc ergo motu quasi *se inserit etiam Deus*, influens in illum *per auxilium particulare*, illumque eo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat et alliciat, *efficitque illum supernaturalem*, ut in suo ordine et gradu sit etiam ad salutem accommodatus. »

Deus postquam dedit illustrationem intellectus supernaturalem, consequenter et quodam sensu *connaturaliter* etiam dabit correspondentem inspirationem voluntatis supernaturalem. Quare fortasse sub hoc solo respectu non est *novum beneficium morale*, ab illustratione intellectus distinctum. Quatenus fontes (v. g. Carth. can. 4) rationem novi et maioris beneficii extollunt, videntur explicari posse de inspiratione voluntatis qua gratia *vires morales* conferente vel etiam qua gratia *efficaci*, non praecise de gratia elevante et sufficiente (cf. *Ber.* n. 64). Sed gratia inspirationis est donum supernaturale saltem *physice* ab illustratione intellectus *distinctum*. Non quidem opus est, ut cum *Suarez* omnem influxum physicum actuum unius facultatis in actus alterius negemus, sed possumus admittere actum intellectus supernaturaliter elevatum cooperari etiam *physice* ad producendum correspondentem actum voluntatis qua elevatum. Nihilominus *Deus* erit *causa principalis* actus voluntatis qua supernaturalis. Ergo sola elevatione supernaturali intellectus voluntas nondum est sufficienter elevata, ut ex se sola cum generali Dei concursu actum supernaturalem eliciat; sed *Deus* iterum debet concursu speciali immediate « se inserere », ut *Molina* dicit, et hoc sensu opus est immediata inspiratione voluntatis, ut actus salutaris fieri possit. Plura de eiusmodi quaestionibus occurrent in th. seq.

510. Corollarium. Qui actus intellectus et voluntatis pertineant ad immediatas illustrationes et inspirationes. De *apprehensione* simplici et comparativa atque de *iudicio speculativo* (excepto actu fidei) nihil certi scimus. Sine dubio *iudicium ul-*

mum practicum, quod actui salutari voluntatis immediate prae-
lucet (v. g. iudicium credenditatis ante actum, quo voluntas
imperat fidem), supernaturaliter a Deo elevatur et est hoc sensu
aliqua illustratio immediata (cf. P V 24; VIII 172). — Inspi-
rationes voluntatis immediatae possunt esse *diversae affectio-
nes*, amoris et odii, gaudii, spei, timoris etc. (P 24).

S. Augustinus saepe ita loquitur, quasi solam caritatem
habeat veram gratiam Novi Foederis. Quo modo loquendi *Iansen-
istae* et *Augustinenses* decepti sunt. Cf. P 34s et apud *Ber.*
n. 69—75 specialem thesim: «Gratia excitans non est sola inspiratio
caritatis formalis Dei, sed etiam cuiusvis alterius virtutis.» —
Mausbach, *Ethik des hl. Aug.* I 174—184 (cf. p. 207ss) Augustinum
sic explicat: «Caritas» apud S. Doctorem sensum amplissimum
habet, quod ex influxu *neo-platonico* facile explicatur. *Plotinus*
enim *panpsychismum* professus omnem motum et operationem
naturae ex magica quadam *sympathia* rerum et ultimam ex
instinctu amoris erga summum bonum omnibus indito explicavit.
Augustinus amorem quidem rerum vitae expertium meram meta-
phoram considerat, sed in animatis cum quadam praedilectione
omnes motus, affectus, appetitus ad *amorem* tamquam ad intimam
et universalissimam vim motricem reducit. Praesertim omnis amor
boni *honesti* ab eo concipitur amor summi boni sive *caritas Dei*.
Deus enim secundum *Platonicos* est idea boni sive summum bonum
simulque qua summum verum *causa exemplaris omnium idearum*,
v. g. iustitiae, temperantiae etc. Sic ille amor veri, qui *pio credu-
litate affectu* manifestatur, est aliqua «caritas» summi veri sive
Dei; item amor *iustitiae*, ex quo iustus praecepta iustitiae observat,
est amor summae ideae exemplaris iustitiae, i. e. Dei. Hac ratione
omnis amor honestus et rectus est aliquo sensu «caritas caelestis»;
e contra omnis amor inordinatus est mala libido sive mundana
cupiditas (exempla v. etiam apud *Palm.* p. 101s). — Breviter:
Omnis motus voluntatis est *amor* alicuius boni, omnis motus
honestus est amor boni *honesti*; omne bonum honestum ultimam
reducitur ad *Deum*, ultimum fontem omnium idearum. Ergo omnis
motus honestus est aliqua *caritas Dei* (implicite, interpretative,
materialiter, virtualiter; sed sane *non est formaliter* caritas theo-
logica proprie dicta). — Aliter Augustinum explicat Dr. Joh. Ernst,
Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Aug. p. 228 ss praesertim
235 ss, et alibi (v. P VIII 648). — Cf. etiam, quae *Schiffini*
p. 175 not. 1 de modo loquendi S. Augustini affert ex J. B. Faure
S. J. († 1779), *Enchiridion S. Augustini notis et assertionibus theo-
logicis illustratum* (Neapoli 1847) p. 2 ss.

511. *Scholium*. De divisionibus gratiae actualis.

P pr. 3. — *Palm.* th. 18. — *Mazz.* 171—187. — *Ber.* 37—40;
120—139.

Hae denominationes, e Scriptura et Patribus depromptae,
a veteribus theologis maxime gratiae *habituali*, a recentioribus
fere unice gratiae *actuali* applicantur.

1. Gratia excitans et adiuvans. Verbum excitandi in **Scriptura** non occurrit de gratia interna usurpatum. S. Petrus fideles vult excitare sive suscitare monendo per epistolam (2 Petr 1, 13 et 3, 1: *διεγείρειν*). Sensus verbi *ἐγείρειν* est: excitare, surgere facere, v. g. dormientem expergefaciendo, mortuum ad vitam revocando, sedentem, cubantem, lapsum erigendo, aegrotum sanando; etiam: facere, ut aliquis appareat, orietur, manifestetur (sicut Deus excitat reges, iudices, prophetas, filios Abrahae; cf. *Zor.*). Similem sensum in Scriptura habent verba: *vocare, invitare, pulsare*. Cf. Eph 5, 14: «Surge, qui dormis», et 2 Tim 1, 6: *ἀναζωπυρεῖν*, i. e. ignem sopitum rursus inflammare, ad pristinum vigorem revocare. — Saepe Deus dicitur adiuvans sive auxilians in Psalmis. Hebr 4, 16: *βοήθεια*; Act 26, 22: *ἐπικουρία*; Rom 8, 26: Spiritus adiuvat (*συναντιλαμβάνεται*) infirmitatem nostram. — Augustinus, *De pecc. mer. et rem.* 2, 18, 31: «Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso *excitante atque adiuvante* non possumus.» — S. Bernardi verba (v. n. 54) Scholastici saepe repetunt. Celebrior haec divisio facta est, postquam Tridentinum eam adhibuit s. 6 cap. 5 (Dz 797): «per eius excitantem atque adiuvantem gratiam»; cap. 6 (init.): «excitati divina gratia et adiuti». Deinceps theologi multum de *natura* duplicis huius gratiae disputaverunt. Vaticanum s. 3 c. 3 (Dz 1794): Deus «errantes gratia sua excitat atque adiuvat».

512. 2. Gratia operans et cooperans. Phil 2, 13: Deus *operatur* (*ὁ ἐνεργῶν*) in vobis velle et operari. Mc 16, 20: Praedicaverunt ubique Domino *cooperante* (*συνεργοῦντος*). Iac 2, 22: Fides *cooperabatur* operibus Abrahae. — Augustinus, *De grat. et l. arb.* 17, 33 (Dz 1942): «Ipse ut *velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*... Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.» — Theodoretus, *In Eph* 2, 8 (R 2163): *Ἀλλὰ καὶ ταύτης [τῆς πίστεως] ἡ θεία χάρις γηγένηται συνεργός.* — Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 2 et gratuitam Dei motionem et habitualement gratiam distinguit in operantem et cooperantem (cf. n. 598 s). — Quoniam doctrina S. Thomae de hac divisione gratuita Dei motionis est difficillima, a *posterioribus theologis* variae *explicationes* huius divisionis dantur. Bellarminus, *De grat. et lib. arb.* 1, 14: Gratia efficax operans efficit *primum actum deliberatae voluntatis*, cooperans ad operationes se-

quentes concurrat. Alii: Gratia operans efficit intentionem *finis*, cooperans electionem *mediorum*. — Ruiz, Ripalda plurimique Molinistae hanc divisionem sumunt *eodem sensu ac praecedentem* (cf. *Rip.* disp. 112 s. 2 n. 10; P 40).

513. 3. Gratia praeveniens et subsequens. S. Augustinus saepe allegat Ps 58, 11: « Misericordia eius praeveniet me », et Ps 22, 6: « Misericordia tua subsequetur me. » — *Enchir.* 32 (R 1914): « Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. » — *De nat. et grat.* 31, 35 (R 1793): « Misericordia eius praevenit nos. Praeuenit autem, ut sanemur, quia et subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; praevenit, ut vocemur, subsequetur, ut glorificemur; praevenit, ut pie vivamus, subsequetur, ut cum illo semper vivamus. » — *Pro diverso termino* comparationis haec divisio *multipliciter intellegi potest*; v. quomodo S. Bonaventura, *In 2 d.* 27 dub. 1 eam diversis significationibus vocis gratiae adaptet. — S. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 3 distinguit 5 effectus gratiae: sanari, bonum velle, illud efficaciter operari, in bono perseverare, ad gloriam pervenire. Gratia quatenus unum ex his effectibus producit, est praeveniens respectu sequentium et subsequens respectu praecedentium effectuum. — Cf. Arausicanum can. 14 18 (Dz 187 191); Carisiacense can. 2 (Dz 317); Symbolum Leonis IX (Dz 348). — Hodie etiam haec divisio plerumque identificatur cum duabus praecedentibus¹.

514. 4. Tridentinum s. 6 cap. 16 (Dz 809) tres distinguit effectus gratiae: « ... quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur ». Est sermo de actualibus auxiliis, quae iustis proveniunt ex eorum habituali cum Christo coniunctione.

5. Alii distinguunt gratiam incipientem et perficiendam secundum Phil 1, 6; cf. Tridentinum s. 6 cap. 13 (Dz 806) et orationem: « Actiones nostras... aspirando praeveni et adiuvando proseguere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. »

515. Fontes allati sine dubio haec continent: Non solum gratuita et misericors Dei voluntas, sed etiam aliquod donum creatum gratiae *praevenit salutarem actum liberum et operatur* aliquid in homine, quo eius voluntas ad actum salutarem exci-

¹ *Secreta missae de Immaculata Conceptione* gratiam habitalem in B. Vergine vocat *praevenientem* («... sicut illam tua gratia praeveniente ab omni labe immunem profitemur »).

tetur. Dein gratia voluntatem etiam *in ipsa libera operatione adiuuat* eique *cooperatur* ad *perficienda* opera salutis (cf. *Lah. th.* 4). Dicta excitatio, liberum praeveniens arbitrium, secundum thesim 18 consistit in illustrationibus et inspirationibus importatque actus vitales intellectus et voluntatis, qui necessario sunt *indeliberati*, quando agitur de primo actu in serie aliqua actuum salutarium excitando. — Quaeritur nunc, **quomodo gratia excitans distinguatur a gratia adiuvente**, i. e. ab eo auxilio, quod homini contingit in ipso actu *libero* et salutari eliciendo. Manifesto agitur de gratia *creata*, non de Deo, ultimo gratiae principio. Patet quoque gratiam adiuvantem *terminative* sumptam saltem eatenus differre a gratia excitante, quatenus *addit* ad meram excitationem, quae etiam in gratia inefficaci habetur, *actualement influxum* auxiliantem *in actum salutarem*. Actus deliberatus ab actu indeliberato saltem inadaequate realiter distinguitur; nam saltem addit deliberationem intellectus. — Proinde agitur in hac quaestione de *gratia creata principiative sumpta*, sive prout est principium actus salutaris. Sic sumpta gratia excitans dat libero arbitrio proximam potentiam salutariter agendi et in suo conceptu abstrahit a libero consensu aut dissensu. Gratia autem adiuvens actu cooperatur cum libero arbitrio; ergo in suo conceptu connotat actum salutarem voluntate hominis consentiente reapse fieri. Quare saltem habetur distinctio rationis inter gratiam excitantem et adiuvantem. Dissentiunt auctores, sitne etiam admittenda distinctio realis.

516. 1. Qui essentiam gratiae actualis in aliqua praemotione physica reponunt, plerique ad priorem gratiam excitantem, quae facultati tribuat completam potentiam supernaturaliter agendi eamque praedeterminet ad aliquos actus indeliberatos, postulant *aliam* praemotionem physicam, quae conferat ipsum actum liberum et salutarem. Sic gratia adiuvens *realiter* distinguitur a gratia excitante estque *gratia efficax*, cum gratia excitans sola sit *gratia pure sufficiens*. Ita **Neothomistae** communiter. Billot vero (*th.* 10; cf. *Prolegom.* et *th.* 8 § 2), qui cum iisdem essentiam gratiae actualis ponit in applicatione potentiae ad actum supernaturalem indeliberatum divinitus facta, tenet vi huius applicationis *sine nova applicatione* voluntatem ad actum deliberatum transire posse. Quare secundum ipsum gratia adiuvens *non nisi ratione* ab excitante distinguitur. Cum aliqua restrictione assentitur V. d. Meersch

(n. 292). — 2. **Molinistae** plerique asserunt gratiam excitantem consistere in ipsis *vitalibus actibus indeliberatis*. Quatenus hi actus *moraliter* sive intentionaliter adiuvant ad actum deliberatum, gratia excitans simul est adiuvens. Secundum Molinam et alios theologos actus, in quibus consistit gratia excitans, praeterea *etiam physice influunt* in actum deliberatum; quare gratia adiuvens ab excitante *realiter distincta est superflua*¹. — Suarez vero, cum neget physicum influxum actus indeliberati in deliberatum, consequenter *indiget nova gratia elevante* pro actu deliberato; quare dicit (3, 16, 2): «Gratia adiuvens *addit aliquid realiter distinctum* ultra excitantem.»²

517. Iuxta ea, quae in proxima thesi statuemus, realem distinctionem potius negamus. a) Neque ratio neque revelatio postulat duplicem entitatem. Concursus praevious non probatur, et si extenditur ad actum liberum, facile periculum creatur libertati. Billot, quamvis admittat novum concursum ad actum deliberatum (Prol. § 1 II 3; p. 25—33), tamen realem distinctionem gratiae excitantis et adiuvantis negat (th. 10). Fontes quatenus ipsum actum salutarem, in oppositione ad solam potentiam proximam salutariter agendi, gratiae specialiter attribuunt, commode explicantur per *maius beneficium morale*, quod gratia *efficax* prae mere sufficiente confert. — b) Potius suadetur realis identitas et ratione et revelatione. Bonum consilium, quo amicus amicum praevenit, est praecise id, quod actu adiuvat, quando alter illi paret. Ignis, qui accenditur, ut homo possit calefieri, manet idem auxilium, quando reapse eo calefit. Tridentinum s. 6 cap. 5 (Dz 797) videtur loqui de una eademque gratia, quae primo excitat atque deinde adiuvat, quando homo libere assentit et cooperatur, inspirationem illam recipiens, quam et abicere potest. Similiter Vaticanum s. 3 cap. 3 (Dz 1791).

¹ Concursus simultaneus ad actum deliberatum ab his auctoribus non concipitur ut gratia adiuvens, quia non est principium creatum huius actus, sed concursus oblatu est Deus paratus concurrere, collatus autem est ipse actus secundus, prout a Deo concurrente productus est (cf. n. 524).

² Secundum Palm. (p. 81 s) Suarez in hac quaestione realis distinctionis utriusque gratiae *reapse adversatur* Molinae. Sed secundum Mazz. (n. 176—181) et Ber. (n. 121—127), si abstrahimus a quaestione, sitne influxus moralis tantum an simul physicus, diversitas est *in solo modo loquendi*. Res videtur aliquomodo dependere a quaestione aliqua pure metaphysica de natura actionis, scil. utrum *actio* sit formaliter *in passo* an *in agente* an sit modus superadditus, qui *transeat* ab agente in passum.

Thesis 19. Gratia actualis probabilius non consistit in fluente entitate non vitali, sed est ipse actus vitalis a facultate externe elevata elicitus atque in actum deliberatum et salutarem cum concursu Dei correspondente producendum etiam physice influens.

518. P pr. 5 6. — Mazz. n. 145—170; 188—228. — Lah. 100—114. — Ber. 76—111. — Schiff. th. 11. — Scheeben III 2 n. 122—127. — Billot th. 8 § 2. — V. d. Meersch n. 279—290. — Diekamp II (3. ed.) p. 363—366. — M. Limbourg S. J., Zum Begriff der zuvorkommenden Gnade: ZkTh 15 (1891) 480 ss; Ueber die potentia oboedientialis: ib. 16 (1892) 231 ss.

St. qu. 1. Nexus. Post communiter admissa nunc quoad controversas de natura gratiae actualis quaestiones probabiliora statuimus¹.

519. 2. Sensus et sententiae. A. Reicitur sententia Neothomistarum et aliorum sat multorum, qui dicunt gratiam actua-lem non totaliter consistere in actibus vitalibus, sed etiam, idque principaliter, in fluente entitate non vitali, quae actum vitalem tamquam eius causa praecedat. Non omnes hanc entitatem eodem modo describunt (v. Scheeben n. 124). Secundum alios est *qualitas* sive quasi-qualitas, secundum alios potius est *motio virtuosa*, vel etiam dicitur qualitas incompleta ad modum *passionis transeuntis*. Consentiant omnes in hoc: Est entitas a) *creata*, realis et *physica*; b) *non vitalis*, i. e. non a facultate intellectus vel voluntatis elicita, sed a solo Deo producta et a facultate passive recepta (sicut v. g. infans in baptismo habitus infusus recipit); c) *physice movens* facultatem ad actum, i. e. non moraliter sive intentionaliter, mediante cognitione, tendendo in obiectum, sed physico impulsu determinando ad exercitium actus; d) *fluens*, non permanens ad modum habitus infusi, sed solummodo facultatem perducens ad aliquem singularem actum et deinde eo ipso desinens esse. Comparant hoc ens cum impulsu sive motione, qua faber influit in instrumentum, quando illud applicat ad secundum lignum. — Dissentiunt inter se quoad haec: a) Bannez et eius discipuli *duplicem* eiusmodi entitatem distinguunt, gratiam *excitantem* et *adiutantem* (v. n. 516). Prior constituit potentiam in actu primo completo ad actum salutarem et spectat ad gra-

¹ Scheeben (n. 122): « Mit dieser Frage betreten wir ein Gebiet metaphysischer Spekulationen, die vor dem 16. Jahrhundert kaum jemals eingehend behandelt wurden, von beiden Parteien aber, zum Teil unter Missverständnis der älteren Redeweise, in die letztere hineingetragen wurden. »

tiam *sufficientem*; altera determinat ipsum liberum consensum et pertinet ad gratiam *efficacem*. Ex hodiernis v. g. *Del Prado* (t. 3 p. 492) et *Diekamp* (p. 365 s 419 ss). — b) Etiam multi, qui *praedeterminationem physicam actuum liberorum reiciunt*, aliquod actuale auxilium supernaturale non vitale admittunt. Billot: Agnoscitur debet motio a Spiritu Sancto recepta, ad actum indeliberatum supernaturalem determinans; haec, si facultas iam habitualiter elevata est, eam solum applicat et instinctive determinat ad actum et obiectum; si habitus deest, eadem motio simul transeunter elevat potentiam et habitus defectum supplet. In hac motione, quae est immediate a Deo ab eoque solo, reponenda est essentia gratiae actualis. Similiter *V. d. Meersch* (n. 279—281), *Gutberlet* (Heinrich-Guth. VIII p. 25 s), *Scheeben* (n. 122 ss), *Terrien* (La grâce et la gloire II² p. 375 ss), *Van Noort* (n. 15), *Tabarelli*, *Manzoni*, *Del Val* O. S. Aug. (cf. *Ber.* n. 77; *V. d. M.* p. 261 not. 3). Etiam *De Lugo* S. J., *Erber* S. J., *Gibbon* O. S. Aug., *Panger* Scotista, *J. Herrmann* C. SS. R. tenent gratiam actualem, quae in defectu habituum infusorum detur, componi ex motione non vitali et actu indeliberato vitali (v. *Ber.* n. 36). — c) *Palmieri* (th. 16 s et clarius in parte non publice edita th. 10) correspondenter ad suam de gratia habituali sententiam (cf. n. 389, 5) docet gratiam actualem, si deficiat habitus, esse modum supernaturalem, realiter indistinctum ab anima et transeuntem (v. *Lah.* n. 100 II; *Ber.* n. 78). — **Reliqui Molinistae** contendunt talem entitatem non vitalem non probari sufficienter suasque pati difficultates. Quatenus vero non statuitur praedeterminatio physica actus liberi, non solent huic sententiae multum adversari. *Suarez*, *Opusc. de Auxiliis* I l. 3 c. 4 n. 14: « Non est omnino improbabilis aut saltem nihil ex ea inferri potest contra principia fidei. »

520. B. Positive statuimus nostram sententiam: Gratia actualis, excitans et adiuvens, qua donum creatum nihil aliud est nisi actus vitales illustrationis et inspirationis, de quibus in th. 18 egimus, ergo imprimis actus indeliberati intellectus et voluntatis, dein aliquando etiam actus deliberati. Ut clarius videamus, quid sola gratia actualis praestet, examinamus casum, in quo homo habitibus infusis carens *ad primum actum salutarem* a Deo perducatur. Quare debemus explicare: 1. Quomodo oritur primus actus supernaturalis indeliberatus? 2. Quomodo ope huius actus efficitur primus deliberatus actus salutaris? Respondemus:

1. Actus indeliberatus elicitur a facultate externe tantum elevata. «Est itaque elevatio auxilium superioris agentis, rei indebitum, quo munus exsequitur, quod concursu sibi debito propriaque virtute exsequi non potest» (*Rip.* disp. 24 n. 2). Patet ad eliciendum actum supernaturalem facultatem indigere aliqua elevatione. *Habitus infusi* internam conferunt elevationem eamque permanentem. *Motio virtuosa* Thomistarum, quando supplet habitum, facultatem transeunter tantum, sed tamen interne elevat, cum ab eadem antecedenter ad productionem actus vitalis intrinsecus recipiatur. Ex *nostra sententia* primum ens supernaturale, quod facultas interne recipit, est ipse actus immanens indeliberatus. Ad eundem eliciendum praevia elevatio interna non datur. Sed facultas recte dicitur externe elevata eo, quod Spiritus Sanctus ei *supernaturaliter assistit*, non quidem natura *prius* ad actum secundum *in ea* agendo, sed *simul cum ea* concursu simultaneo supernaturali producendo actum atque ita suam virtutem supernaturalem cum virtute naturali facultatis coniungendo. Actus, qui sic oritur, est vitalis, quia procedit et recipitur a facultate; est supernaturalis, quia indebito concursu divino efficitur. *Potentia* ita cooperandi cum concursu supernaturali est *oboe-dientialis stricte activa* (cf. n. 257 s 525). — Hucusque omnes adversarii motionis praeviae non vitalis consentiunt.

521. 2. In actum deliberatum actus indeliberatus omnibus consentientibus *moraliter* sive intentionaliter influit. Sed unde habet natura eas vires *physicas* superaddendas, ut actum deliberatum entitative supernaturalem producere possit? *Habitus infusus* ex supposito deest. *Motio virtuosa* reicitur. *Gratia actualis*, vicem gerens habituum, consistit in supernaturali actu indeliberato. Ergo hic actus indeliberatus dicendus est etiam physicum principium actus deliberati qua supernaturaliter elevati. Anima, quae ad actum indeliberatum eliciendum non nisi *externae* elevata erat, nunc per eundem actum modo elicitum et adhuc in ea exsistentem iam *interne* elevata est ad dandum liberum consensum sive ad efficiendum actum deliberatum et salutarem. Ita explicant cum **Molina** (q. 14 a. 13 disp. 37) **Lessius**, **Arrúbal**, **Vazquez**, **De Valentia**, **Becanus**, **Viva**, **Ripalda** (disp. 110 s. 1), **Ruíz**, **Struggl**, **Casa-joana**, **Mazz.** (n. 148, 2), **Lah.** (th. 16), **Tepe** (n. 97), **P** (n. 63), **Ber.** (n. 101 ss), alii (v. **Ber.** n. 100). — Sed **Suarez** aliique hanc explicationem non approbant. Nolunt enim *alteri actu in alterum* concedere influxum physicum. Quare dicunt: Quoad phy-

sicam elevationem actus salutaris defectus habitus infusi non suppletur per aliquod donum gratiae creatae; potius anima, quando per gratiam illustrationis et inspirationis moraliter sollicitatur ad liberum consensum, physice *iterum externe elevatur*. Spiritus enim Sanctus, eodem modo supernaturaliter assistens atque ad actum indeliberatum, denuo supernaturali concursu simultaneo facultati cooperatur, ut actus deliberatus ita fiat, sicut oportet ad salutem, i. e. ut evadat entitative supernaturalis. Cuius supernaturalitatis *unica causa physica* est hic *immediatus influxus Dei* concurrentis, non praecedens actus indeliberatus, qui est quidem entitative supernaturalis, sed moraliter tantum causat actum deliberatum. Sic cum Suarez (*De grat.* 3, 4, 12) Tanner, Granado, Zumel, Kilber (Wirceburg.), Mendive, Schiffini (v. Ber. n. 100). — Nos sequimur Molinam. Sed quod dicit Deum cum facultate actu indeliberato transeunter elevata concurrere concursu *generali* tantum, non probamus simpliciter (v. n. 529). Ceterum ipse Molina (disp. 39 fin.) non valde reluctatur admittere «concursum ad illos actus esse *alterius rationis* a concursu generali ad effectus naturales». Nos dicimus actum salutarem fieri cum concursu Dei correspondente, i. e. tali, prout actui primo, potentiae scil. actu indeliberato elevatae, proportionatus et debitus est ad hoc, ut eveniat actus deliberatus entitative supernaturalis. Licet non accuratius determinemus, qualis concursus correspondeat, tamen putamus concursum mere generalem, ad actus naturales concedi solitum, in hoc casu non esse satis. Lessius (*De grat. eff.* 2, 11) expresse dicit auxilium concomitans, quod situm sit partim in concursu Dei, partim in concursu auxilii praevenientis, esse *proportionatum* auxilio praevenienti. Similiter Mazz. (n. 156) et Ber. (n. 117). Pesch (tenor th. 6 et n. 64) videtur idem sentire¹.

¹ Abstrahimus a sententia, quam proponit Th. de Régnon S. J., *Bañes et Molina* l. 3 c. 5 s (p. 203—233). Putat *actum deliberatum* moraliter tantum, non *physice differre ab actu indeliberato*; hinc non opus esse ullo novo auxilio divino ad actum deliberatum. Si hoc verum est, tota explicatio simplicior evadit. — Eandem sententiam, non sub his terminis, sed quoad rem, primus proposuit Gregorius de Valentia, ut ostendit W. Hentrich, *Gregor von Valencia und der Molinismus* (Innsbruck 1928) 55 s 64 ss 139 ss. — Th. Lemos O. P., *Panoplia gratiae* l. 4 p. 1 tr. 7 n. 83 dicit: «Verius reputo actum indeliberatum et deliberatum respectu eiusdem obiecti... non distingui specie et realiter, sed unum et eundem actum numero esse, a principio indeliberatum ob defectum rationis et advertentiae, et fieri deliberatum adveniente advertentia.» Similiter sentit etiam Gonzalez de Albelda O. P., *Commentar. t. 2* disp. 59 p. 109; cf. *Marin-Sola* in: *La Ciencia Tomista*

522. Prob. A. Reiciuntur entitates fluentes non vitales. *Onus probandi* incumbit adversariis, cum novas entitates inferant. Atqui earum necessitatem *neque theologice neque philosophice* demonstrant. Ergo eorum sententia non admittitur.

1. Non probantur theologice. a) Gratia vocatur quidem in fontibus *pulsatio* (Apc 3, 20), *excitatio* (Eph 5, 14), *vocatio* (Rom 8, 30), *tactus cordis* (Indiculus c. 8 [Dz 134]), *tractio* (Io 6, 44). Eiusmodi termini sunt metaphorae, quibus exprimitur aliquis divinus in animam influxus, liberum praevertens arbitrium. Quare nihil obstat, quominus hi termini significant *actus vitales indeliberatos* supernaturaliter a Deo in anima effectos. — Sic Patres hos terminos explicant. Augustinus: Deus vocat per intimam cogitationem; trahit, dum docendo delectat, voluntate et voluptate. Homo tangitur vocatione, i. e. rerum testificatione (cf. n. 502; P 29 33 53). Prosper: Trahunt timor, laetitia, desiderium, delectationes (n. 502; P 24). — Ergo dicendum est: Deus eo, quod in nobis immediate producit actus indeliberatos, excitat et vocat nos *ad actus deliberatos*¹. — b) Gratia fit «*in nobis sine nobis*», i. e. sine nobis *libere consentientibus*, non sine nobis *vitaliter elicientibus*. — Arausicanum can. 20 (Dz 193): «*Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo*», scil. non facit actu vere humano seu libero (praeterea Deus habitus infusos in homine solus producit). — c) Gratia est *instrumentum*, quo Deus nos movet, intellege *ad liberum consensum*². — d) *Analogia ad habitus infusos*, qui praecedunt actus vitales, non potest urgeri. Habitus enim dantur, ut potentiae, *permanenter* et per modum status elevatae, frequenter supernaturaliter agant. Elevatio vero transiens inservit *singulari actui* elevando. Quare non est necesse, ut eodem modo oriatur. Ceterum nos admittimus pro actu deliberato antecedentem facultatis elevationem internam per

33 (1926 I) 355. — Ex dictis apparet, quo iure Del Prado, *De gratia et libero arbitrio* III 293—295 hanc doctrinam Patris Th. de Régnon ironice vocet «*apicem perfectionis Concordiae*» *Molinae*, quae eo usque pervenerit, ut cum Lutheranis et Calvinistis contra definitionem Concilii Tridentini affirmet «*liberum arbitrium nihil omnino agere*». Sic loquitur auctor de doctrina, quae iam ante Molinam statuta erat et post eum ab acerrimo eius adversario Lemos defendebatur!

¹ Si quis vult intellegere Deum etiam ad actum *indeliberatum* «*trahere*», dici potest hanc tractionem fieri speciali concursu, sed non entitate creata ab ipso actu indeliberato distincta.

² Si quis hoc etiam ad actum *indeliberatum* extendere vult, cogitet de instrumento *improprie* dicto in ordine *causae formalis*, non in ordine *causae efficientis*.

actum indeliberatum. Etiam actum indeliberatum praevia elevatione interna debere reddi supernaturalem, saltem ex analogia habituum minime probatur¹. — Ipse *Billot* concedit fontes *theologicos* directe non indicare alias gratias actuales quam illustrationes et inspirationes vitales. Ergo entitates non vitales deberent *philosophicis* argumentis solide probari.

523. 2. Non probantur philosophice. Non probantur necessariae a) propter applicationem potentiae ad actum. Potentia enim necessario agens per naturalem inclinationem in suum obiectum et per eiusdem praesentiam sufficienter praedeterminata est, ut cum concursu Dei simultaneo in actum prodeat. — Concursum praevium *praedeterminantem* non necessario requiri iam ex eo manifestum est, quod existunt actus *liberi* creaturarum. Atqui actum liberum physice praedeterminari repugnat (v. n. 592). — Neque b) propter elevationem actus. Elevatione enim *externa* est possibilis et ad actum indeliberatum sufficit (v. B).

524. B. Nostra sententia fusius explicatur et probatur.

1. Ortum primi actus indeliberati supernaturalis explicamus per elevationem facultatis externam, i. e. per assistentiam specialem Spiritus Sancti sive per concursum supernaturalem. *Concursus* Dei physicus et immediatus, qui ad omnem operationem omnis creaturae requiritur (P III pr. 9), *in actu primo* (conkursus oblati) est Deus concurrere paratus, *in actu secundo* (collatus) est *principiative* vel *active* Deus actu iam cooperans, *terminative* autem sive *passive* spectatus est ipsum opus, prout a Deo producitur. *Concursus* collatus est *simultaneus*, non *praevius*, i. e. Deus non praevie in causam et per causam in effectum, sed simul cum causa in effectum agit. Causae igitur prima et secunda ex aequo currunt et aequae immediate effectum attingunt, sub diversa tamen ratione, causa prima sub ratione generaliore, causa secunda sub ratione magis determinata. In concursu *generali* Deus effectum attingit ut *ens*, creatura ut *tale*. Ergo relatio inter causam primam et secundam cooperantes non est prorsus eadem, quae in creaturis inter

¹ Unum ostendere videtur haec analogia, scil. non apte refutari sententiam adversariorum eo, quod ipsorum gratia actualis irrideatur tamquam « *qualitas mortua* ». Gratia enim sanctificans et habitus virtutum simili omnino sensu essent qualitates mortuae (v. *Billot* p. 154 s).

causam *principalem* et *instrumentalem* obtinet; nam causa principalis *praemovendo* instrumentum influit in effectum. — Praeter concursum generalem existit concursus *specialis*. Sic Deus *ad generationem hominis*, quatenus animam creat, specialius concurrit quam ad alias operationes naturales. Hic concursus nihilominus est naturaliter debitus. Concursu *indebito et supernaturali* Deus in effectibus *miraculosis* cum causis secundis cooperatur. Ut *actus entitative et simpliciter supernaturalis* oriatur, id quod in nostro casu fit, sane necesse est, ut Deus concurrat aliquo concursu speciali et supernaturali, qui nulli prorsus potentiae et exigentiae causarum creaturarum debetur, sed *simpliciter omne debitum naturale transcendit* (th. 9 s).

525. Deus omnipotens summusque Dominus in omni creatura et per eam efficere potest, *quidquid* in ea et per eam fieri *non absolute repugnat*. Huic Dei omnipotentiae et supremo dominio ex parte creaturae respondet **potentia oboedientialis**. Per potentiam oboedientialem *passivam* creatura supernaturales effectus Dei *recipit*, v. g. iuxta omnes theologos habitus infusos et secundum adversarios prioris partis etiam entitatem fluentem gratiae actualis. Per potentiam oboedientialem **activam** creatura capax est ad effectus supernaturales ex virtute Dei sive ut instrumentum Dei *producendos*. Haec dividitur in activam latiore sensu sumptam et stricte talem. Prior ita *coniungitur cum potentia passiva*, ut eiusdem praeviam actionem requirat. Hoc sensu potentia oboedientialis activa ab omnibus theologis admittitur; nam secundum *omnes* per habitus infusos, secundum *adversarios* per entitatem fluentem, secundum *Molinam* per actum indeliberatum anima *passive recipit elevationem* supernaturalem et sic *interne capax* redditur ad actum supernaturalem *active eliciendum*¹. Molina autem quoad actum *indeliberatum* supernaturalem et Suarez, qui theoriam potentiae oboedientialis activae expressius excoluit, *insuper* quoad actum *deliberatum* salutarem adstruunt potentiam quandam oboedientialem activam **stricte talem**, quam *Thomistae* tamquam philosophice impossibilem et theologice periculosam reiciunt. Consistit in eo, ut facultati, cui neque tempore neque natura ante ipsum actum supernaturalem ulla virtus

¹ Dicunt tamen Thomistae principium *proximum* actus supernaturalis esse *solam virtutem gratiae* neque concurrere virtutem naturae nisi remote et radicaliter; v. *coroll.* n. 530 et *Ber.* n. 142.

supernaturalis permanentemente aut transeunte interne communicatur, quaeque proinde non exserit nisi vires suas naturales, Deus *nobiliorem et validiorem atque indebitum concursum simultaneum praestet*, quo efficiatur, ut terminus cooperationis divinae et humanae *sublimior* evadat, quam natura sola efficere vel exigere possit, i. e. in nostro casu, ut habeatur actus indeliberatus vitalis entitative et simpliciter supernaturalis. *Recipiendo* hunc actum vitalem facultas utique interne elevatur, eo scil., quod hoc accidente supernaturali informatur; sed in illo signo naturae, in quo ipsa vitaliter *elicit* actum, nondum est interne elevata. Iure autem tunc iam dicitur *externae elevatae*, quia Deus ei iam *assistit*, *supernaturalem concursum* simul cum operatione facultatis *praestiturus* (cf. de his *Lah.* n. 104 et *Limb.* l. c.).

526. Eiusmodi elevatio externa non est impossibilis. Quod enim Deus *mediante habitu vel entitate fluente* facere potest, hoc etiam *immediate* omnipotenti sua virtute praestare valet, dummodo effectus ne involvat internam repugnantiam (uti esset v. g. actus vitalis facultatis a solo Deo productus). In nostro autem casu nulla invenitur repugnantia.

a) Effectus, de quo agitur, actus scil. indeliberatus, est et vitalis et supernaturalis. Inde sequitur quidem principium eius *totale* debere esse tam vitale quam supernaturale; sed non requiritur, ut quodlibet *partiale* principium utraque indole affectum sit. *Facultas humana* est vitalis et vitaliter agit; nam actum eundem et elicit et recipit. Deus est principium supernaturale et supernaturaliter agit concursum specialem praebendo. Ex *cooperatione* utriusque principii activi oritur unus idemque actus, qui totus est vitalis et totus supernaturalis. Vitalitatem debet facultati hominis, supernaturalitatem Deo concurrenti. Qua actus vitalis est solius hominis, quia solus homo eundem actum et efficit et recipit. — b) *Habitus* non solum elevat actum, sed etiam *informat potentiam*. Deus externae elevans sane non informat potentiam; sed gratis asseritur talem informationem hic requiri. Elevatio transiens non debet omnia praestare, quae habitus praestat; nam solummodo debet eum supplere, quatenus est principium elevationis. — c) *Potentia connaturalis* producit actum supernaturalem, si *interne elevata* est. Quare, ut connaturaliter *multos actus* supernaturales eliciat, a Deo *donis permanentibus infusus* elevatur, sicut Deus causas naturales in ordine ad earum actiones naturales instruit permanentibus formis et potentiis. Sed in peccatore habitibus infusus carente actus supernaturales ad iustificationem disponentes proprie loquendo *non sunt connaturales* statui talis hominis. Fere comparari possunt nonnullis *pomis nobilibus in arbore agresti* miraculose productis. Hinc non requiritur, ut tales actus connaturaliter e suo principio prodeant. Quare ne *Suarez* quidem hanc

obiectionem timere debet; multo minus *nos*, qui actum salutarem ex facultate, prout iam per actum indeliberatum transeunter elevata est, physice procedere asserimus et soli actui indeliberato productionem per facultatem externe tantum elevatam tribuimus.

527. Hinc argumento exclusionis omnino probabili nostram sententiam commendavimus. Sine *elevatione* non habetur actus supernaturalis. *Elevatio interna permanens* per habitus infusus et *transiens per actum vitalem* ex supposito non habetur, quoniam agitur de primo ente supernaturali in homine producendo. *Elevatio interna transiens per entitatem non vitalem* non probatur, neque entia supernaturalia sunt multiplicanda sine ratione. Ergo nihil restat nisi *elevatio externa* a Deo supernaturali concursu simultaneo facienda, quam impossibilem esse adversarii frustra conati sunt ostendere.

528. 2. Ad actum primum deliberatum supernaturalem producendum praeter vires facultatis naturales et Deum paratum correspondentem concurrere etiam praesto est **actus supernaturalis indeliberatus** sive facultas per hunc actum transeunter ad supernaturalia elevata. Secundum nostram sententiam iste actus indeliberatus *non solum* sicut omnis eiusmodi actus naturalis *moraliter sollicitat* voluntatem ad liberum consensum, sed etiam physice (transeunter utique) facultatem sive animam sic transmutat, ut qua principium supernaturaliter elevatum eliciat actum deliberatum, atque ita etiam est **causa physica** (saltem partialis) huius actus *praecise qua supernaturalis*.

a) **Nihil obstat.** Actus indeliberatus, praecise prout est actus *intentionalis*, natus est influere *moraliter*. Sed concedentibus adversariis etiam est ex parte sua subiectiva *physicum accidens animae entitative supernaturale*, et per hanc intimam physicam indolem *aptus est, qui physice influat* in elevationem sequentis actus vitalis animae superioris, simili modo atque *habitus* infusus, quando adest, causat entitativam supernaturalitatem suorum actuum (cf. n. 301). Actuatio enim facultatis per actum supernaturalem revera est physica eiusdem elevatio. Facultas igitur qua principium physice elevatum transit ad actum deliberatum. Deo non deneganda est potestas tam bene per actum quam per habitum supernaturalem physice iuvandi facultatem ad opera salutis (P 63).

b) **Rationes positivae** istam physicam efficientiam suadent. α) *Habitus physice elevant actus*. Atqui gratia actualis hic *supplet defectum habituum* (v. n. 302). — β) Probavimus

in genere *gratiam conferre etiam vires physicas* (n. 188). Hoc non solum valere de donis habitualibus ex eo elucet, quod fontes valde urgent absolutam impotentiam vigoris naturae et absolutam necessitatem gratiae ad conferendum sufficientem vigorem, quando agitur de *initio fidei* sive de primis conatibus salutaribus (*Arausicanum* can. 6 7 etc.). Ergo *etiam gratia actualis* confert vires physicas. Consequenter intulimus eos quoque actus salutare, qui procedant ex sola gratia actuali, esse entitative supernaturales (n. 302). — Proinde constat auxilium gratiae actualis *adaequate sumptum*, i. e. illustrationem et inspirationem simul cum concursu Dei ad actum salutarem, physice elevare hunc actum. Iamvero eorundem *fontium rationabilis explicatio* exigere videtur, ne soli concursui divino, sed *etiam creatae gratiae excitanti* hoc munus elevandi tribuatur. Nam praecise illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti, i. e. secundum eosdem fontes *actus vitales* intellegendi et volendi *a Deo immediate immissi*, exhibentur tamquam *absolute necessariae et conferentes illum vigorem*, qui naturae deest. Hoc optime explicatur, si actus vitales gratiae excitantis actum deliberatum physice elevant ad ordinem salutis supernaturalem. In sententia vero adversariorum arbitrarie a Deo statutum esse videtur se non concessurum esse concursum supernaturalem ad actum deliberatum, nisi hic actus moraliter provocatus sit per cogitationem et affectionem praeviam ab ipso supernaturaliter immissam. — γ) Suarez ipse omnino tenet *gratiam excitantem in sua entitate esse supernaturalem* (l. 3 c. 10 n. 12 ss); pro hac sententia adducit communem theologorum consensum, testimonia S. Augustini et argumenta rationis. Sed *nequaquam potest explicare, cur iam ante actum salutarem praevius actus entitative supernaturalis absoluta necessitate* exigatur; nam in ipsius sententia huic actui nullum aliud munus tribuitur, quam quo *etiam actus naturalis* fungi posset, scil. ut *moraliter sollicitet* voluntatem ad consensum dandum. — δ) Actus salutaris, licet sine habitibus elicitus sit, probabilius non solum positive disponit ad iustificationem, sed eam etiam de congruo meretur (n. 716 b). Atqui non praecise eo meremur, quod actum liberum in nostra facultate *recipimus*, sed potius eo, quod eum libera determinatione voluntatis *elicimus*. Hinc non videtur ad meritum supernaturale sufficere, ut liber actus supernaturalis receptus a facultate eandem mere informet, sed videtur requiri, ut *active produxerit* eum facultas *qua principium et liberum et supernaturale*. Atqui *sine physico influxu* actus indeliberati non procederet actus salutaris ex

facultate qua principio supernaturali; nam in hoc supposito adaequata causa physica supernaturalitatis actus liberi esset concursus Dei simultaneus. Efficeretur igitur elevatio actus salutaris in aliquo signo naturae, quod ad comparandum meritum supernaturale non sufficeret, quia tardior veniret elevatio facultatis. E contra in nostra sententia (non minus quam in sententia Thomistarum) facultas *qua physicum principium supernaturale* emittit actum liberum, ac proinde supernaturale meritum talis actus bene explicatur (hoc argumentum v. apud *Lah.* n. 111; cf. analogam quaestionem infra n. 714, 1).

529. Etiam actus deliberatus requirit ad sui productionem concursum divinum. Ultimo loco discutitur, utrum iste **concursum** sit **generalis an** potius denuo requiratur concursus **specialis sive supernaturalis**, *quocum facultas*, supernaturali actu indeliberato actuata, *efficiat actum salutarem*. Concursus iste sane *aliquo sensu* potest vocari generalis. Nam *ex lege aliqua generalissima* causae secundae in actu primo proximo constitutae debetur concursus, qui praecise huic actui primo proportionatus est. Sed si concursum, de quo nunc agitur, *absolute in se*, non relate ad praesentem statum facultatis elevatae, spectamus, potius eum nominabimus specialem et supernaturalem. Hoc enim magis quadrat *ad totam conceptionem entis entitative et simpliciter supernaturalis*, prout a theologis posttridentinis exculpta est. Quaecumque dona intrinsecus pertinent ad istum ordinem divinum, qui omnes potentias et exigentias creaturarum transcendit, non possunt *ab ulla creatura* quantumvis elevata tamquam a *causa principali* produci. Quatenus creatura elevata positivi aliquid confert ad eiusmodi effectum, sub hac praecise ratione non est nisi *instrumentum Dei*. Sin Deus *generali tantum concursu* ad talem effectum cooperaretur, ipsa *creatura elevata* dicenda esset *causa principalis* effectus etiam qua supernaturalis. Ergo Deus, postquam sibi *praeeparavit instrumentum* supernaturale, sive illud elevaverit permanenter per habitus infusos, sive transeunter per actum indeliberatum supernaturalem, nihilominus ipse concursu supernaturali qua causa principalis actum salutarem ut supernaturalem ope talis instrumenti efficit¹. Sic,

¹ Econtra non est absolute necessarium, ut causa secunda praevie elevetur. Quidquid enim creatura qua elevata ad supernaturalitatem effectus physice confert, Deus immediate supplere potest. Idem censemus de actu maxime supernaturali, scil. de visione Dei, quae ex creato lumine gloriae et concursu superna-

quamquam dantur *habitus infusi* et *auxilia transeuntia*, ut actus salutaris ex facultate iam elevata profluat, tamen propterea *non evadit supervacaneus concursus supernaturalis*, et in actu *indeliberato* tota supernaturalitas effectus debetur concursui divino absque instrumento creato.

530. *Corollarium*. De associatione causarum actus supernaturalis.

P 62 64. — Lah. 122—132. — Ber. 140—151.

Auctores multum disputant, quomodo causae actus salutaris, *Deus* scil. et *facultas elevata*, inter se habeant atque quo sensu possint concipi ut causa *principalis* et *instrumentalis*: Thomistae, saltem recentiores, ut omnem *potentiam oboedientialem stricte activam* (v. n. 525) quam maxime fugiant, *denegant naturae* cum suis potentiis *omnem directum influxum* in actum supernaturalem; naturam *remote tantum et radicaliter* dicunt concurrere, quatenus scil. in se habeat et ut subiectum sustentet *virtutem gratiae*, a qua actus non solum qua supernaturalis sed *etiam qua vitalis* proxime procedat. Haec conceptio videtur esse impossibilis. Tridentinum prorsus alio modo de natura et gratia loquitur; dicit enim liberum arbitrium *cooperari gratiae nec mere passive* se habere (s. 6 cap. 5 et can. 4 [Dz 797 814]). — Quare rectius dicimus: Actus supernaturalis procedit *ex duabus causis partialibus* simul agentibus, ex viribus *naturae* et ex viribus *gratiae*, elevatione sive interna sive externa naturae communicatis. *Eundem realiter effectum*, actum scil. vitalem et supernaturalem, utraque causa *totum* attingit. Sed in hoc effectu realiter uno *duae formalitates* distinguendae sunt, vitalitas et supernaturalitas. Actus qua vitalis prodit a natura, qua supernaturalis a gratia, et hoc sensu tantum licet loqui de partialitate effectus. Actum praecise qua vitalem Deus solus producere non potest, neque creatura sola eundem praecise qua supernaturalem. Ergo aliquo modo utraque causa a cooperatione alterius dependet. Actus, quoniam aequae essentialiter est vitalis atque supernaturalis, neque prius a natura neque prius a gratia procedit, sed *simul est ab utraque causa* (Lah. th. 18). — Ratione vitalitatis homo vere est *causa principalis* sui

turali procedit. Etiam *solus concursus* hunc actum, quatenus est supernaturalis, producere posse videtur, sed *connaturalius* fit cooperante lumine gloriae habitualiter intellectum elevante.

actus neque est merum instrumentum Dei, sed Deus ei cooperatur ut *causa prima* simultanee concurrrens. Ratione supernaturalitatis Deus omnino est *causa principalis*, immo, quando agitur de primo actu *indeliberato*, proprie loquendo *causa unica*; nam creatura secundum potentiam oboedientialem activam cooperans praecise quoad supernaturalitatem efficiendam rationem veri instrumenti sibi vindicare vix potest. Facultas actu indeliberato elevata, quando physice concurrat ad efficiendum actum *salutarem* qua supernaturalem, in hoc recte dicitur *instrumentum* Dei; operatur enim per virtutem a Deo datam, a Deo excitata et mota. Deus autem facultatem elevando et concursu speciali in actum salutarem influendo eiusdem actus supernaturalitatem determinat. Quare est *causa principalis* actus salutaris qua supernaturalis, utens facultate elevata tamquam instrumento ad producendum hunc effectum (cf. *Lah. th.* 19).

531. *Scholium. De necessitate gratiae actualis pro iustis.*

P. pr. 9. — V. d. Meersch n. 338—340. — Ber. 218—223. — Tepe n. 62—73.

Fides docet iustos praeter dona permanentia indigere speciali auxilio *ad perseverandum* in iustitia; sed hoc auxilium datur ad *sanandam* infirmitatem hominis neque spectat ad singulos actus salutares (th. 6, praesertim n. 174 d cum nota). Nunc est quaestio de speciali auxilio *qua elevante*. — Ut actus salutaris in sua supernaturali perfectione *intensior* fiat, quam praesenti gradui habituum infusorum respondeat, patet excessum perfectionis conferendum esse per elevationem transeuntem gratiae actualis. Sed modo quaerimus, utrum *ad omnem actum salutarem iusti* praeter dona habitualia etiam requiratur gratia actualis. — Responsa theologorum sunt maxime diversa. Aliis sententia affirmans est dogma fidei definitum, aliis sententia negans longe verior apparet.

Perrone (*De grat.* t. 2 n. 203 nota): « Quaestio haec non ad scholasticas quaestiones pertinet, sed est *dogma fidei* ab Ecclesia definitum » (Ber. n. 218 putat Perrone non satis bene intellexisse statum quaestionis). — Pohle (II⁷ p. 348 s) assentit Perrone. — J. Chr. Gspann (*Natur u. Ueberratur* [Habelschwerdt 1925] p. 44): « Es ist Glaubenssatz der kath. Kirche, dass wir auch im seligen Zustande der dauernden Gnade zu allem Heilswirken die wirkliche Gnade brauchen. » — Tepe (n. 63): « iuxta multos theologos *de fide* est ». — Lingens putat hoc a *Trid.* s. 6 can. 22 esse definitum (v. n. 174). — Bartmann (2. ed., p. 433): « *fidei proxima* ». —

Lah. (th. 5): «*theologicæ certa*». — Mazz. (pr. 8 n. 269): Fontibus «*magis consentanea, tenenda omnino videtur*». — Pesch (n. 109): Opposita sententia «*communissime et merito a theologis reicitur*»; (Comp. III n. 253): «*Plurimi theologi censent... requiri.*» — G. van Noort (*De grat.* ed. 2 n. 39): «... et communius tenetur a theologis et documentis ecclesiasticis conformior est». — E. Hugon (II⁵ p. 139) approbat Pesch et Mazz. — Ber. (n. 218): «*Probabilius videtur...*». — Diekamp (II³ § 11 p. 394): «*Sententia communior.*» — V. d. Meersch (n. 338): «*Non videtur requiri gratia actualis proprie dicta... Haec propositio, licet a pluribus theologis negetur, propugnatur tamen a gravibus auctoribus, inter quos citandi sunt Caietanus, Soto, Molina, Bellarminus et inter recentiores Terrien, Billot, Pignataro, Konings.*» — Billot (*Virt.* p. 176): «... secundum sententiam, quae longe verior videtur, absque ullo addito gratiae adiutorio».

532. Ex parte haec quaestio est de solo nomine, quatenus scil. quaeritur, utrum auxilium a Deo conferendum iure vocetur *novum auxilium gratuitum*. Ad ipsam rem quod attinet, haec videntur dicenda.

1. Ratione *elevationis* actus salutaris non requiritur gratia actualis. Anima enim iusti *permanentè elevata* est habitibus infusis, et elevans gratia actualis homini habitibus carenti praecise ad hoc datur, ut defectus habituum suppleatur.

2. *Psychologicè* homo habitibus instructus eadem via, qua ille, qui iis caret, ad actum salutarem pervenit, quatenus scil. actus deliberatus praevenitur et excitatur indeliberata pia cogitatione et affectione. — Irrationabiliter assereretur actus istos indeliberatos, qui actum salutarem praeparant, in iusto esse entitatis ignobilioris quam in homine, qui primum ad iustificationem disponitur (praesertim cum ad actum salutarem nihil amplius deesse videatur, nisi quod ista indeliberata cogitatio et affectio accedente deliberatione libere retineatur et foveatur). Ergo etiam in iustis invenimus *actus indeliberatos entitative supernaturales*, qui secundum thesim in homine habitibus privato totam essentiam gratiae actualis elevantis constituunt. — Manet autem quaestio, utrum *res materialiter identica* etiam in iusto habeat *formalem rationem auxilii gratuiti* necne (v. n. 535).

533. 3. Unde hi actus indeliberati in iustis suam *habent entitativam supernaturalitatem*? Secundum Thomistas *ex concursu praevio* supernaturali; secundum Tanner et alios consequenter ad sententiam suarezianam *per solam externam assistentiam* S. Spiritus; secundum Molinam, Ripalda,

Struggl, Viva, Beraza (n. 98) aliosque saltem etiam *ex influxu physico habituum* infusorum; secundum Billot ii instinctus, quibus vere competit ratio novi auxilii, condistricti in genere doni a gratia habituali, in iustis procedunt *ex habitualibus donis Spiritus Sancti* (cf. n. 174 f 461). — Videtur omnino dicendum *habitus infusus* (per se *habitus virtutum*, concurrentibus fortasse saepius *donis S. Spiritus*) in elevationem horum actuum indeliberatorum *physice influere*. Nam omnibus fatentibus virtutes infusae entitative elevant actus *deliberatos* (n. 301). Atqui satis mirum esset, si v. g. ex habitu caritatis infusae prodiret quidem *liber* actus misericordiae supernaturalis, *indeliberatus* vero motus eiusdem misericordiae, quem aspectus pauperis excitat, non deberet huic habitui suam elevationem. Sic enim habitus caritatis quoad *specificam* rationem huius virtutis nihil conferre, sed quoad *solam genericam* rationem libertatis aliquid valere videretur.

534. 4. Sed si actus indeliberatus, in quo reponimus essentiam gratiae actualis, ex habitu infuso elicitur, non apparet, *quo iure* dicatur, quod patroni sententiae affirmantis passim dicunt, scil. *requiri gratiam actualem* non quidem propter elevationem actus, sed *propter excitationem habitus* (v. g. P n. 112). Habitus enim deberet *iam antea* excitari ad eliciendum actum *indeliberatum*, et haec anterior excitatio omnino sufficere videtur, ut perveniri possit ad actum deliberatum ex habitu elicito. — *Quomodo* igitur *habitus excitatur* ad emitendum actum indeliberatum? *Motio Dei praevia* non cohaeret cum reliqua doctrina plurimorum horum auctorum. *Concursus simultaneus* supernaturalis non est excitatio, cum non influat in potentiam et habitum, sed simul cum iis in actum¹.

5. Passim dicitur: Quoniam facultas habitualiter elevata nihilominus *potest adhuc naturaliter agere*, aliunde *determinari debet, ut agat supernaturaliter*. Hoc autem fieri nequit a

¹ Posset absolute dici concursu supernaturali produci *speciem impressam supernaturalem* in intellectu, quae species excitet habitum infusum et cum eo producat speciem expressam indeliberatae cognitionis supernaturalis, atque post hanc primam excitationem principiorum supernaturalium sequi in voluntate correspondentes actus supernaturales. Sed ita refugeretur ad rem *valde obscuram et gratis assertam*, neque auctores videntur cogitasse de hac solutione, cum *Suarez, Molina, Vazquez, Bañez, Lugo, Ripalda* et alii satis communiter contra paucos (*Granada, Hurtado, Viva*) negent ad illustrationes intellectus supernaturales dari species impressas supernaturales (v. *Ber.* n. 96 s).

solo obiecto, sed requiritur *internus quidam influxus supernaturalis*, i. e. gratia actualis excitans (P n. 112; Ber. n. 223 resp. b). — At a priori non videtur nobis constare, quousque infusus habitus operativus *ex sese sit actuosus* an potius *iners*. Si difficulter mobilis est, utique requiescet, donec a principio quodam externo, entitativa perfectione sibi haud impari, ad agendum excitetur. Sed cur ei denegemus eam actuositatem, quam Scholastici intellectui agenti tribuunt? Qui, licet ipse sit spiritualis potentia, tamen non permanet in statu quietis, donec tandem a principio pariter spirituali ad agendum excitetur, sed ubi primum phantasma occurrit, suam incipit operationem. Quare minime repugnare videtur habitus quoque infusus procedere ad eliciendas indeliberatas cogitationes et affectiones entitativae supernaturales, *ubi primum obiectum aptum*, licet entitatis naturalis, potentiis animae *offeratur*. Accedente v. g. *paupere* et per amorem Iesu Christi eleemosynas petente in quolibet fidei exsurgit cogitatio indeliberata de opere christianae misericordiae hic et nunc possibili et in omni homine non penitus perverso etiam oritur indeliberatus misericordiae affectus. Eiusmodi actus indeliberati in homine habitualis caritatis experte non erunt supernaturales, nisi Deus *speciali concursu supernaturali* eos elevet atque hoc modo conferat *gratiam actualem*, quae absque dubio rationem habet doni gratuiti; sed in homine iusto *fortasse semper, idque connaturaliter ad suum statum elevatum*, per respectivos habitus infusus (simulque per concursum correspondentem iuxta n. 529) eiusmodi actus in sua entitate elevantur. Sane hoc suppositum cum certitudine excludi non potest.

535. 6. Si rem ita esse supponamus, fere nihil restat nisi *quaestio de nomine*, nempe utrum in iusto talem actum indeliberatum, *connaturaliter* ad totum elevationis statum supernaturaliter elevatum, possimus vel etiam debeamus vocare *novum auxilium gratiae actualis, ab habitibus ratione doni sive favoris distinctum*. Aliqua gratia externa sine dubio habetur. Benignae enim Dei providentiae adscribendum est, quod pauper iste obviam venit et eleemosynas rogavit. Sic *omnes occasiones virtutum* exercendarum in hoc ordine *providentia Dei supernaturali* dispensantur. — Beraza (n. 223 resp. a) existimat *id sufficere* ad rationem verae gratiae excitantis. Billot e contra (qui utique conformiter ad suam de essentia gratiae actualis sententiam potius ad motionem sive *applicationem* divinam quam ad actus vitales attendit) dicit

(*Virt.* p. 176): «Habitualis gratia... elevat ad operationes dei-formes, et ita quidem, ut... *absque superaddito gratiae adiutorio* possit homo salutare actus ponere... Quippe per dona habitualis gratiae constituitur potens connaturaliter operari in ordine supernaturali, sicut per naturam in ordine naturali. Atqui nemo sane dixerit hominem indigere *speciali adiutorio* ad quodlibet bonum naturalis ordinis opus.»

536. 7. Multi censent propter fontes omnino affirmative respondendum esse ad quaestionem huius scholii. Sed ex praeconcep-tis ideis *fontes saepe falso intelleguntur* (cf. *Lingens* n. 174). Tridentinum de hac re nihil docere voluit (cf. *Scholastik* 1 [1926] 435). Neque ex can. 22 neque ex cap. 16 quidquam deduci potest. Virtus, quam Christus iugiter in iustificatos influit, quae eorum bona opera antecedit et comitatur et subsequitur, potest ex *habituali* cum Christo coniunctione provenire, uti etiam exempla vitis et capitis insinuant. — In *Adnotationibus ad 1^{um} schema de doctr. cath.* Vaticano propositum cap. 18 n. 43 (CL 7, 552) expresse dicitur hic non dirimi quaestionem inter theologos controversam, utrum in iustis *ad singulos actus* virtutum requiratur, aliqua *excitans gratia actualis*, distincta a gratia permanente cum habitibus infusis, an haec dona habitualia sint adiutorium per se sufficiens ad actus supernaturales, nisi difficultates speciales neces-sariam reddant excitantem gratiam specialem. — Indiculus cap. 8 s (Dz 134 s) magis *favere* videtur sententiae affirmanti; nam loquitur de auxilio divino etiam iustis *in singulis bonis motibus* liberi arbitrii necessario et a Deo oratione impetrando. Sed potest sufficienter explicari de *externis* gratis simul *cum interno influxu habituum*. Idem fere valet de Arausicani can. 9 (Dz 182). Eius-dem concilii can. 10 potius agit de adiutorio *ad perseverandum* necessario; can. 24 vitale alimentum a vite palmitibus subministra-tum potest intellegi de auxiliis, quae *ex habitibus* profluunt. — In omni sententia *iure oratur*, ut cuncta nostra oratio et operatio a Deo praeveniatur et adiuvetur. Nam gratia *semper utilis* est et qua sanans *saepe moraliter necessaria*. Tandem *efficacia* auxilii semper decisive a Deo ex variis auxiliis possibilibus unum eligente dependet (th. 21). — His et similibus modis omnes textus fontium ab adversariis necessitatis explicari possunt. — Apud veteres theo-logos status quaestionis nondum erat satis elucidatus. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 109 a. 9 negat illum, qui iam consecutus sit gratiam (habitualem), per se ipsum posse operari bonum et vitare peccatum absque *auxilio gratiae*. Sed eiusdem auxilii necessitatem ex hisce duabus derivat rationibus: a) «Nulla res creata potest in quem-cumque actum prodire nisi *virtute motionis divinae*», quod per se non plus probat quam necessitatem *concursum generalis*. b) Licet mens per gratiam habitualem sanata sit, remanet tamen *corruptio et infectio carnis* necnon quaedam *ignorantiae obscuritas* in intel-lectu; «et ideo necesse est nobis, ut a Deo *dirigamur et protegamur*», quod indicat necessitatem *externae gratiae sanantis*. Sed de novo dono actuali ad excitationem habituum supernaturalium requisito nihil habet. Quare etiam Caletanus et Billot mentem

Aquinatis se fideliter interpretari opinantur. — Capreolus, *Def. th.* In 2 d. 27 a. 1 (Turon. 1903 t. 4 p. 273): « Omne opus procedens ex speciali motione Spiritus Sancti et habitu deformativo condignum est fini... Sed omne opus meritorium in habente gratiam est huiusmodi, quod scil. procedit a Spiritu et a gratia deformativa et ordinatur sicut ad finem ad gloriam. » — Dionysius Carth., In 2 d. 5 q. 3 fin.: « Ad actum meritorium praeter liberum arbitrium habitualemque gratiam seu caritatem requiritur et concurrat actualis quaedam motio Spiritus Sancti. » — Sed Vega, *De iustif.* q. 14 concl. 1: « Tamen obtenta iam gratia iustificationis non omnes catholici senserunt requisitum esse auxilium speciale, immo oppositum est communis opinio doctorum scholasticorum... Et expressissime hoc asserit Doctor subtilis. » — Inde a fine saeculi XVI sententia affirmans facta est communissima, sed ultimis decenniis sententia negans iterum invaluit.

Maioris momenti quam haec controversia theoretica est id, quod Ecclesia docet omnesque admittunt: Etiam iustus auxilium divinum instanter implorare debet, ut possit vitare malum et facere bonum (th. 6), atque multo magis, ut illud reapse vitet, idque perseveranter usque ad finem vitae (th. 21).

SECTIO QUINTA

DE

GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI

PRAENOTANDA

537. In hac sectione non attenditur ad gratiam praecise *qua elevantem*, sed eadem omnino divisio fieri potest quoad auxilia entitative naturalia. De facto vero respicimus ad actus salutares et consequenter agimus de auxiliis, quae saltem sunt coniuncta cum gratia elevante. Non attendimus ad *vires*, quas gratia *in actu primo* confert, sed ad *usum* vel *non-usum* virium *in actu secundo*, quatenus cum a libero arbitrio tum a gratia pendet.

538. E **S. Scriptura** facile haec duo depromimus: a) Multae gratiae ex culpa malae voluntatis non ferunt eum fructum, quem Deus iure exspectare potest. b) Nihilominus si actus salutaris reapse fit, ipsum velle et operari speciali Dei electioni et praedilectioni est adscribendum. *Ante S. Augustinum* et a **Patribus graecis** omnibus magis solet urgeri prior ex his duabus veritatibus, i. e. decisivus liberi arbitrii humani influxus. *Augustinus* vero cum discipulis adversus Pelagianos et magis adversus Semipelagianos victricem gratiae efficaciam super omnem voluntatis creatae resistantiam et vocationis congruae speciale beneficium maxime effert. — **Scholastici** medii aevi utramque veritatem sufficienter exhibent, sed si ambas componere student, facile alterutra laeditur (*Anselmus, Bernardus, Thomas Bradwardine*). Nondum statuunt explicite hanc divisionem gratiae¹. — Secundum **Protestantes** omnis arbitrii

¹ S. Thomas utrumque terminum habet: *S. th.* 1, 2 q. 106 a. 2 ad 2: «Lex nova... , quantum est de se, *sufficiens* auxilium dat ad non peccandum»; *In Rom* c. 8 lect. 6: «Et etiam haec vocatio est *efficax* in praedestinatis, quia huiusmodi vocationi assentiuntur»; *In Matth* 26, 28: «... si consideretur *sufficiencia*, » ipse est propitiatio pro peccatis... totius mundi»; sed si consideremus *effectum*, non habet effectum nisi in his, qui salvantur, et hoc ex culpa hominum». Attamen S. Thomas gratiam nondum per haec duo membra dividit. Primus theologus, quem *G. Schneemann* (Controv. p. 318 s) invenit gratiam ita dividentem, est Hen-

libertas in homine lapsa *interiit*. Aut a concupiscentia ad malum aut a gratia ad bonum trahitur. Contra hanc haeresim **Tridentinum** homini etiam lapsa vindicavit potestatem libere resistendi et consentiendi gratiae. — Abhinc theologi discrimen gratiae efficaci a mere sufficiente ex professo examinare coeperunt. Exculta sunt varia **systemata** ad explicandam infallibilitatem gratiae efficaci, inter quae eminent *Bannezianismus* et *Molinismus*. *Congregationes de Auxiliis* Romae habitae a. 1607 sine definitiva Ecclesiae sententia finitae sunt. B. Bellarminus et Suarez Molinismum suo *Congruismo* attenuaverunt. — **Iansenius** haeresim Protestantium paulum mitigatam reproduxit, docens voluntatem hominis lapsi, licet cogi non possit, tamen *interne necessitari* maiore actuali delectatione sive caritatis caelestis sive pravae cupiditatis. *Quesnel* ad irresistibilem vim voluntatis Dei omnipotentis provocabat. — *Augustinenses* solutionem problematis per praedeterminationem moralem quaerebant, *Scotistae* per decretum condeterminans, multi *Sorbonici*, quibus accessit S. Alfonsus de Ligorio, per quendam Syncretismum. — Ultimis temporibus lis inter Bannezianos et Molinistas maxime agitur de quaestione historica, quae fuerit *mens S. Thomae*.

ARTICULUS I DOCTRINA CATHOLICA

Thesis 20. Etiam in statu naturae lapsae datur gratia pure sufficiens, quae vere sufficit, et gratiae efficaci resisti potest.

539. P pr. 18; Comp. pr. 35 II. — Palm. th. 39—48. — Mazz. n. 496—535. — Lah. n. 220—234. — Ber. n. 449—461 469—474 487—522.

St. qu. 1. Nexus. a) Hucusque iam saepe assignavimus duo principia actuum salutarium, *liberum hominis arbi-*

ricus Gorcumiensis († 1431), professor coloniensis, doctrinae S. Thomae addictus, qui in suis *Tractatibus consultatoriis adversus Husitas* (Coloniae in officina H. Quentel, anno supra Iubilaeum tertio) prop. 15 fol. 24 scribit: «Reminisci igitur oportet, quod doctrina scholae theologicae *distinguere consuevit* duplicem gratuitam motionem divinam, quarum unam vocat motionem *efficacem*; aliam vero *sufficientem*»; «efficacem» monet dupliciter accipi posse; secundo modo acceptam dicere: «talem motionem, quae assequitur voluntatem hominis actu ad eius assensum» (*Schneemann* ibid. p. 103 s). Ergo haec distinctio non ab Adriano VI, tunc lovaniensi professore, primo invecata est, ut *L. Janssens* (De gratia p. 375) putat.

trium et Dei gratiam. Hac sectione ex professo de habitudine inter ista duo tractamus, statuendo eam gratiae divisionem, quae *ex diversa habitudine* horum principiorum oritur, prout scil. voluntas hominis aut a gratia ad consensum dandum efficaciter movetur aut non ita movetur, sed potius gratiae resistit. — b) Articulo I statuimus *doctrinam catholicam* adversus errores e diametro oppositos; art. II discutimus quaestiones inter catholicos theologos *controversas*. — c) Thesi hac reicimus errores, qui tollunt *libertatem* humanam; th. sequente eos, qui minuunt efficaciam et gratuitatem *gratiae*.

540. 2. Sensus. a) Etiam in statu naturae lapsae in peccatum originale, per Christum reparatae, sed interim adhuc concupiscentiae subiectae, haec valent. Pro *angelis* et pro ordine *supralapsario* generis humani thesis a multis adversariis, praesertim a *Iansenistis* admittitur, qui cum S. Augustino docent *adiutorium sine quo non* angelis et protoparentibus concessum etiam in iis, qui ceciderint, fuisse *vere sufficiens* et in iis, qui consenserint, reliquisse plenam *libertatem* dissentendi; — datur: saltem *aliquibus aliquando*, v. g. iustis vel fidelibus; an et quomodo *omnibus* detur, spectat ad sectionem VI de distributione gratiae; — gratia: auxilium ad actus salutare eliciendos datum. E th. 1 2 10 18 scimus auxilium vere et proxime sufficiens necessario includere gratiam *internam entitative supernaturalem*, quae ordinarie coniungitur cum aliqua gratia externa. Est gratia, quae actu sollicitat ad faciendum opus salutare, ergo saltem hoc sensu *gratia actualis*.

b) Sequentia verba continent *divisionem gratiae* in sufficientem et efficacem. *α)* Sufficiens est ea gratia, quae ita auget vires humanas, ut *potentia* agendi sit *completa*. Ad eum actum, cuius completam potentiam confert, gratia dicitur *proxime* sufficiens. Si ope actus praeparatorii ad novas gratias et ulteriores actus salutare perveniri potest, relate ad hos sequentes actus ista prior gratia vocatur *remote* sufficiens. Gratia, quae non dat completam potentiam ad eliciendum aliquem actum salutarem, relate ad hunc actum est *insufficiens* (v. g. sola gratia externa est *insufficiens* ad quemlibet actum salutarem; gratia interna, quae *proxime* sufficit ad actum fidei informis, est *remote* sufficiens ad actum caritatis iustificantem). — Gratia sufficiens intellegitur aut praecisive, i. e. enuntiatur vera sufficientia et nihil dicitur de effectu, scil. utrum fiat actus salutaris necne, aut negative, i. e. connotatur non sequi actum salutarem. In secundo casu distinctius vocatur

gratia pure sive mere sufficiens vel etiam gratia inefficax¹. — β) Gratia efficax est ea gratia, quae de facto (et quidem, uti sequente thesi videbimus, cum quadam vera infallibilitate ex parte gratiae) adnexum habet illum actum salutarem, ad quem efficiendum datur et sufficiens est. Ergo non intellegitur efficacia *potentialis* sive *virtutis* (sicut eam medicinam, quae magnam vim sanandi habet, vocamus «efficacem»; *wirksam* = *wirkkraeftig*), sed intellegitur efficacia *actualis* sive *connexionis* (operis, operationis). Priore sensu omne auxilium vere sufficiens est efficax.

c) Asserimus igitur *in utroque casu*, tam gratiae pure sufficientis quam gratiae efficaci, *libertatem electionis* pro voluntate hominis lapsi: α) Quando habet gratiam *pure sufficientem*, quam de facto reicit, *potest* omnino etiam *consentire* et sic perficere actum salutarem; aliis verbis: gratia pure sufficiens, quam habet, vere sufficit ad aliquem actum salutarem². — β) Ex altera parte, quando habet gratiam efficacem, libere ei consentit, i. e. habet plenam potentiam ei resistendi.

541. 3. **Adversarii** praecipui (omissis antiquioribus Praedestinatianis, de quibus cf. n. 669) sunt Protestantes et Iansenistae. — a) **Protestantes** docent: Homo peccato originali omnem amisit in rebus religiosis et moralibus libertatem.

Luther, *De seruo arbitrio* (a. 1525; de hoc scripto v. *Grisar* I 545—565): «Sic humana voluntas in medio posita est *ceu iumentum*. Si insederit *Deus*, vult et vadit, quo vult *Deus*... Si insederit *Satan*, vult et vadit, quo vult *Satan*. Nec est in eius arbitrio, ad utrum sessorem currere aut eum quaerere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum» (*D. Martin Luthers Werke* 18 [Weimar 1908] 635, 17—22)³. — Formula Concordiae, *Sol. Decl.* II De lib. arb., n. 44: «Quare non est in hoc negotio som-

¹ Nonnulli addunt gratiam positive sufficientem, quae connotet salutarem effectum; sed haec praecise in oppositione ad gratiam sufficientem vocatur gratia efficax.

² Hoc transferri potest ad *auxilium entitative naturale*, quod homo reicit; est enim hoc sensu *remote sufficiens* ad actum salutarem, quatenus homo illud sequendo per modum *praeparationis negativae* perveniet tandem ad auxilia *proxime* ad actum salutarem sufficientia (cf. th. 8).

³ Historiam huius comparisonis v. apud Hub. Jedin, *Des Johannes Cochlaeus Streitschrift De libero arbitrio hominis* (Breslau 1927) 77 s; origo videtur esse in *Augustini Enarr. in Ps 32* II n. 22 s (ML 36, 272) et in *Hypomnesticon* 3, 11, 20 (ML 45, 1632 s); dein per mediam aetatem saepius usurpatur, sed nequaquam eo sensu libertati inimico, quo a Luthero adhibetur.

nianda ulla cooperatio voluntatis nostrae in hominis conversione. Etenim necesse est, ut homo divinitus trahatur... Hoc negotium *D. Lutherus* in libro suo «De servo arbitrio» contra *Erasmum* egregie et solide explicuit atque sententiam hanc piam et invictam esse demonstravit» (*Müller*, Symb. Bücher p. 598 s). — *Calvinus*, *Instit.* l. 2 cap. 3 n. 10: Deus «voluntatem movet, non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo». — Synodus Dordracena cap. 3 et 4, can. 12: Hominis regeneratio «neutiquam fit per... talem operandi rationem, ut post Dei quoad ipsum operationem in hominis potestate maneat regenerari vel non regenerari, converti vel non converti» (*Müller*, Bekenntnisschriften p. 853; cf. Reiect. err. 8 (ibid. u. 856). — Postiores tamen dogmatici Protestantium magnam partem iam non docent irresistibilitatem gratiae. Cf. *Chr. E. Luthardt*, *Die Lehre vom freien Willen und seinem Verhältnis zur Gnade* (Leipzig 1863), v. g. p. 317 ss.

b) *Baius* docet: «Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit» (pr. 39 [Dz 1039]; cf. n. 75). — *Iansenius* totam hanc doctrinam excoluit, ansam sumendo ex distinctione *adiutorii sine quo non et adiutorii quo* (v. n. 80—84): Naturae lapsae, quae interna necessitate maiorem delectationem sequitur, solum adiutorium quo, infallibiliter producens actum salutarem, vere sufficit. Gratia *pure sufficiens* a recentioribus prolata «videtur *monstrum* quoddam singulare gratiae» (v. P n. 220). Suam doctrinam cum dogmate *tridentino* conciliare studet distinctione potentiae absolutae et relativae. Gratia, si spectatur *absolute*, i. e. secundum solam suam naturam et abstractione facta a praesentibus subiecti circumstantiis (imprimis a praesenti prava cupiditate), confert potentiam salutariter agendi; sed si *relative* sumitur, i. e. si istae quoque circumstantiae considerantur, iam non habetur potentia superandi maiorem delectationem cupiditatis gratiae adversantem. Ergo gratia interna, quae manet sterilis, *non est sufficiens* in praesenti condicione hominis; *fuisset* autem sufficiens, si ipsum in aliis invenisset condicionibus. Haec est gratia (relative) parva, quae necessario vincitur neque est *vere* sufficiens. E contra gratia (relative) magna necessario est *victrix* neque unquam est *pure* sufficiens. Gratia parva nihil producit nisi inefficacia desideria, velleitates sive complacentias.

Ipsa *Iansenius*, Augustinus, De grat. Chr. l. 2 cap. 27 clare dixerat: Gratia parva «nullo modo sufficit, ut homo Dei mandatum operetur». Nonnulli ex eius asseclis, *Pierre Nicole* (Paulus Irenaeus), *De la Lane*, *Girard*, propter potentiam absolutam, quam confert, gratiam parvam abusive dixerunt sufficientem et sufficientissimam (v. *Ber.* 453 s 505—517).

4. **Qualificatio.** De fide definita (licet non sub vocibus gratiae sufficientis et efficaci).

542. Prob. I. Ecclesia. Ex clausula Arausicani (v. n. 175; Dz 200) sequitur etiam eos baptizatos, qui de facto non adimplent, quae ad salutem animae pertinent, quia scil. fideliter laborare nolunt, habere tamen auxilia vere sufficientia. — Valentinum (a. 855) can. 2 fin. (Dz 321): Mali, qui pereunt, potuerunt esse boni, sed noluerunt. Ergo gratia *vere* sufficiens eorum culpa evasit *pure* sufficiens.

Trid. s. 6 cap. 5 (Dz 797) contra Calvinum definit: Peccatores iustificandi gratiae vocanti *libere assentiunt et cooperantur*; internam inspirationem homo recipit, quippe qui illam et *abicere potest*; — **can. 4** (Dz 814): Liberum arbitrium cooperatur assentiendo et *potest dissentire*, si velit; **can. 5** (Dz 815): neque est amissum post Adae peccatum. — Ergo altera pars thesis hic explicite definitur. Prior satis elucet e cap. 11 et 13 (Dz 804 806; cf. n. 175): Iusti possunt implere mandata (c. 11 init.). Deus eos sua gratia non deserit, nisi prius deseratur (c. 11 med.); perficiet opus bonum, nisi ipsi illius gratiae defuerint (c. 13 med.). Ergo etiam ii iusti, qui de facto iustitiam amittunt (hoc fieri posse Tridentinum definivit; v. n. 466), habuerunt gratiam vere sufficientem ad salutariter agendum (secundum cap. 11 saltem *ad orationem*, qua comparetur validior gratia proxime sufficiens).

Innocentius X (a. 1653) damnavit **5 propositiones Iansenii**. Pr. 1 (Dz 1092; cf. n. 83): Secundum Pontificem haereticum est affirmare quibusdam iustis volentibus et conantibus *deesse vires et gratias*, quibus Dei praecepta ipsis possibilia fiant. Ergo quando iusti graviter delinquunt, i. e. quando gratia eorum est *pure* sufficiens, tamen habuerunt vel saltem sibi comparare potuerunt gratiam *vere* et proxime sufficientem, ne caderent. — Pr. 2: «Interiori gratiae in statu naturae lapsae *nunquam resistitur.*» Secundum Iansenium omnis gratia interior ordinis infralapsarii necessario producit eum effectum, ad quem proxime datur, i. e. gratia *parva* efficit velleitates, gratia *magna* opera salutaria. Ecclesia hanc propositionem manifesto non reicit, quatenus respicit actus *steriles* sive non salutare, quos gratia parva necessario producat, sed quatenus negat gratiae interiori tam valenti, ut *ad actum salutarem vere et proxime sufficiat*, unquam a voluntate hominis lapsi resisti. Ergo Ecclesia docet etiam gratiam *vere* sufficientem aliquando ex culpa hominis lapsi esse *pure* sufficientem, i. e. definit priorem

partem theseos. — Alexander VIII a. 1690 damnavit pr. 6 Iansenistarum lovaniensium (Dz 1296), qui dixerant gratiam *pure* sufficientem sensu catholico intellectam non esse verum Dei beneficium, sed potius esse *perniciosam*, a qua ut liberemur, merito possimus petere. — Clemens XI a. 1713 multos reiecit errores Quesnelli, quibus *irresistibilis vis gratiae* Dei omnipotentis asserebatur (v. pr. 9—25 [Dz 1359—1375]).

Vaticanum s. 3 cap. 3 (Dz 1791): Actu *fidei*, etiam informis, «homo *liberam* praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae eius, cui *resistere posset*, consentiendo et cooperando».

543. II. Scriptura. A. Gratiam ad perseverandum *vere* sufficientem omnibus iustis praesto esse iam probatum est th. 6 II (n. 177 s). Eam saepe esse *pure* sufficientem cotidiana experientia docet. — Frequenter etiam directe est sermo de gratia *vere* et *pure* sufficiente.

Is 5, 1—7. Explicatio textus (cf. *Knabenbauer, Condamin, Kautzsch*): V. 1. «Cantabo [de?] dilecto meo canticum dilecti de vinea eius [amoris eius in vineam ipsius?]: Vineam fuit dilecto meo in colle pinguissimo. 2. Et fodit [?] eam et purgavit eam [a lapidibus vel herbis inutilibus] et plantavit vitem Sorec [genus vitis optima], et aedificavit turrin in medio eius [pro custodiis] et torcular extruxit in ea [certissime sperans fructus], et exspectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas [fructus vitis agrestis vel uvas immaturas et acerbas]. 3. Nunc ergo, habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate quaeso inter me et vineam meam. 4. Quid enim potuit ultra fieri vineae meae, et non feci? Cur, cum exspectarem, ut faceret uvas, fecit labruscas?» 5 6 describitur iusta poena vineae infligenda. 7 explicatur: «Vinea Iahve Zebaoth est domus Israel, et viri Iuda delectabilis plantatio eius. Exspectavit ius, et ecce effusio sanguinis, iustitiam, et ecce eiulatus» (iniuste oppressorum; in textu hebraico ponuntur duae agnominationses).

Argumentum. Suppositis iis, quae aliunde de necessitate gratiae *internae* ad opera salutaria scimus, dici potest: Hoc loco est sermo de gratiis etiam internis, Israelitis a Deo eo fine collatis, ut fructus operum Deo placentium ferrent¹. Iamvero summa gratiarum Israelitis collatarum fuit 1. pure

¹ Argumentum eo magis valet contra nostros adversarios, qui, opera naturaliter et supernaturaliter honesta non distinguentes, ad omne opus bonum indiscriminatim exigunt gratiam internam (cf. th. 3 s).

sufficiens; nam fructus a Deo exspectatos non tulerunt; 2. vere sufficiens; nam: a) Multifariam affirmatur *ex parte Dei nihil defuisse*; elegit enim locum optimum et fertilem; vineam fodit, purgavit, munivit; quidquid obesse poterat, removit; optimas elegit vites. — b) Certissime *exspectavit* fructus, idque iure optimo. Non solum dedit *absolutam* fructificandi potestatem, sed *relativam* quoque, quae in hisce concretis circumstantiis in actum potuit reduci. — c) Provocando ad *ipsorum Israelitarum iudicium* interrogat: «Quid potuit ultra fieri, et non feci?» In adversariorum sententia facile responderetur: «Debuiſti dare gratiam *magnam*, quae etiam *relative* sufficeret.» — d) *Iniuste* Deus Israelitas *vituperaret* et poenas gravissimas minaretur, si pro praesenti condicione non habuissent vires ad meliores ferendos fructus¹.

544. Mt 11, 21 s: Gratia (externa et interna), quae dabatur incolis civitatum Corozain et Bethsaida, erat *pure* sufficiens, quia per eam conversi non sunt; erat nihilominus *vere* sufficiens; nam defectus poenitentiae *ipsis imputatur* et iudicium gravissimum annuntiatur. Quod gratiae nihil deerat, etiam elucet ex eo, quod *Tyrri et Sidonii* cum iisdem auxiliis fuissent conversi. — Mt 23, 37 s: *Christus serio voluit* congregare filios Ierusalem; ergo omnia auxilia ad conversionem requisita dedit. Tamen non sunt congregati, quia *Ierusalem noluit*, et propterea iuste punitur (cf. eadem argumenta in th. 22 n. 586). — Io 15, 22—25: Christus venit, locutus est Iudaeis, miracula coram ipsis patravit; quare *excusationem non habent* de peccato suo. — Act 7, 51: Stephanus dicit synedrictis: «Vos semper *Spiritu Sancto resistitis*, sicut patres vestri, ita et vos.» — Rom 2, 4 s: Divitiae bonitatis Dei possunt *contemni*; sic secundum duritiam et impenitentem cor thesaurizatur ira. — Rom 10, 21: «Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem» (cf. Is 65, 2). — Is 28, 12: «Noluerunt audire.» — 65, 12: «Vocavi, et non respondistis.» — Ier 7, 13: «Vocavi vos, et non respondistis.» — Prov 1, 24: «Vocavi, et renuistis.» — 2 Cor 6, 1: Gratia Dei potest *in vacuum* recipi, vel secundum textum graecum: recepta esse (saltem a plerisque antiquis et iunioribus *δέξασθαι* de tempore praeterito intellegitur; v. *Cornely* in hunc locum).

¹ S. Hieronymus in suo ad hunc textum commentario (ML 24, 76): «Cuncta, quae dicuntur de vinea, possunt et ad *animae* humanae referri statum, quae, a Deo plantata in bonum, non uvae attulerit, sed labruscas.»

545. B. Homines libere consentire gratiae efficaci sive consentientes habere potestatem non consentiendi ex omnibus textibus apparet, quibus *libera electio* inter bona salutaria et mala iis opposita enuntiatur vel supponitur, v. g.: Deut 30, 19: «Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. *Elige ergo vitam.*» — Eccli 15, 14 ss: «Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui... 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te...* 17. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod plaquerit ei, dabitur illi.» — Eccli 31, 8 ss *dives, qui inventus est sine macula* et proinde auxiliis gratiae efficaciis mala vitavit bonaque egit, laudatur etiam his verbis (v. 10 s): «*Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*» — Apc 3, 20: «Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam [manifesto libera voluntate, non necessitatus], intrabo ad illum.» — Ceterum omnia *mandata et consilia, omnes exhortationes, promissiones, comminationes* quoad ordinem salutis non haberent sensum, si homo gratia interna necessitaretur ad bonum.

546. III. Patres graeci omnes et latini ante Augustinum thesim quoad utramque partem clare docent¹. — **Irenaeus**, *Adv. haer.* 4, 37, 1 (R 244) Mt 23, 37 de homine libero, a Deo non coacto, explicat; — ibid. 4, 39, 3 (R 247): Deus «misit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non oboedierunt ei, semetipsos privaverunt a regia coena». — **Arnobius**, *Adv. nationes* 2, 64 (R 622): Christus omnes vocat. «Patet igitur omnibus fons vitae, neque ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur.» Nonnulli vero oblato respuunt beneficium muneris. Deus sub humani iuris arbitrio fructum suae benignitatis exponit. — **Ephraem**, *Hymni de Epiphania* 10, 14 (R 704): «Bonus Dominus ... cogere non vult libertatem nostram... Si enim coactione utitur, potestatem arbitrii tollit... Non cogit nec auxilium retrahit.» — **Gregorius Nyss.**, *Orat. catech.* 31 (R 1034): Ad obiectionem «Deum posse, si velit, eos etiam,

¹ Cf. Is. Habert, *Theologiae Graecorum Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae... libri tres* (Parisiis 1647); Fr. Wörter, *Die christl. Lehre über das Verhältnis von Gnade und Freiheit von den apost. Zeiten bis auf Augustinus* (Freiburg 1856–60); — R ser. 332 et 334.

qui resistunt, necessario compellendo attrahere (*ἀναγκαστικῶς ἐφελκύσασθαι*) ad suscipiendam praedicationem», respondet: «Ubi est ergo in his liberum arbitrium? Ubi virtus? Ubi laus eorum, qui recte se gerunt? Est enim solorum inanimorum aut irrationalium aliena voluntate ad id, quod apparet, adduci.» — **Chrysostomus** saepe, v. g. *In Gen.* hom. 22, 1 (R 1151): «Nonne manifestum sua quemque voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset... neque illos puniri neque istos virtutis praemia accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est (*ἐν τῇ προαιρέσει τῇ ἡμετέρῃ κατέλιπε μετὰ τὴν ἀνωθεν χάριν τὸ πᾶν*), ideo et peccantibus supplicia parata sunt et bene operantibus mercedes et praemia.» — *In Rom.* hom. 18, 5 (R 1188): «*Ἡ γὰρ χάρις, κἂν χάρις ᾗ, τοὺς ἐθέλοντας σῶζει, οὐ τοὺς μὴ βουλομένους καὶ ἀποστρεφόμενους αὐτῆν, καὶ πολεμοῦντας αὐτῇ διηνεκῶς καὶ ἐναντιομένους.*» — Cf. R 1158 s 1165 1204 1219 s. — **Ioannes Damasc.**, *De fide orth.* 2; 30 (R 2359): Deus omnis boni fons et auctor est, ut citra ipsius opem et auxilium bonum nec velle nec facere possimus. Ceterum nobis liberum est in virtute perstare Deumque ad eam vocantem sequi vel a virtute abscedere.

547. De **S. Augustino** cf. P (ed. 4) n. 219 224 s 103—108; — *Palm.* p. 421—424; — *Portalié*, *DdTh* 1, 2387 ss; — *Ber.* 458 s; — *Odilo Rottmann* O. S. B., *Der Augustinismus* 1892 (apud *Rup. Jud.* O. S. B., *Geistesfrüchte aus der Klosterzelle* [München 1908] p. 11—32); — *A. d'Alès*, *Prédestination* (*Dict. Apolog.* 4, 205—216); — *Tr. Salgueiro*, *La doctrine de s. Augustin sur la grâce d'après le traité à Simplicien* (Porto 1925) 135 s. — Contra Manichaeos copiose defendit libertatem arbitrii: a. 388—395 *De libero arbitrio* (ML 32, 1221 ss); a. 391—392 *De duabus animabus* (ML 42, 93 ss); adhuc a. 404 *De actis cum Felice Manichaeo* (ML 42, 519 ss). — *Quamdiu ad modum Semipelagianorum* de initio fidei sensit, sufficientiam gratiae repulsae et libertatem arbitrii gratiae consentientis manifesto docuit (cf. n. 57). — Ad Simplicianum (a. 396—397), cum primo cognosceret Deum debere dare ipsa initia bonae voluntatis eumque vocatione congrua fidem infallibiliter efficere, Augustinus sic loquitur de vocatione *incongrua*, ut difficillime concipi possit tamquam gratia *vere sufficiens*. Quomodo sub influxu gratiae congruae servetur *libertas*, ibidem non examinat. — In controversia cum Pelagianis (inde ab a. 412) hanc quaestionem praeterire non potuit. Difficultatem problematis ingenue agnoscit. *De pecc. mer. et rem.* (a. 412) 2, 18, 28 (R 1723): «Quemlibet nostrum quaerentem *vehementer angustat*, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiae iudicemur.» Cf. *De grat. Chr. et de pecc. orig.* (a. 418), 1, 47, 52

(R 1856). — De spir. et litt. (a. 412) 30, 52: «Liberum ergo arbitrium evacuumus per gratiam? Absit; sed magis liberum arbitrium statuimus.» 33, 57 incipit quaerere, «utrum voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa *Dei donum* sit, *an ex illo naturaliter insito libero* adhibeatur *arbitrio*». Utrumque enim videtur periculose dici. Inde a n. 58 (cf. R 1735 s) tentat solutionem, qua *libertas arbitrii et gratia vere sufficiens* omnino servatur: Liberum arbitrium «media vis est, quae vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest». Voluntas, qua homo credit, «vocante Deo surgit de libero arbitrio... Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire [1 Tim 2, 4], non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt... nec ideo tamen eam vincunt, ... experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.» 34, 60 explicat istam vocationem divinam: «Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes..., sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed *consentire vel dissentire propriae voluntatis est*. His ergo modis... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia eius praevenit nos; consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.» Sed negari non potest S. Doctorem hoc loco aliter loqui atque *Ad Simpl.* et in scriptis *posterioribus*¹. Quae hic dixit, nunquam quidem retractavit, sed iam hoc loco ea nonnisi cum quibusdam cautelis protulerat. Incipit enim 33, 58: «Videamus, utrum huic satisfaciatur quaestioni», et concludit 34, 60: «Haec disputatio si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat.»² — *De nat. et grat.* 65, 78 S. Hieronymi approbat verbum: «Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est», additque: «sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est caritatis».

548. A. 418 in Epist. 194 (ad Sixtum) totam discretionem praevieniendi Dei omnipotentis gratiae adeo attribuit, ut *monachis hadrumetinis* liberum arbitrium prorsus auferre videretur (cf. supra n. 28). Quare a. 426—427 in libro De grat. et lib. arb. monet et gratiam et liberum arbitrium a catholico debere defendi, sed modum conciliationis non ostendit. Mox De corr. et grat. cap. 10—12 differentiam inter *adiutorium sine quo non*, quod Adamo et angelis datum fuit, et *adiutorium quo*, quod in ordine

¹ Hanc diversitatem bene cognovit *Tr. Salgueiro*, l. c. 126 s 177 s. Ad eam non satis attendere videntur *I. B. Faure S. J.*, *Enchiridion S. Augustini* (Neapoli 1847) p. 103—113, multique alii.

² Cf. *In Io tr.* 45 n. 11 init. (ML 35, 1724), ubi similiter dicit: «Soluta est utcumque ista quaestio, et cuiquam forte sufficiat.» Sed pergit: «Me autem adhuc movet...», ostenditque insufficientiam istius solutionis atque n. 12 s quaedam de praedestinatione et perseverantia addit.

naturae reparatae datur praedestinatis, ita explicat, ut non videatur manere *vera sufficientia* gratiarum in iis, qui adiutorio quo carent. Simul *irresistibilitatem* quamdam gratiae efficacis statuit, quae quo pacto libertatem indifferentiae servet, non intellegitur. 10, 27 (R 1950): «Angeli quidam... per liberum arbitrium a Domino Deo refugae facti sunt... Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.» 10, 28: Item Adam «si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, ... acciperet... beatitudinis plenitudinem»; sed «per liberum arbitrium Deum deseruit». 11, 30: In praesenti condicione homines concupiscentiae subditi «potentiore gratia indigent». 11, 32: Adam «posset perseverare, si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio; quod tunc ita liberum erat, ut et bene velle posset et male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato?» (cf. n. 172 not. 4). 12, 38: «Si in tanta infirmitate vitae huius... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus in eis operaretur, ut vellet, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo *perseverare non possent*, quia, deficientes infirmitate, nec vellet aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut *divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur*, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret.» — Haec et similia *Massiliensibus* cum vera libertate electionis componi non posse visa sunt. Augustinus vero etiam in ultimis scriptis libertatem sub influxu gratiae insuperabilis affirmavit. Sic Retr. (a. 426—427) 1, 23, 2: «Utrumque [fides et bona opera] ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et caritatis.» — Epist. 217 (ad Vitalem) (a. 427?) 5, 16 (R 1456) inter 12 articulos fidei catholicae: «10. Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate et libero arbitrio.» — De praed. Sanct. (a. 428—429) 5, 10 (R 1982): Fidem homo a Deo accepit, «non quia credere vel non credere non est *in arbitrio voluntatis humanae*, sed in electis *praeparatur voluntas* a Domino». — Hoc tempore S. Augustinus explicaturus, quo pacto volitio a Deo infallibili efficacia inspirata possit esse libera, videtur recessisse a genuino conceptu libertatis *indifferentiae*, quae dicit possibilitatem omittendi ipsum actum vel etiam ponendi alium actum. Libertatem arbitrii potius intellegit *liberationem* arbitrii captivati a *servitute peccati* per gratiam Christi, notatque id, quod ex caritate fiat, vere libere fieri, quia libenter fiat. Sic Enchiridion (a. 421) cap. 30 (ML 40, 246): «Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum... Victore peccato amissum est liberum arbitrium... Qualis quaeso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum *peccare delectat*? *Liberaliter* enim servit, qui sui domini voluntatem *libenter* facit. Ac per hoc *ad peccandum liber* est, qui peccati servus est. Unde ad iuste faciendum liber non erit, nisi, a peccato liberatus, esse iustitiae coeperit servus. Ipsa est vera libertas *propter recti facti laetitiam*, simul et pia servitus propter praecepti oboedientiam.» — Eadem explicatio libertatis in peccando legitur C. 2 ep. Pel. (a. 420) 1, 3, 7: «Sed haec voluntas, quae *libera* est in malis,

quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est» (cf. 1, 2, 5); et *De grat. Christi et de pecc. orig.* (a. 418) 1, 13, 14 (ML 44, 368): «*Praeceptum quippe liber facit, qui libens facit.*»

549. Augustinus igitur etiam senior omnino servare voluit libertatem arbitrii gratia praeventi. Sed magis ei cordi erat, ut victricem gratiae efficaciam defenderet (cf. *Retr.* 2, 1, 1 de *Ad Simpl.*: «*In cuius quaestionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanae; sed *vicit Dei gratia*»»). *Concordiam* utriusque veritatis principiis Molinismi effectam *non novit* (cf. n. 625). Quoniam (sicut multi philosophi et ante et post ipsum¹) inter *voluntarium liberum* et *necessarium* non satis distinxit, solutionem quaesivit efformando aliquem conceptum libertatis, qui rationem quidem *voluntarii* quam maxime habet (libere fit, quod *libenter* fit), sed essentiali *libertatis indifferentiae* sive *electionis* non exprimit. Sic similiter ac Thomistae et Augustinenses (v. th. 22 et 23) ea statuit, ex quibus nostro iudicio *sequitur interna necessitatio* voluntatis. Gratiam autem pure sufficientem in posteriore vita valde neglexit. Hoc maxime eo explicatur, quod de *sequelis peccati originalis* durius sensit (cf. n. 158 680 ss). Quae a. 412 *De spir. et litt.* adhuc profert, vix possunt censi eius completa et definitiva sententia².*

550. Apud **sequentes Patres latinos** dominatur quidem *S. Augustinus*, sed multi asperitatem posterioris eius doctrinae *mitigare* satagunt (sic Prosper, *De voc. omn. gentium*, Patres arausicani). — Saeculo IX adversarii Godescalci

¹ Cf. *M. Wittmann*, Aristoteles und die Willensfreiheit (Philos. Jahrbuch 1921, 5—30 131—153); — *Arthur Schneider*, Die Psychologie Alberts d. Gr. (BB IV 5 s [Münster 1903—06]); — *Job. Verweyen*, Das Problem der Willensfreiheit in der Scholastik (Heidelberg 1909), qui liber caute adhibendus est; nam sat multa falsa continet.

² Etiam *Beraza* n. 458 satis innuit non omnia Augustini de gratia sufficiente et efficaci dicta recte intellegi posse. Nam «*ut eiusmodi testimonia probe intellegantur*», monet: «*Ante omnia et super omnia observanda est suprema regula veritatis, quam habemus in iudicio Apostolicae Sedis*», quae merito proscripsit propositionem (Dz 1320; cf. schol. n. 111—116): «*Ubi quis invenit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.*» — *Rottmanner* l. c. (p. 24—28) ostendit Augustinum senioremi revera docuisse *irresistibilitatem* gratiae et terminos, quibus libera electio voluntatis exprimeretur, alio intellexisse sensu: «*So durften die der freien Willensentscheidung günstigen Ausdrücke stehen bleiben, nachdem sie durch das »Praeparatur voluntas a Domino« unschädlich geworden*» (p. 13).

strenue defendunt gratiam vere sufficientem omnibus oblatam (Hincmarus Remensis, Rabanus Maurus, conc. Carisiacense; v. cap. 2—4 [Dz 317 ss]).

551. IV. Theologi antiquissimi repetunt formulas *S. Augustini*; v. g. *S. Bernardus*, *De gr. et lib. arb.* (ML 182, 1001-ss); *Petrus Lomb.*, *Sent.* l. 2 d. 3 5 27 s. — *S. Anselmus* propriam viam quaerit in suis opusculis *De libero arbitrio et De concordia praescientiae et praedestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio* (ML 158, 489 ss 507 ss), ubi bonum conceptum verae libertatis arbitrii exhibet. — Eundem conceptum (ex Aristotele, Ioanne Dam., Anselmo haustum) ostendunt *Alexander Hal.* et *Bonaventura*. — Seriam voluntatem salvificam universalem Scholastici medii aevi fere omnes propugnant (cf. th. 25); hinc gratiam repudiatam habent vere sufficientem (cf. n. 184). — **S. Thomas** saepe effert voluntatem ab omni necessitate et aliena determinatione liberam, etiam quando a Deo infallibiliter moveatur (v. n. 600 ss). *S. th.* 1, 2 q. 10 a. 4: « Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod *non ex necessitate ad unum determinat*, sed remanet motus eius contingens et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur » (ut ad bonum in universali). — Idem dicendum est de motione *gratiae*, uti *S. th.* 1 q. 62 a. 3 ad 2, proxime de *gratia angelorum* loquens, *universaliter* enuntiat: « Omnis forma inclinatur suum subiectum secundum modum naturae eius. Modus autem naturalis intellectualis naturae est, ut *libere* feratur in ea, quae vult. Et ideo *inclinatio gratiae non imponit necessitatem*, sed habens gratiam [intellegit habitualement expeditam ad usum, ergo auxilium *vere* sufficiens ad actum salutarem] *potest ea non uti* et peccare. » — 1, 2 q. 106 a. 2 ad 2: « Gratia Novi Testamenti, etsi adiuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit. . . Et ideo, si quis post acceptam gratiam Novi Testamenti peccaverit, maiori poena est dignus, tamquam maioribus beneficiis ingratus et auxilio sibi dato [manifesto *vere* sufficiente] *non utens*. . . Lex nova. . . , quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum » (cf. n. 184). — Saeculo XVI theologi catholici doctrinam Protestantium de gratia irresistibili unanimiter ut haeticam reiecerunt¹.

¹ Doctrinam eorum theologorum, qui primi Luthero restiterunt, v. apud Hub. Jedin, *Des Joh. Cochlaeus Streitschrift De libero arbitrio* (Breslau 1927).

552. V. Ratio. 1. Rationes theologicae: a) Deus impossibilia non iubet nec deserit, nisi deseratur (cf. th. 6 II). Deus vult omnes homines salvos fieri, et Christus pro omnibus mortuus est (cf. th. 25). Ergo salus est *in potestate hominum* omnium et maxime iustorum. Aut habent aut sibi comparare possunt auxilia vere et proxime sufficientia. Haec auxilia ex culpa humana saepe effectu frustrari experientia multorum in peccata gravia labentium ostendit. — b) Providentia Dei *non corrumpit naturam rerum*, sed conservat (*Thom., S. th. 1, 2 q. 10 a. 4*). Gratia non destruit naturam, sed elevat. Quare gratia etiam efficax *naturalem indifferentiam liberae voluntatis* relinquit intactam.

2. Contra obiectiones *Iansenistarum* gratiae *pure* sufficienti vindicatur ratio veri beneficii (cf. *Mazz. pr. 17; Lah. th. 30; Ber. n. 469—474*).

a) Est beneficium materiale. *De se* enim est donum indebitum, propter Christi merita collatum, conferens veram potentiam salutariter agendi et vitam aeternam consequendi. Quod *ex abusu* voluntatis humanae effectu caret, rationem beneficii materialis sane non tollit; nam materia idonea beneficii pensatur *ex interno valore*, non ex aliquo, quod ab extrinseco per abusum recipientis adiungitur. « Qui exsistit in fovea, gratias debet manum offerenti, ut extrahatur, quamvis nolit illam apprehendere et extrahi ob desidiam » (*Mazz. n. 528*). *Missio Redemptoris* pro omnibus hominibus est magnum beneficium, licet positus sit in ruinam multorum (*Lc 2, 34*). *Eucharistia* magnum est beneficium, etsi multi sibi manducant iudicium (*1 Cor 11, 29*).

b) Etiam est beneficium formale, i. e. datum *ex intentione* benefaciendi. a) Si abstrahitur a praevisione abusus, decretum Dei conferendi gratiam sufficientem procedit *ex universali voluntate salvifica*, condicionata quidem, attamen seria et sincera (v. n. 636 649 666 676). — β) *Praevisio abusus* non mutat naturam huius doni. Deus gratiam *pure* sufficientem *non studiose eligit*, quia eam praevidet carituram effectu (v. n. 653), sed potius eam decernit dare, quia confert auxilium vere sufficiens et *quamvis* futura sit sine consensu salutari. — Qui praevisa ingratitudine accipientis non desistit a conferendis beneficiis, manifestat animum formaliter benevolum. — Quod Deus loco gratiae praevisae qua inefficacis non dat gratiam efficacem, hoc probat quidem eum *nolle conferre maius illud beneficium* gratuitum, de quo in th. sequ., sive probat Deum

huic homini non praedefinivisse absolute hunc actum salutarem (v. n. 647); sed non probat collationem huius gratiae non procedere ex voluntate Dei *vere benevola*. — Quod homo abusu gratiae eo gravius peccat, ipsi soli, non Deo tribuendum est. Deus, summum bonum summusque dominus, ex praevisa mala voluntate creaturae non potest obligari, ut desistat facere id, quod de se est omnino bonum et ex benevolentia intentum¹. — Ergo Deus beneficium gratiae sufficientis semper *ex benevolentia* confert. *Denegatio* vero alterius et maioris beneficii, scil. *gratiae efficacis*, potest habere rationem *iustae poenae* priorum peccatorum et abusus priorum gratiarum. Hoc sensu Deus *obdurat* denegatione gratiae efficacis; sed male diceretur: *obdurat* collatione gratiae pure sufficientis.

Thesis 21. Est gratia in actu primo infallibiliter efficax et qua talis a Deo praevisa ac decreta. Hinc omnia opera bona, maxime vero donum perseverantiae finalis, habent rationem specialis beneficii divini.

553. P pr. 15; (ed. 4) n. 242; Comp. pr. 35. — Lah. th. 31 3. — Ber. 485 s 240—245. — Palm. th. 36. — Mazz. pr. 10. — Billot th. 4.

St. qu. 1. Nexum v. n. 539. Hic addimus doctrinam de dono *perseverantiae*, quia *actualis* perseverantia ad *potestatem* perseverandi (de qua in th. 6) idem addit, quod gratia efficax ad gratiam sufficientem.

554. 2. **Sensus. I. Gratia efficax.** Est, existit in hoc ordine naturae lapsae et reparatae (immo simile quid esset in omni ordine, in quo darentur auxilia divina ad finem ultimum consequendum); — gratia efficax, de qua v. n. 540: Gratia sufficiens, quae finem intentum attingit, vocatur efficax in oppositione ad gratiam *pure sufficientem* sive *inefficacem*; intellegitur efficacia *actualis* sive *connexionis* (operis), non mera efficacia *virtutis*. Asserere gratiam efficacem in actu secundo nihil aliud est, quam dicere ope gratiae reapse fieri multos actus salutares. Sed nunc nolumus agere de discrimine gratiae efficacis a pure sufficiente, quatenus oritur *ex consensu voluntatis humanae* loco possibilis dissensus, quo gratia evaderet pure sufficiens. Ex hac diversa voluntatis creatae ad gratiam habitudine nondum habetur *specialis praerogativa*,

¹ Cf. *Ioannem Damasc.*, De fide orth. 4, 21 (MG 94, 1197) et *Th. de Régnon*, Bañes et Molina p. 347 ss.

quae gratiae efficaci *qua gratiae*, i. e. in ratione divini beneficii gratis dati, prae gratia pure sufficiente competat. — Quare consideramus gratiam efficacem in actu primo sive quatenus *antecedenter* ad actum secundum liberi consensus iam est efficax et discriminata a gratia, cui non dabitur consensus, et quatenus infallibiliter talis est. In qua infallibili connectione gratiae efficacis cum actu salutari solet distingui *triplex elementum*: a) *obiectivum*, quatenus obiective iam est infallibiliter certum talem gratiam producturam esse talem actum salutarem; b) *cognoscitivum*, quatenus qua talis, qua infallibiliter nexa cum consensu, a Deo, antequam hanc gratiam decerneret, iam erat praevisa; c) *affectivum (volitivum)*, quatenus gratia actum salutarem infallibiliter effectura qua talis a Deo etiam intenta ac decreta est prae alia gratia, quam hoc effectu frustratum iri ipse praescivit et, quamvis posset, decernere noluit. — Si omnia opera bona, salutaria, meritoria requirunt aliquam gratiam isto modo iam antecedenter efficacem, patet ea induere rationem specialis beneficii divini. Debentur enim divinae benevolentiae non solum, quatenus per gratiam sufficientem ea reddidit *possibilia* (hoc enim commune habent cum operibus salutaribus ex culpa voluntatis omissis), sed insuper, quatenus Deus per liberam electionem gratiae efficacis prae pure sufficiente *existentiam* singulorum horum operum *determinavit*, antequam voluntas ipsa ad ea facienda se determinaverit. Gratia sufficiens dat veram completamque *potentiam* salutariter agendi; gratia efficax infallibiliter dat *actum* bonum, ipsum bene velle et operari.

555. II. Perseverantia finalis. Si per gratias efficaces multa quidem bona opera donantur, sed ante finem vitae conferuntur gratiae pure sufficientes, quibus resistens atque sic graviter peccans homo in statu peccati moritur, opera bona prius facta nihil iuvant, nisi ut mitius puniatur. E contra, si *versus finem vitae* eae donantur gratiae efficaces, quibus *status gratiae usque ad mortem* producat, aliis verbis: si donum perseverantiae finalis donatur, hoc sane maxime *habet rationem beneficii divini*, atque beneficii *specialis*, quia sunt multi iusti, qui non perseverant ac proinde hoc donum gratuitum non acceperunt.

Perseverantia docente **S. Thoma**, *S. th.* 1, 2 q. 109 a. 10 et alibi (cf. n. 182 s) *triplici sensu* sumitur: a) Significat « *habitum* mentis, per quem homo firmiter stat, *ne removeatur* ab eo, quod est secundum virtutem, *per tristitias irruentes* ». Sic est pars virtutis cardinalis *fortitudinis*; 2, 2 q. 136 a. 1 vocatur « *patientia* ». — b) Est

« *habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem* », qui etiam pertinet ad *fortitudinem*; cf. 2, 2 q. 137 de perseverantia (a. 3 de *constantia*). Hi duo habitus virtutum moralium secundum S. Thomam omni iusto in iustificatione infunduntur. — c) Alio sensu perseverantia sumitur ut *actus* (vel collectio actuum), et sic est « *continuatio quaedam boni usque ad finem vitae* ». 2, 2 q. 137 a. 1 ad 2 distinguit actum perseverandi *incompletum*: si quis « *incipit exsequi aliquamdiu persistendo, non tamen complet actum* »; et *completum*: si « *persistit usque ad finem* », scil. vel « *usque ad terminum virtuosius operis*, sicut quod miles perseveret usque ad finem certaminis », vel usque ad « *ultimum finem totius vitae humanae* ». In actibus fidei, spei et caritatis debemus per totam vitam perseverare. « *Et ideo respectu harum virtutum, quae sunt principales, non consummatur actus perseverantiae usque ad finem vitae. Et secundum hoc Augustinus accipit perseverantiam pro actu perseverantiae consummato.* » — Quae S. Thomas hic dicit de perseverantia *in faciendis bonis*, eodem modo valent de perseverantia *in vitandis peccatis*.

a) Perseverantia igitur actualis, contradistincta ab habituali, idem est ac *conservatio status gratiae* et omnium virtutum. Est α) *imperfecta* seu temporalis, i. e. per aliquod tempus notabile perdurans; et β) *perfecta* seu finalis, i. e. usque ad finem vitae pertingens. Haec est perseverantia *simpliciter* dicta. Eius essentia adest, dummodo mors accidat in statu gratiae, licet hic status fuerit brevissimus. Quare peccator *in articulo mortis* Deo reconciliatus et *parvulus* statim post baptismum susceptum defunctus vero sensu habent donum perseverantiae. Quae licet *respectu huius vitae* propter suam imperfectionem vix mereretur nomen perseverantiae, tamen, quia efficit, ut status gratiae in aeternum conservetur, *respectu vitae aeternae* est omnino perfecta. — b) Alio sensu contradistinguitur perseverantia actualis sive actus perseverandi a perseverantia potenciali sive a potestate perseverandi. Hanc potestatem *omnis iustus* habet (th. 6 II); exigit « *speciale auxilium* » sensu n. 171 et 174 explicato, actuales scil. gratias sanantes donis habitualibus in iustificatione infusis superadditas. Hae igitur gratiae, prout a Deo conceduntur et a iustis impetrari possunt, sunt *vere sufficientes* ad vitanda omnia peccata mortalia. Sed actualis perseverantia est donum *specialius*; nam *non datur omnibus iustis*. Ex altera parte sane non est donum *specialissimum* ut v. g. immunitas ab omni peccato veniali (cf. n. 163ss); conceditur enim omnibus, qui salvantur¹. —

¹ Recte dicitur donum perseverantiae esse *in potestate omnis iusti*; hoc enim nihil aliud est nisi: Omnis iustus potest sibi comparare eas gratias, quibus perseverare potest et perseverabit, si voluerit. — Potentia perseverandi eodem modo praescindit ab

c) Distinguitur perseverantia activa et passiva, vel in eodem dono elementum activum et passivum. Hoc alterum consistit in *opportunitate mortis*, i. e. ut mors veniat super hominem, dum in statu gratiae degit. Sane *non* opus est, ut *extraordinario modo* mors a Deo procuretur opportuno tempore. Quomodo-cumque causis naturalibus mors inducitur, si hominem invenit in statu gratiae, vere habetur donum divinum perseverantiae, quia omnia *Dei providentia* reguntur. *Parvulis* baptizatis ante usum rationis vita functis perseverantia est pure passiva. Active perseveratur continuando bonum opus usque ad finem vitae sive constanter exercendo omnia ea, quae ad statum gratiae usque ad mortem retinendum ex parte hominis requiruntur. In iis, qui ideo nunquam graviter peccant neque, si diutius viverent, essent peccaturi, quia in gratia *confirmati* sunt (v. schol. n. 572), elementum passivum eo ipso habetur neque indiget speciali attentione; nam quodvis tempus mortis iis est opportunum. Plerumque considerari debet utrumque elementum.

556. 3. Adversarii a) praeter Pelagianos sunt imprimis **Semipelagiani**, qui teste Prospero ad Augustinum scribente (*Epist.* 225 n. 2) reiciebant, quidquid S. Doctor «*de vocatione electorum secundum Dei propositum*» disputaverat (cf. supra n. 58 s 172 not. 2)¹. Quare *specialem praedilectionem*, quae

effectu actualis perseverantiae sicut gratia praecisive sufficiens ab efficacia. Actualis perseverantia etiam vocatur *formalis*. S. Augustinus adiutorium, sine quo Adam non potuit perseverare, vocat «*perseverantiae potestatem*» sive «*adiutorium perseverantiae*» (*De corr. et gr.* 12, 33 ss); adiutorium vero, quo nunc perseverantia ipsa donatur, saepe vocat «*donum perseverantiae*» (ibid. et in proprio libro *De dono persev.*). Similiter Billot utitur terminis *auxilii* et *doni* perseverantiae. — Quoniam perseverantia actualis in suo conceptu includit mortem in statu gratiae, recte dicit S. Augustinus, *De dono persev.* 6, 10 (R 1993): «*Multi eam posunt habere, nullus amittere... Hoc ergo Dei donum... amitti contumaciter non potest.*» Haec impossibilitas est *consequens* sive *futuritionis* et relinquit antecedentem potentiam libere abiiciendi gratiam.

¹ «*Propositum autem vocantis gratiae in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per sacramentum regenerationis assumere et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter... vocari, ut et qui voluerint, fiant filii Dei, et inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint; quia iustitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant, bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri et in agnitionem veritatis venire*» (ib. n. 4). — Hilarius eorum doctrinam S. Augustino sic exponit (*Epist.* 226): *Credendi voluntas non donatur a Deo* (n. 2). «*Quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseverare nisi perseverandi virtute per-*

praedestinatione, efficaci vocatione ad fidem, donatione bonae voluntatis et perseverantiae praestatur, admittere noluerunt, putantes has doctrinas S. Augustini universalem voluntatem salvificam Dei et libertatem arbitrii humani destruere vel saltem in praxi perniciosas esse. — b) *Non satis* servaverunt thesim omnes ii, qui dubitantes, quomodo istas veritates apparenter cum hac thesi pugnantes in concordiam eius redigerent, magis laborabant in vindicanda voluntate universali salvifica et humana libertate, quam in adstruenda victrice gratiae efficacia. Hi sunt Patres sat multi, praesertim graeci, adversarii Godescalci monachi (*Rabanus, Hincmarus*), nonnulli Scholastici antiquiores, inter quos *S. Anselmus*, et versus finem medii aevi sat multi extra scholam thomisticam et augustinianam¹. — c) S. Augustinus, Augustinenses et omnes «*Infralapsarii*» (Iansenistae et pars Calvinistarum, immo etiam nonnulli Thomistae²) thesim *pro sola natura lapsa* statuunt neque agnoscunt rationem specialis beneficii in gratia eorum *angelorum*, qui perseverarunt. — d) Sorbonici negant gratias in actu primo efficaces pro operibus *facilioribus* et praesertim pro *oratione* (v. th. 23).

557. 4. Qualificatio. Thesis est saltem theologice certa, quatenus de *natura lapsa* et de operibus *difficilioribus*, ergo imprimis de *perseverantia finali* statuatur. Quoad *statum supralapsarium* et opera etiam *faciliora* videtur omnino certo probari, sed propter adversarios catholicos abstinemus a censura.

558. **Prob. I. Gratia efficax.**

I. Ecclesia. 1. Ipsa bona voluntas bonaque operatio saepe tam emphatice tribuitur gratiae, ut hoc aegre explicetur de gratia sufficiente indifferenter omnibus data.

cepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inertis licet, *praecedenti* tamen proprio arbitrio tribuatur... Nolunt autem hanc ita perseverantiam praedicari, ut non vel *suppliciter emereri* vel *amitti contumaciter* possit» (n. 4). «Ceterum quidquidlibet donatum sit praedestinatibus, id posse et amitti et retineri propria voluntate contendunt; quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint» (n. 6).

¹ Falsissime Molinae, Lessio aliisque Molinistis saepe obiectum est et adhuc obicitur, quod non admittant gratiam in actu primo efficacem (v. *Ber.* n. 485 not. 1).

² *Martin-Sola* (*La Ciencia Tomista* 33 [1926 I] 390) affert *Con-
tenson* et *Gonet*.

Indiculus cap. 7 (Dz 133): «Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.» — Cap. 8: «Quod omnia studia et omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint.» «Praeparatur voluntas [i. e. volitio salutaris] a Domino.» — **cap. 11** (Dz 139): «Bonae voluntatis exordia et incrementa probabilius studiorum et in eis usque in finem *perseverantiam* ad Christi gratiam referre» Romani Pontifices docuerunt. Porro «*praesules... postulant et precantur*, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ... ut haeretici... resipiscant» etc. «Quod adeo *totum divini operis* esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.» — **cap. 12** (Dz 141): «Omnium bonorum *affectuum* atque *operum* et omnium *studiorum* omniumque *virtutum*... Deum profiteamur auctorem..., per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere... Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut *nostra* velit esse *merita*, quae sunt *ipsius dona*, et pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus. *Agit* quippe in nobis, ut, quod vult, *et velimus et agamus, nec otiosa* in nobis esse *patitur*, quae exercenda, non negligenda, donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei» (Deus igitur ipse curat, ne gratiae suae dona in nobis maneant inefficacia). — Secundum **Arausicanum** (Dz 176 ss) gratia facit: can. 3: ut invocetur; can. 4: ut purgari velimus; can. 5: ut credere et baptizari velimus, corrigendo nostram voluntatem; can. 6: ut oboedientes et humiles simus. — can. 9: «Divini est muneris, cum et recte cogitamus...; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.» — can. 20: «... nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo». — Clausula (Dz 200): «Ipse nobis... et fidem et amorem sui prius inspirat.» Latronis, Cornelii, Zachaei «illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum». — Cf. can. 12 17 20 25. — Tridentinum s. 6 cap. 16 (Dz 809 s) repetit verba cap. 12 *Indiculi* de nostris meritis, Dei donis.

2. Ecclesia petit a Deo gratias efficaces, quae infallibiliter bonam voluntatem bonaque opera efficiant.

Fer. 4 post Domin. 2 Quadr. oratio super populum: «Deus, ... dirige ad te tuorum corda servorum, ut spiritus tui fervore concepto et in fide inveniantur stabiles et in opere efficaces.» — *Dom. 5 post Pascha* oratio: «Deus, ... largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus.» — *Vigilia Pentec.* oratio post prophet. 1: «Deus, ... concede nobis, et nostrae voluntatis pravitatem frangere et tuorum praeceptorum rectitudinem in omnibus adimplere.» — *Dom. 4 post Pentec.* secreta: «... ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates». — *Dom. 19 post Pentec.* postcomm.: «Tua nos, Domine, medicinalis operatio... tuis semper faciat inhaerere mandatis.»

3. Historia Congregationum de Auxiliis satis ostendere videtur Ecclesiam exigere, ut gratia in actu primo vere efficax admittatur (v. verba *Pauli V* n. 565).

559. II. Scriptura. Ezech 11, 19 s: « Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant faciantque ea. » Ergo Deus non solum confert possibilitatem bene agendi, sed *immutando voluntatem perversam in rectam* facit, ut homines revera bene agant. Hoc Deus *absolute praedicit*; ergo hunc effectum *infallibiliter praevидit* et gratiam, quae eum infallibiliter productura sit, se daturum esse *absolute decrevit*. Quod sane est magnum beneficium et singularis benevolentiae signum. — Similia leguntur Ezech 36, 26 s; Ier 31, 33; Bar 2, 31 ss. — Ps 118, 35 et 3 Reg 8, 58 Psalmista et Salomon orant, ut Deus det observationem suorum mandatorum. — Actus naturaliter bonus Deo in cor efficaciter agenti tribuitur Esth 15, 11: « Convertitque Deus spiritum regis [Assueri] in mansuetudinem »; cf. ibid. 13, 9; 14, 13.

Mt 22, 14: « Multi enim sunt *vocati*, pauci vero *electi*. » Sic concluditur parabola de invitatis ad regias nuptias. Agitur in parabola proxime de regno Dei *in hac terra*; nam ex iis, qui venerunt, aliqui eicitur, quod non valet de coena nuptiali in gloria caelesti. Vocati sunt igitur ii, ad quos invitandos servi iterum iterumque mittuntur, i. e. ii, *quibus evangelium praedicatur*; electi autem sunt illi, qui *invitationi obsequuntur*, fidem suscipiunt, Ecclesiae nomen dant. Ipsa vox *ἐλεγκτοί* indicat *hoc esse gratiae Dei*, ut qui vocentur, reapse veniant. Omnes vocati possunt venire, i. e. habent gratiam *sufficientem*; sed non veniunt, nisi qui speciatim a Deo sunt electi, i. e. ab ipsius gratia *efficaci* tracti et adiuti (v. *Knabenbauer* in hunc locum). — Eodem sensu apostoli saepe adhibent voces *ἐλέγεσθαι, ἐκλογή, ἐλεγκτοί* de efficaci vocatione ad fidem evangelicam; v. Rom 11, 5 7; 1 Cor 1, 27; Eph 1, 4; 1 Thess 1, 4; 2 Thess 2, 12; Iac 2, 5; 1 Petr 1, 1; 2, 9; 2 Petr 1, 10.

560. Praecipuum argumentum praebet **Rom 9—11**, maxime **9, 6—24**.

Explicatio (v. *Cornely*; *Al. Schäfer*, Der Brief an die Römer [Münster 1891]; *Valentin Weber*, Kritische Geschichte der Exegese des 9. Kap. des Römerbriefes bis auf Chrysostomus und Augustinus einschliesslich [Würzburg 1889]; *E. Weber*, Das Problem der Heilsgeschichte nach Röm. 9—11 [Leipzig 1911]; *Th. Hoppe*, Die Idee der Heilsgeschichte bei Paulus (BzFchrTh 30, 2; Gütersloh 1926]). — **Pericopa Rom 9—11** ostendit, quomodo cum divinis promissionibus salutis messianae conciliari possit, quod *plurimi Israelitae*

hanc salutem recusaverint: 1. Illae promissiones non alligantur carnali ex Abraha propagationi neque plenissimam Dei in donis suis distribuendis libertatem coarctare possunt; insuper prophetae reprobationem Israelitarum et electionem gentium praedixerant (9, 1—29). 2. Israelitae propria culpa non pervenerunt ad salutem, quia noluerunt ex fide iustificari (9, 30—10, 21). 3. Infidelitas Israelitarum, quam Deus ex sapientibus rationibus permisit, non est nisi partialis et temporaria (11). — In sectione 1 a) cum dolore agnoscit Apostolus praesentem sui populi reiectionem (9, 1—5); b) ex historia Patriarcharum ostendit eam non pugnare cum divinis promissionibus (6—13); c) Deo plenam libertatem in distribuendis gratiae donis vindicat (14—24); d) vocationem gentium et reprobationem plurimorum Israelitarum praedictam demonstrat ex prophetis (25—29).

561. Rom 9, 6—9: Non omnes posteri carnales Israelis et Abrahae sunt filii promissionis. Promissiones Abrahae factae non in Ismael, sed in solo Isaac sunt impletae. Electionem Isaac fortasse adscribet aliquis differentiis naturae et meritorum, quia Ismael erat filius ancillae et erga Isaac male se gesserat. Sed sequens exemplum v. 10—13 clare manifestat liberam Dei electionem et praedilectionem. Esau et Iacob, filii eiusdem patris eiusdemque matris, gemini ex uno concubitu concepti, nondum nati, ergo uterque sine omni personali merito sive bono sive malo, erant prorsus aequales tam natura quam meritis. Tamen Deus alterum, eumque posteriori nasciturum, praelegit alterumque, natu maiorem futurum, a bonis Abrahae promissis exclusit. Duo ista vaticinia (Gen 25, 23: «maior serviet minori», et Mal 1, 2s: «Iacob dilexi, Esau autem odio habui») proxime de populis Israel et Edom dicta erant, sed Apostolus de ipsis personis loquitur. Odium sensu attenuato saepius significat quamlibet postpositionem et neglectiorem, non necessario positivam aversionem; cf. Lc 18, 26: «Qui non odit patrem suum» etc. Ergo Deus unum prae altero elegit. Haec praelectio secundum v. 12 facta est non respectu meritorum («ex operibus»), sed pro beneplacito Dei vocantis («ex vocante»), et secundum v. 11 iam ante nativitatem geminorum vaticinio manifestata est ex hac praecise intentione, ut gratuita electionis indubia staret: ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μὴν. Vox πρόθεσις in Scriptura solet significare absolutum et liberum Dei propositum sive consilium conferendi aliquod beneficium (cf. Rom 8, 28). Expresse additur propositum divinum esse κατ' ἐκλογὴν, esse consilium electivum, scil. eligendi eum, quem Deus ipse voluerit. In hoc contextu «ut maneret» est idem ac: «ut immutabiliter manere cognosceretur». — V. 14: Obicitur Deo iniquitas. Quae obiectio dein ex Scriptura solvitur, quae testatur plenam Dei libertatem in beneficiis conferendis (15s) et denegandis (17s). V. 15: ἐλεεῖν et οὐκ εἰσέγειν sunt synonyma; fortasse secunda vox maiorem gradum misericordiae exprimit. In textu graeco v. 16 subiectum et copula supplenda sunt: τὸ ἐλεηθῆναι ἐστίν. Utrum aliquis Dei misericordiam inveniat necne, hoc non dependet ab ipsius studiis (velle et currere), sed a Deo libere miserente. — V. 17s: Etiam contrarium.

huius misericordiae, scil. quaedam «obduratio» recte Deo adscribitur, uti Scriptura de *Pharaone* testatur. Theologi explicant: Deus obdurat *occasionaliter* et *permissive*. Id eo facilius terminis *positivis* exprimi potest, quia obduratio praevisa et permissa consequenter fit obiectum positivae volitionis divinae eo, quod *Deus ad sapientes fines eam ordinat*, ut iam inserviat bono electorum promovendo et imprimis glorificationi nominis divini. Sic haec terminologia *theologicè iustificatur* (cf. *Knabenbauer* in *Is* 6, 10). — Ceterum veteres Semitae non multum distinguere solebant inter voluntatem Dei efficientem, praecipientem, approbantem, concedentem, permittentem etc., sed quae *aliquo modo referenda sunt ad Dei voluntatem*, ea Deum *velle* facile dicebant, sicut etiam ea, quae per causas secundas fiunt, saepe ipsi Deo attribuunt; cf. *Condamin*, *Le livre d'Isaïe* p. 46; *J.-B. Frey* in *Rev. Bibl.* 1916, 52; *Prat* in *Etudes* 135 (1913 II) 212 s. — Posset igitur iuxta modum loquendi Israelitarum v. 17 ἐξήγειρά σε sine errore theologico intellegi: «incitavi te ad peccandum», sed probabilis sensus est: «posui te in throno Aegypti». — V. 18 denuo *libertatem Dei* quoad utrumque, misereri et obdurare, effert. — V. 19 oritur nova obiectio: Deus si ipse indurat, *quid homines vituperat?* — Non obstante hac obduratione ex parte Dei infidelitatem Iudaeis iuste imputari Apostolus ostendit cap. 10, maxime v. 16—21: Deus eos per praedicationem evangelii *sufficienter vocavit*. Etiam 9, 22—24 Dei rationem agendi explanando defendit. Sed v. 20 s nondum datur solutio obiectionis. Potius Apostolus interim os obicientis obstruit, similitudine figuli eum graviter monens, ne *condicionis suae* in conspectu Dei creatoris omnipotentis sit immemor. — 22—24 constructio est *anacoluthica*. Sensus secundum *Cornely* est: «Si Deus, *quamquam* vult ostendere iram... , toleravit in multa longanimitate vasa irae... , et si Deus, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae... , ea non tantum ex Iudaeis, sed etiam ex gentibus elegit, *quid tunc dices?* Num tunc quoque Deum peccatores induratos increpantem iniustitiae arguere audebis?» Vox ἤνεγκεν propter additum ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ exigit sensum: «sustinuit, toleravit», non: «attulit, adduxit (in interitum)»; probabiliter qua *aoristus gnomicus* dicit: «Deus solet sic procedere». — κατηγορούμενα, sive est *mediū* («quae se aptaverunt ad interitum») sive *passivum* («quae aptata sunt», quin dicatur, a quo), significanter distinguitur a προητοιμασεν (*Deus* ea antea paravit). — Impoenitentes igitur tempore a Deo agenda poenitentiae cesso abutuntur (cf. 2, 4). Deus autem, qui nonnisi occasionaliter et permissive obdurat, *non iniuste eos vituperat et punit*. Neque ulla iniustitiae species in hoc cernitur, quod Deus divitias gloriae suae vult ostendere in *vasis specialis misericordiae*, quae ipse ex Iudaeis et gentibus elegit et ad hanc gloriam antea paravit. V. 23 bis occurrit δόξα, quae vox *non exclusive* significat *beatitudinem eschatologicam*. Priore loco hic significat secundum *Zorell* «largitatem divinam ac misericordiam nobiscum sua bona communicantem», secundo loco eadem bona largitate et misericordia Dei nobiscum communicanda, i. e. non gloriam caelestem praecise sumptam, sed *bona gratiae et gloriae*.

562. **Argumentum.** a) Agitur de gratia salutari. *Thema* totius epistulae est: Evangelium «virtus Dei est in salutem omni credenti... Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem» (1, 16 s). Gentes apprehenderunt iustitiam, quae ex fide est; Israel autem in legem iustitiae non pervenit (9, 30). Ergo hic *non* agitur de *solis praerogativis externis*, v. g. de solo externo ingressu in corpus Ecclesiae. Apud veteres *patriarchas* utique proxime cogitandum est de externis bonis promissis, uti de iure hereditatis et domini in fratres necnon de privilegio, quo quis constituatur progenitor populi electi et ipsius Messiae. Sed collatio horum honorum *Veteris Testamenti* est typica; docet scil. aliquid de *distributione gratiarum Novi Testamenti*. Haec enim non dependet a praerogativis et meritis naturalibus, sed a *gratuito proposito divinae liberalitatis*, sicut etiam in Vetere Testamento sola carnalis propagatio ex Israele et Abraha non satis erat, ut censeri possit aliquis verus Israelita et filius Abrahae, particeps promissionum divinarum (9, 6—8). Apostolus vult respondere ad quaestionem: Quomodo fieri potuit, ut plurimi e gente electa manerent *expertes salutis messianae* patribus promissae, i. e. *verae iustitiae supernaturalis* (et *consequenter gloriae caelestis*), cum plurimi gentiles eandem salutem consecuti sint?

b) Hac occasione Apostolus distinguit gratiam vocationis efficacem a gratia mere sufficiente. Cap. 10 pluries commemoratur gratia pure sufficiens: V. 16: «Sed non omnes oboediunt evangelio.» 18: «Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum...» 21: «Ad Israel autem dicit (Is 65, 2): Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.» 9, 31: *Israel* non pervenit ad iustitiam a Deo oblatam, quia noluit uti medio a Deo proposito; noluit enim *ex fide* iustificari, sed *quasi ex operibus*. — E contra gratia evangelii *gentibus* concessa adnexum habuit effectum salutarem fidei et iustitiae. 9, 30: Gentes apprehenderunt iustitiam, quae ex fide est. Aliquando etiam *reliquias Israelis* salvatum iri v. 27—29 ex Is protulerat Apostolus.

c) Non obstante culpabilitate, qua perversa voluntas humana Dei gratiae resistit (9, 22—24; 10, 16—21), Apostolus discrimen in sequenda vocatione divina adscribit Deo vocanti, qui gratuita misericordia unum prae alio *citra omnia merita* *eligit* et hoc propositum electivum *vocatione efficaci* *exsequitur* (9, 11—13). Huic speciali *miserationi divinae*

simpliciter tribuendum est, ut homo perveniat ad iustitiam fidei, *non vero voluntati et cursui* ipsius hominis (9, 15 s). Deus, sicut ex duobus *geminis plene aequalibus* iam ante eorum nativitatem liberrimo consilio hunc destinavit ad regnandum, illum ad serviendum, alterum igitur *prae altero dilexit*, sic etiam *in ordine gratiae* aliquos gratuito ita vocat ad salutem messianam, ut vocationi obsequentes fidem acceptent et iustificentur, alios autem sic vocat, ut vocantem respuant. Quare vasa misericordiae, quae ipse Deus prae-paravit ad salutem gratiae et gloriae, specialem in iis benignitatem et misericordiam manifestando, discriminantur electione et proposito Dei vocantis a vasis irae, quae a Deo, denegata ista speciali misericordia, occasionaliter et permissive *obdurantur* atque sic aptata sunt in interitum (9, 18 22 s). — Ergo Deus iis, quorum vult misereri, *speciali praedilectione* confert beneficium *efficacis vocationis* ad salutem fidei, quod beneficium gratuitum aliis denegat.

563. Rom 8, 28—33: Diligentes Deum sunt *κατὰ πρόθεσιν κλητοί*. Hos Deus praescivit, praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, vocavit, iustificavit, glorificavit. Sunt *ἐκλεκτοὶ θεοῦ* (cf. n. 655). — Eph 2, 10: In ordine salutis sumus *ποίημα* Dei, creati in Christo Iesu ad operanda *opera bona*, quae *Deus antea paravit*, ut in ipsis ambulemus (cf. n. 43). — Phil 1, 6: Deus *incipit et perficit* in fidelibus opus bonum. — 2, 13: Ad exsequendum suum *gratiosum propositum* (*ὄπρὸς τῆς εὐδοκίας*) Deus efficaciter *operatur in nobis velle et operari* (n. 42).

Nota his textibus nullam indicari differentiam inter opera *faciliora* et *difficiliora*; ergo *universaliter valere* supponendi sunt.

564. III. Patres ante Augustinum hanc doctrinam magis *practice* quam theoretice exhibent, eo scil., quod bonam voluntatem, fidem, caritatem, virtutes, bona opera a Deo postulant Deoque pro iisdem gratias agunt. — Tertullianus (v. n. 49): Gratia, potentior quam natura, subiectam sibi habet liberi arbitrii potestatem. — **Augustinus** a) Simpliciano (l. 1 q. 2) interpretans Rom 9, 10—29¹, maxime ex v. 16 cognovit: Apo-

¹ Cf. *Tr. Salgueiro*, La doctrine de s. Augustin sur la grâce d'après le Traité à Simplicien (Porto 1925), et *Scholastik* 2 (1927) 428—432; porro *Chr. E. Luthardt*, Die Lehre vom freien Willen p. 28 ss.

stolus non solum vult dicere: «Voluntas hominis *sola non sufficit*, ut iuste recteque vivamus, nisi adiuvemur misericordia Dei», sed amplius docet *ipsam bonam voluntatem esse donum Dei* et ab eo *infallibiliter dari* iis, quibus illam dare absolute velit: «Si enim Deus *miseretur*, etiam volumus; ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus» (n. 12). «Vocatio ista ita est *effectrix bonae voluntatis*, ut *omnis* eam vocatus *sequatur*.» Quare distinguendum est inter *vocationem congruam et incongruam*. «Etiam si multos vocet, eorum tamen *miseretur*, quos ita vocat, quomodo eis vocari *aptum* est, ut *sequantur*.» «Ad alios autem vocatio quidem pervenit; sed quia *talis* fuit, *qua moveri non possent*, nec eam capere apti essent, *vocati* quidem dici potuerunt, sed *non electi*.» «Non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille miseretur, si homo nolit; quia *si vellet* etiam ipsorum *misereri*, posset *ita vocare*, quomodo illis *aptum* esset, ut et moverentur et intellegerent et sequerentur.» «*Nullius Deus frustra miseretur*; cuius autem miseretur, *sic eum vocat*, quomodo *scit ei congruere*, ut vocantem non respuat» (n. 13). Ergo secundum explicationem Augustini Apostolus docet esse aliquam vocationem ad fidem *infallibiliter efficacem*, quae ut talis a Deo *praevisa* et *singulari misericordia* data sit. — b) Idem postea saepe adversus Pelagianos et Semipelagianos urget: Deus non solum dat *posse* salutariter velle et agere, *indifferenter* vocando et confortando vires humanas, sed vasis misericordiae *infallibiliter inspirat ipsam bonam volutionem, fidem, caritatem* etc. et per hoc *infallibiliter largitur bona opera*, quae ex fide et caritate procedunt. *Enchiridion* 98 (R 1926): «Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse *convertere*? Sed cum facit, *per misericordiam* facit; cum autem non facit, per iudicium non facit. Quoniam cuius vult, miseretur, et quem vult, obdurat.» Dein iterum explicat Rom 9, 10 ss. — *Contra 2 epist. Pel.* 4, 9, 26: «Oramus non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus et oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo, de quo scriptum est: Praeparatur voluntas a Domino?» — *De praed. Sanct.* 8, 13: «Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, *a nullo duro corde respuitur*. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.» — *De corr. et grat.* 14, 43 (R 1961): «Cui volenti salvum facere nul-

lum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem» (cf. 12, 38 [supra n. 548; R 1958])¹. — Doctrinam magistri repetunt discipuli Prosper et Fulgentius. — Petrus Chrysol. (*Serm.* 16 in Ps 28) *rhetorice* dicit: «Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum et phrenesi criminum laborantes *ad salutem etiam invitos attrahit et nolentes.*»

565. IV. Theologi. Thomas, S. th. 1, 2 q. 112 a. 3: Praeparatio hominis ad gratiam «potest considerari, secundum quod est a Deo movente, et tunc habet *necessitatem* ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed *infallibilitatis*; quia *intentio Dei deficere non potest*, secundum quod *Augustinus* dicit in 1. 2 de praed. Sanct. [De dono persev. 14, 35], quod per beneficia Dei *certissime liberantur*, quicumque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cuius cor movet, gratiam [habitualement] consequatur, *infallibiliter* ipsam consequitur.» — 2, 2 q. 24 a. 11: «Ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum... caritas *impeccabilitatem* habet ex virtute Spiritus Sancti, qui *infallibiliter* operatur, quodcumque voluerit. Unde impossibile est haec duo simul esse vera: quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum caritatis, et quod ipse caritatem amittat peccando. Nam donum perseverantiae computatur inter beneficia Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, ut Augustinus dicit.»² — **Molina, Conc.** q. 19 a. 6 disp. 2 § «Altero modo» (ed. paris. 1876 p. 392 s): «Hac ratione Deus O. M. vult omnia bona, quae per arbitrium nostrum sunt futura, non solum *voluntate condicionali*, si nos quoque ea velimus, sed etiam *voluntate absoluta*, quatenus ipsi *praevidenti* ea futura *placent* eademque divina eius ac *singularis bonitas* per arbi-

¹ Alios textus v. P 242 et Comp. 285. — Beraza n. 485 doctrinam Augustini sic complectitur: «Profecto S. Doctor passim affirmat Deum facere, ut faciamus, facere, ut velimus; unum vocare sic, ut vocantem sequatur, alterum vero sic, ut non sequatur; unius misereri, alterum tamen relinquere in sua induratione; unum sic adiuvere, ut convertatur et vivat, alterum vel non adiuvere, vel sic adiuvere, ut tamen in obstinatione sua moriatur; ita subvenire infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.»

² Multos alios textus v. apud Del Prado, De gratia et libero arbitrio II 92—108, et Stuffer, De Deo operante n. 191.

trium nostrum intendit ac vult. Quod autem haec etiam absoluta Dei voluntas *semper impleatur*, ex eo est manifestum, quia nititur *certitudini praescientiae divinae*, quod ita res futura sit per nostrum arbitrium.» — q. 23 a. 4 et 5 disp. 3 § «Ad secundam partem» (p. 560): «Quod Deus *elegerit eum rerum ordinem*, circumstantiarum et auxiliorum, sive maiorum sive minorum, in quo praevidebat eos pro sua libertate *salvandos*, qui electione eius ordinis eo ipso *praedestinati* sunt vitamque aeternam pro sua libertate consequuntur, *potius quam alium* ex infinitis, in quo res aliter pro eadem ipsorum libertate habuisset, *non fuit ex nobis* aut pro *meritorum* et *cooperationis* nostrae qualitate, sed *ex sola misericordia Dei*.» Cf. Ber. 485 notam de Molina et Lessio. — Valde urgent hanc thesim *Bellarminus*, *Suarez* et omnes **Congruistae** (cf. scholia n. 645 ss 657 s). — In **Congregationibus de Auxiliis** Iesuitae 5 propositiones statuerunt, de quibus inter utramque partem constaret. Quarum prima erat: «Datur *auxilium praeveniens gratiae efficacis*, per quod Deus facit, ut homo convertatur et pie operetur»; *secunda*: «Hoc auxilium praeveniens est *donum peculiare Dei* distinctum a sufficienti» etc. — Dominicani addebant alias tres propositiones: «1. Auxilium gratiae efficax est *motio realis et antecedens* applicationem voluntatis ad actum determinatum. — 2. Gratia efficax est *effectrix bonae voluntatis* ac proinde ab eadem voluntate realiter distincta. — 3. Posito eo auxilio efficaci... homo *infallibiliter* convertitur aut elicit actum, ad quem movetur.» — Iesuitae propositionem 1 et 3 absolute, 2 cum quadam declaratione admiserunt. Generalis O. P. dixit: «Si *Molina* haec omnia concessisset, nihil plane habuissent patres nostri, quod in eo reprehenderent.» Iesuitae responderunt facillime ostendi omnes has propositiones *disertis verbis a Molina concedi* (cf. *Schneemann*, *Controvers. de div. grat.* p. 260 s; P ed. 4 n. 576). — **Paulus V**, cum finitis Congregationibus ad definitionem controversiae urgeretur, respondit: «Rem dilatam esse... , quod *utraque pars congruat cum veritatis catholicae capitibus* doceatque Deum *gratiae suae efficaciam* nos ad agendum excitare et facere de nolentibus volentes et flectere et immutare hominum voluntates, de qua re in hac causa agitur; discrepent autem explicandi modo» (P 583). — Hanc igitur thesim etiam defensores puri Molinismi statuunt et persuasum habent eam in suo systemate integre servari (v. n. 640 ss 654 ss). — Generatim ab omnibus theologis ultimorum saeculorum unanimiter statuitur, si excipias paucos, qui, systema molini-

sticum parum intellegentes, ex eiusdem toleratione ecclesiastica perperam concluderunt licere catholico hanc thesim negare, et si insuper attendas ad eas *restrictiones*, quas catholici *Infralapsarii et Sorbonici faciunt* (n. 556 c d).

566. V. Ratio. a) Deus potest id facere, quod in thesi statuitur. Nam antequam absolute decernit aliquam gratiam, iam *infallibiliter scit* (sive iuxta Bannezianos ex natura talis gratiae sive iuxta Molinistas ex praeviso effectu condicionate futuro), utrum ista gratia inductura sit consensum necne. Semper autem *Deo praesto sunt* multa auxilia tam efficacia quam inefficacia, et quidem quoad omnem voluntatem creatam et in omnibus circumstantiis, inter quae auxilia *libere eligere* Deo licet (cf. n. 641). — b) Deus debet ita procedere; nam in ordine cum naturali tum supernaturali omnia *sapientissime providet*. Ergo *neque caece neque indifferenter* decernit distributionem gratiarum, quae pro libertate arbitrii creati aut habebunt aut non habebunt effectum salutarem et ex quorum usu abusive dependet salus et interitus creaturarum rationalium (cf. n. 640). — c) Deus si praeeligit auxilium infallibiliter praevisum efficacem, maius et specialius beneficium gratuito confert, quam si elegisset auxilium ipsi notum qua inefficax. Maius et specialius in hoc casu erit α) beneficium materiale, quia donum praeelictum *maioris est valoris*. Etiam si aliquando *physice est aequale vel minus* quam auxilium inefficax (quod potest accidere, quia liberum arbitrium aliquando suasioni fortiori resistit et remissiori obsequitur), tamen *in morali aestimatione* incomparabiliter plus valet quam aliud beneficium quantumvis in se magnum vel etiam maius, quod tamen accipienti de facto nocebit. — β) Etiam specialius erit beneficium formale. Deus enim generatim omnia auxilia confert *ex sincera voluntate*, ut prosint (v. n. 552, 2); hinc si praeviso effectu salutari absolute decernit talem gratiam, habet eo ipso *absolutam voluntatem beneficam* donandi hunc actum salutarem, quam non habet in decernenda gratia pure sufficiente. Ergo ratio specialis beneficii servatur, etiam si Deus *non praecise ex praevisa actus salutaris absoluta praedefinitione* moveatur ad eligendam gratiam efficacem *qua efficacem* (i. e. servatur etiam *in puro Molinismo*; cf. 643 654).

Ex dictis elucet: a) Etiam in ordine supralapsario et in omni ordine (v. g. naturae purae) auxilia, quae Deus ad attingendum finem ultimum concedit, per eius praevisionem et electionem *iam in actu primo distinguuntur* in pure

sufficiencia et efficacia atque collatio auxilii efficacis semper habet rationem maioris beneficii. Licet in statu naturae lapsae auxilia efficacia debeant esse *maioris virtutis*, tamen etiam in statu iustitiae originalis et in angelis distinguuntur auxilia in actu primo efficacia et pure sufficiencia, quae a Deo qua talia infallibiliter praevidentur et praevisa libere eliguntur. — b) Distinctio operum facilium et difficilium hac in re non recte ponitur. Etiam ad opera facilia quaedam auxilia sunt efficacia, quaedam *inefficacia*; Deus hoc infallibiliter *praescit* neque minus *sapienter et libere seligit* hoc vel illud auxilium (cf. n. 619). — Explicationem accuratorem efficaciae gratiae theses sequentes praebebunt.

567. Prob. II. Donum perseverantiae.

I. Ecclesia doctrinam de dono perseverantiae, utpote cum difficilioribus praedestinationis quaestionibus intime connexam (v. n. 112ss), nunquam definivit, licet *S. Augustinus* eam adversus Semipelagianos tam strenue defenderit. Docet Ecclesia nos sine speciali auxilio in iustitia *non posse perseverare* et hoc auxilium omnibus iustis praesto esse (th. 6 n. 173—175). — Hormisdas *ultima Augustini opera*, in quibus haec quaestio fuse tractatur, speciatim *commendat* (Dz 3027; v. n. 60 112). — **Tridentinum** s. 6 cap. 13 et can. 16 (Dz 806 826), *supponens et obiter dicens* perseverantiam finalem esse *magnum donum*, definit neminem sine speciali revelatione absoluta et infallibili certitudine scire se illud donum habiturum esse. Quamquam incertitudinem ex humana infirmitate et vehementia pugnae derivat, tamen loquendo de «*perseverantiae munere*» idque vocando «*magnum illud usque in finem perseverantiae donum*», satis indicat salutis exitum *principaliter dependere a Deo*, qui pro suo beneplacito hoc donum aut concedit aut denegat. Hominum sortem aeternam pendere a proposito divinae electionis item elucet ex cap. 12 (Dz 805), ubi est sermo de «*arcano divinae praedestinationis mysterio*», quocum sane donum perseverantiae intime cohaeret, et de iis, «*quos Deus sibi elegerit*».

Praxis Ecclesiae (cf. *Mazz.* 330): Ecclesia orat, ut Deus det «*salutis exitum*» et «*perseverantem in sua voluntate famulatum*»; ut «*custodiat opera misericordiae suae*»; ut Ecclesiam «*faciat in sui nominis confessione perseverare*»; ut «*faciat nos semper suis inhaerere mandatis nec unquam ab ipso nos separari permittat*». — Augustinus provocat ad hoc argumentum, *De dono persev.* 2, 3: «*Cur perseverantia poscitur a Deo, si non datur a Deo?*»;

ibid. 2, 4 cum S. Cypriano in hunc sensum interpretatur *orationem dominicam*; 7, 13: « Si ergo alia documenta non essent, haec dominica oratio nobis ad causam gratiae, quam defendimus, sola sufficeret. » Cf. *De corr. et gr.* 6, 10.

568. II. Scriptura a) tam *emphatice perseverantiam Deo attribuit*, ut videatur plus intellegere quam meram potestatem perseverandi, omnibus iustis concessam. Phil 1, 6: Deus, « qui coepit in vobis opus bonum, *perficiet* usque in diem Christi Iesu ». — 1 Petr 5, 10: « Deus . . . , qui vocavit nos [alia lectio: vos] . . . , modicum passus ipse perficiet, confirmabit solidabitque ». — Ier 32, 40: « Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a me. » — b) Saepe monemur, ut *perseverantiam a Deo petamus*. Ps 50, 13: « Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. » — Io 17, 11: « Pater sancte, conserva eos in nomine tuo. » — Lc 18, 1; 21, 36: Perseveranter orare oportet. — Oratio dominica. — c) Illatio ex parte prioris: Quatenus Scriptura docet *gratuitam electionem ad gratiam et gloriam*, aequivalenter docet conservationem gratiae usque in finem a Deo gratuito esse donandam: Rom 8, 28—30 et alii textus partis I (n. 559 563). — Io 10, 26—29: « Oves meae vocem meam audiunt, . . . et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius [vel: qui dedit mihi, maior] omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. » — d) *Mors opportuna* tribuitur speciali et benignae *Dei providentiae*. Sap 4, 11: « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius »; 14: « Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. »¹

569. III. Patres ante Augustinum hanc quoque veritatem non tam distincte proponerant theoretice, sed potius *in praxi* observabant. — **Augustinus** ex professo de dono perseverantiae primum egit *De corr. et gr.* 6, 10 ss, maxime cap. 10—12 (« *adiutorium quo* » in statu naturae lapsae ad perseverandum datum); dein in toto l. 2 *De praed. Sanct.*, qui nunc tamquam peculiare opus vocatur *Liber de dono perseverantiae*. Principales textus v. R 1947 1949 1958 1960 1992 ss². — Prosper,

¹ Hoc testimonium, ab Augustino prolatum, *Massiliensibus* ingratum erat; quare illud « tamquam non canonicum definiunt omittendum » (*Hilarii ad Aug. Epist.* 226, 4).

² *De dono persev.* 21, 55: In libro *De corr. et gr.* « puto me ita posuisse donum Dei esse etiam perseverare usque in finem, ut hoc antea, si me non fallit oblivio, tam *expresse atque evidenter* vel nusquam vel paene nusquam scripserim ». Sed ipsa doctrina

Resp. ad cap. obiect. Gallorum 7 (R 2028): «Cum autem dubium non sit donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos ex eo ipso, quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est, non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit.»

570. IV. Theologi. Anselmus, De casu diaboli cap. 1—3 (ML. 158, 325 ss): *Etiam angelis* dicitur: Quid habes, quod non accepisti? «Constat ergo, quia ille angelus, qui stetit in veritate, sicut ideo *perseveravit*, quia *perseverantiam habuit*, ita ideo perseverantiam habuit, quia *accepit*, et ideo accepit, quia *Deus dedit*» (cap. 2 init. [328]). — **Thomas, S. th. 1, 2 q. 109 a. 10:** «Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia.» — ad 3: «Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt et donum gratiae, quo *perseverare possunt* [et quidem secundum a. 8 omnes iusti], et ulterius eis [et quidem non omnibus iustis] datur, quod *perseverent*.» — q. 114 a. 9 distinguit perseverantiam in gratia et in gloria. «Perseverantia *gloriae* . . . cadit sub merito [meremur enim *aeternam gloriam*]; perseverantia autem *viae* non cadit sub merito, quia *dependet solum ex motione divina*, quae est principium omnis meriti. Sed Deus *gratis* perseverantiae bonum largitur, cuicumque illud largitur» (cf. n. 182 s 565). — **Scotus, Op. Oxon. In 1 d. 43 n. 1** citat verbum *Anselmi*: «Quia Deus dedit perseverantiam *bono angelo*, ideo bonus angelus habuit.» — *In 4 d. 22 n. 17:* «Nullus est, qui aliqua [peccata] committat, quin alius posset eadem committere, nisi praeservaretur» (cf. n. 183). — **Molina** (v. n. 565 alterum textum, in quo defenditur gratuita praedestinatio complète spectata, quae includit donum perseverantiae finalis). — Iam ex multis saeculis omnes theologi omnium scholarum hanc doctrinam (saltem quatenus ad statum naturae lapsae limitatur) tamquam doctrinam *fidei* vel ad minimum *intime cum fide nexam* absolute tenent. Haec concordia circa ipsam rem eo maioris est momenti,

non est nova. Nam S. Cyprianus, *De orat. domin.*, iam idem dixerat. Videant quoque Massilienses, utrum ex iis, quae in primo libro *Ad Simplicianum* de gratuitate vocationis congruae et de initio fidei dicta sunt, «non *consequenter* eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem *perseverantiam* nonnisi ab eo donari, qui nos *praedestinavit* in suum regnum et gloriam». Deinde inspiciat *Epist. 186 (ad Paulinum)* et *194 (ad Sixtum)*. «Unde recolant adversus haeresim pelagianam iam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quae nunc eis displicere mirandum est. Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit.»

quod variae scholae theologicae in dono perseverantiae explicando valde dissonant, prout efficaciam gratiae aut internam aut externam et praedestinationem ad gloriam aut antecedentem aut consequentem tenent (cf. n. 627 646).

571. V. Ratio explicat, in quo hoc donum consistat et quo pacto sit speciale beneficium (P 189 s; cf. n. 555). — a) Non consistit in solo exitu salutari, per bona studia liberi arbitrii obtento, in oppositione ad infaustum exitum mala voluntate causatum (quae doctrina *semipelagiana* Molinistis saepe falso adscribitur). Omnes utique iusti potestatem perseverandi habent (th. 6 II), qua alter utitur, alter non utitur, idque uterque pro libertate sui arbitrii. Cum Semipelagiani totum discrimen ex libero arbitrio repetant, omnes Catholici duce S. Augustino *aliquod ex parte Dei discrimen* agnoscunt, qui pro sua libertate gratias singulis distribuat atque sic perseveraturos a non perseveraturis discernat. Secus non haberetur ratio *peculiaris doni* in perseverantia actuali. — b) Non est specialis habitus a Deo ceteris habitibus infusus superadditus (cf. *Thom.* n. 555). Si ita esset, ii, quibus hic habitus denegaretur, non accepissent veram perseverandi potestatem. — c) Ad hoc donum pertinet elementum passivum opportunae mortis in statu gratiae. Hoc est *summum beneficium*, prorsus *gratuito* a Deo datum. Nam Deus qua supremus vitae necisque dominus statui viae uniuscuiusque creaturae rationalis finem imponere potest, quando et quomodo ipse vult. Qui mortaliter peccat, libere sibi inducit periculum in hoc statu moriendi. Deus enim peccatorem morte praeveniendo nullam eidem facit iniuriam. Quare si *cursum causarum secundarum*, quibus mors infligitur, ex una parte et *distributionem gratiarum* efficacium et pure sufficientium ex altera parte ita ordinat, ut mors homini in statu gratiae degenti superveniat, praesciens et volens hunc effectum, maximum praestat *beneficium tam materiale quam formale*¹. — d) Elementum activum dicit talem cooperationem cum gratiis ex parte hominis, ut status gratiae ab ultima iustificatione usque ad mortem nullo peccato mortali amittatur. Continet igitur collationem earum gratiarum efficacium prae mere sufficientibus, quas apte vocamus «finaliter efficaces», quia scil. statum gratiae usque ad finem vitae efficaciter servant. Sed *ex priore parte thesis*

¹ Haec gratuitas quam manifestissime cernitur in parvulis morientibus, id quod S. Augustinus saepe effert: *Epist.* 194, 32; 217, 19; *C. Iul.* 4, 8, 42; *De dono persev.* 12, 31.

constat collationem gratiarum efficacium prae pure sufficientibus esse *speciale beneficium* ex parte Dei et materiale et formale (n. 566). Eiusmodi beneficium, quod iam in collatione *omnis gratiae efficaci* habetur, *pretii* est incomparabiliter maioris et consequenter etiam est signum *benevolentiae* multo specialioris, si confert non qualemcumque actum bonum, sed praecise eos actus, quibus usque ad mortem in bono faciendo et malo vitando continuatur; nam sic Deus *eo ipso donat vitam aeternam*. — e) Sicut *potestatem* perseverandi non explicavimus per aliquod *extraordinarium* auxilium, a summa gratiarum iusto collatarum *distinctum* (v. n. 174 e), sic neque *actualem* perseverantiam concipimus ut donum realiter distinctum a summa earum gratiarum efficacium, quibus per elementum passivum opportuna mortis accedit ratio. efficaciae finalis. — f) Non oportet, ut gratiae efficaces, quibus donum perseverantiae actualis componitur, ratione *numeri, perfectionis specificae, intensitatis* et consequenter ratione *virium*, quas voluntati conferunt, semper praecellant prae iis gratiis vere sufficientibus, quibus pura potestas perseverandi, denegata perseverantia actuali, constituitur. Sane multi, qui pereunt, habuerunt gratias copiosiores et abundantiores quam quidam alii, qui per paucas gratias efficaces salvantur. *Parvuli* per unicam baptismi gratiam salvantur, cum plurimi *adulti* non obstantibus multis auxiliis gratiae baptismali superadditis reprobentur. Sed semper gratia efficax prae pure sufficiente et donum perseverantiae finalis prae mera potestate perseverandi habent rationem *beneficii moralis multo excellentioris*, sive in morali aestimatione multo pluris valent, idque sub respectu beneficii tam *materialis* quam *formalis* (v. n. 566).

572. Scholium. De confirmatione in gratia (P 191; Schiff. 124; Ber. 250). Confirmatio et impeccabilitas *beatorum* et *Christi* viatoris alibi explicantur (P III 455; IV 300 ss). Neque agimus de impeccantia quoad *peccata venialia*, quibus gratia non amittitur (n. 163 ss). Aliquo sensu minus proprio omnis iustus *dono perseverantiae* instructus est confirmatus in gratia et impeccabilis, sive non potest graviter delinquere et gratiam amittere. Quae impossibilitas est *futuritionis* sive *consequens* actum secundum a Deo praevisionem (cf. Thom., De ver. q. 24 a. 13). — Ea confirmatio, de qua nunc agimus, est *donum multo specialius*, quod insignibus tantum sanctis conceditur. Quare discrimen ab ordinario dono perseverantiae explicandum est. Varias sunt sententiae:

1. Confirmatio tollit libertatem peccandi. Sic *Greg. de Valentia* II disp. 8 q. 3 punct. 4, *de grat. eff.* prop. 4 resp. ad 1 explic. 3 (ed. Ingolst. 1592: II 1203) et *Ledesma*, De aux. a. 5. — Si *libertas eligendi inter bonum et melius* ac proinde possibilitas merendi relinquatur, *tolerari potest* haec sententia, sed vera esse non videtur. Ne Christi quidem impeccantiam sic explicamus, cum libere impleverit verum praeceptum Patris, cuius transgressio fuisset peccatum inoboedientiae. — 2. Perseverantia successive per multa auxilia, confirmatio uno instanti tota simul datur. — Sed quid est illud, cuius collatione perenniter habetur confirmatio? Sane deberet esse donum aliquod permanens et, similiter ac visio beatifica et unio hypostatica, ex natura sua cum peccato insociabile. Insuper debet explicari, quomodo stante hoc dono fuga peccati per totam vitam executioni detur. Quod, nisi ad primam opinionem recurrere velis, per *auxilia successiva* explicare debebis. — 3. Confirmatio addit revelationem perseverantiae. Ita *Vazquez*, *In 1* q. 23 a. 4, disp. 90 cap. 2; *In 1, 2* q. 112 a. 2, disp. 200 cap. 5 n. 33). — Sed *gratis asseritur* omnem confirmatum habere revelationem de sua iustitia et perseverantia. — 4. Est maior intrinseca perfectio gratiae habitualis. Sic *nonnulli Thomistae*, quorum quidam addunt specialem Dei protectionem, quam sane *S. Thomas* in explicando dono perseverantiae plurimi facit (cf. *De ver.* q. 24 a. 9). — Hac sola re *discrimen* a perseverantia *non satis explicari* videtur. Porro illa maior perfectio gratiae vix potest aliud quid esse quam *maior intensitas*, et *gratis asseritur* omnem confirmatum in gratia necessario habere gratiam habitualementiorem quam quivis alius salvandus. — 5. Confirmatio dantur abundantiores gratiae efficaces, intensiores illustrationes, ardentiores motiones, specialior custodia divinae providentiae. Hoc gradu altiori earum gratiarum actualium, quibus donum perseverantiae coalescit, constare confirmationem autumat *Suarez*, *De grat.* l. 10 cap. 8. — Eiusmodi *abundantia gratiarum sane invenitur* in confirmatis; nam ex omnium consensu ad confirmationem multo plus requiritur, quam ut peccatum mortale et aeterna damnatio aegerrime vitentur, cum ad essentiam doni perseverantiae hoc satis sit. Si quis cum *Suarez* praedestinationem ad gloriam antecedentem et praedefinitionem formalem omnium bonorum actuum tenet (cf. schol. post th. 24 n. 645 ss), *aliud aptum discrimen* inter utrumque donum *vix inveniet*. — 6. In *systemate pure molinistico* aliud quid potest *addi*: Deus regi electorum bonos actus, quibus persevera-

bunt, nonnisi virtualiter, confirmatis in gratia vero formaliter praedefinit, i. e. seligit iis gratias efficaces qua efficaces, alias daturus, si has videret fore inefficaces (cf. n. 647). Ratio, cur ita agat, secundum *Schiffini* est aliqua *praerogativa et dignitas supernaturalis in regno Dei*, quacum coniungi statum peccati mortalis (saltem personalis) non deceat, v. g. praeter unionem hypostaticam et divinam maternitatem etiam munus *nutricii, praecursoris, apostoli* Christi (ultimum nonnisi postquam per adventum Spiritus Sancti perfectum est). — Ne donum confirmationis nimis coarctemus, addi potest: Nonnunquam *fidelissima cooperatio* cum gratiis praecedentibus Deo est ratio, ut ab aliquo determinato vitae momento deinceps eos actus bonos, qui ad vitandam amissionem insignis sanctitatis iam comparatae requiruntur, formaliter praedefiniat, seligendo gratias efficaces qua efficaces. Sic confirmatio semper aliquam rationem *impeccantiae antecedentis* ad perseverantiam addit.

ARTICULUS II

EXPLICATIO GRATIAE EFFICACIS INTER CATHOLICOS CONTROVERSA

CONSPECTUS CHRONOLOGICUS DISPUTATIONUM

573. P (ed. 4) 562 ss et opera ibid. laudata, praesertim: *G. Schneemann*, Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus (Friburgi Br. 1881). — *Ant. Astráin*, Hist. de la Comp. de Jesús en la asistencia de España IV (Madrid 1913). — *Raoul de Scorraille* S. J., François Suarez (Paris 1912—13) praesertim l. 3 in fine tomi I. — *L. v. Pastor*, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters XI (Freiburg i. Br. 1927) 513—576; XII (1927) 163—181. — De scriptis saeculi XIX v. *Morgott* in Lit. Handweiser 26 (1887) 33—40.

574. 1. Origo litis in Hispania (et Belgio).

C. a. 1566 Petrus *Fonseca* S. J. lusitanus, professor philosophiae *conimbricensis* († 1599), in publicis lectionibus asserendo divinam cognitionem circa *duplicem statum futurorum contingentium*, absolutum scil. et condicionatum, solvit difficultates in materia providentiae et praedestinationis divinae¹.

¹ In suis *Commentariis in Metaphys. Aristot.* l. 6 c. 2 q. 4 sect. 8 initio (ed. Lugd. 1605 t. 3 p. 119) haec dicit: «Ante annos *triginta*, quam haec scriberemus (scribimus autem a. D. 1596), cum

C. a. 1571 Ludovicus **Molina**, natus a. 1535 Conchae (*Cuenca*) in Hispania, a. 1553 Societatem Iesu ingressus, discipulus Petri Fonseca, per annos viginti in academia eborensi (*Evora*)

materiam de providentia divina et praedestinatione in publicis lectionibus essemus ingressi multaeque ac graves difficultates, quae in ea occurrunt, se nobis obicerent, nulla faciliori via et ratione putabamus explicari omnes posse, quam constituenda ea distinctione, quam paulo ante fecimus, *duplicis status eorum contingentium*, quae revera futura sunt, *absoluti* scil. et *condicionati*, asserendaeque *certitudine divinae cognitionis* circa illa in utroque statu, prius quidem in condicionato, deinde vero absoluto. Quae distinctio et utriusque certitudinis confirmatio ita nobis omnium paene obiectarum difficultatum tenebras depellebant, ut nova quaedam lux nostrae mentis oculis oborta videretur... Unum illud *scrupulum* iniciebat, ne hac ratione *novum* aliquid fortasse induceretur... Neque enim quisquam erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii nostri cum divina praesentia aut providentia aperte et, ut dicitur, *in terminis* conciliasset. Sed cum re bene perpensa omnia eorum [Patrum et Scholasticorum] dicta hoc pacto melius et explicari et conciliari viderentur, nihil antiquius habuimus, quam ut praedictam distinctionem futurorum persequeremur et divinae cognitionis in utroque eorum statu certitudinem confirmaremus.» Postea (p. 120) scribit: «Haec cum eo tempore *dictare* coepissemus et, quod supererat, *quibusdam ex auditoribus nostris verbotenus communicavimus*, haud gravate tulimus, quod, aliis deinde rebus occupati, ea absolvere possemus, dum ratio haec conciliandae voluntatis creatae cum divina praesentia ac providentia, sola specie quibusdam nova, paulatim emolliretur. Nec nos certe nostra fefellit opinio, cum eam hodie ita bene quasi subactam a multis videamus, ut pauca nobis ex iis, quae in ea observavimus, necesse sit adiungere.» Distinguit dein Dei «scientiam *naturalem* et *liberam* ac *quodammodo mistam*» et advertit (p. 121) «hanc *quasi mistam* scientiam, quam *condicionatam* appellavimus, ... pertinere non solum ad ea, quae revera *futura sunt*, sed etiam ad ea, quae *futura essent*, si Deus alium ordinem dispositionemque in rebus instituisset». Tandem dicit: «Ex quibus colligitur utramque condicionatam scientiam esse *quasi mediam* inter naturalem et liberam, ut iam hodie a multis dicitur.» — Molina videtur hac Dei scientia iam *circiter ab anno 1561* usus esse ad istas quaestiones elucidandas. Sic enim ait in suis *Commentariis in primam partem D. Thomae* (quae, a. 1591 approbata, a. sequ. primo edita sunt) q. 14 a. 13 disp. 18 memb. 2 § «Auctores praeterea» (eadem v. in *Concordia* inde ab ed. *Antwerp*. 1595, disp. 53 membr. 2 § «Parvi pendunt»; in ed. *Paris*. 1876 p. 353 s): Haec dilucida concordia non recedit a doctrina Patrum doctorumque catholicorum. «Ceterum quod, in labores eorum introeuntes totque concertationibus et *egregiis aliorum dictis atque inventis illustrati*, dilucidius aliquantulum radicem attigerimus, unde haec omnia consentiant et unde difficultates omnes facile enodentur, atque *a triginta annis in privatis et publicis disputationibus, a viginti vero in nostris ad primam partem Commentariis* [manuscriptis et praelectis] eam *sub nomine scientiae naturalis* idcirco tradiderimus, quod libera in Deo non sit omnemque divinae voluntatis liberum actum antecedit, novissime autem exactius quam unquam antea *sub nomine scientiae mediae* eandem in hac nostra docuerimus *Concordia* [1588], nemo sane potest id nobis vitio vertere.»

- in Lusitania) professor theologiae († 1600) commentando in praelectionibus theologicis partem 1 S. th. S. Thomae, libertatem humanam cum divina praescientia, praedestinatione etc. conciliat per scientiam contingentium *condicionate futurorum*, quam postea (1588) in sua *Concordia* vocat *scientiam mediam*.
- 1573 B. Robertus Bellarminus *Lovanii* efficaciam gratiae per divinam praescientiam condicionatam explicavit, quam doctrinam Lessius ab eo didicit (v. *Schneemann* p. 171 s)¹.
- 1582 d. 20 Ian. (non a. 1581; v. *Astráin* p. 130) erumpit lis in Hispania: Salmanticae Prudentius de Montemayor S. J. in actu publico Christi in praecepto mortis implendo libertatem ita explicat, ut decretum Dei absolute praedeterminans neget. Quare a Dominico **Bannez** O. P., universitatis professore primario, haeresis accusatur.
- 1584 Bannez incipit edere sua *Scholastica commentaria* in 1 et 2, 2 S. Thomae, in quibus continetur *systema praedeterminationis physicae*².

¹ Circa hoc tempus multa, quae istum modum conciliationis praeparabant, iam aliquo modo divulgata fuisse videntur in magna parte Societatis Iesu, praecipue, ut videtur, opera Franc. Toleti, professoris collegii romani. — Hucusque Greg. de Valentia satis communiter habebatur «*Molinista ante Molinam*» dicebaturque a. 1584 Ingolstadii defendisse scientiam mediam. Hoc posterius omnino falso dici, de cetero autem quaestionem, quid Valentia ante editionem Concordiae Molinae docuerit, esse satis complicatam ostendit W. Hentrich S. J., *Gregor von Valencia und der Molinismus* (Innsbruck 1928). Gregorius Salmanticae a magistris suis ex Ordine Praedicatorum didicerat Deum libera condicionate futura nonnisi summa cum probabilitate cognoscere; hanc sententiam amplexo necessarium fundamentum Molinismi deerat. Sed iam ante editam Concordiam praedeterminationem physicam similesque doctrinas acerrime impugnavit. Ipse autem novo modo gratiam efficacem cum libero arbitrio conciliare tentavit (v. n. 521 not.). Postquam Molinae Concordiam cognovit, doctrinam scientiae mediae ad excolendum suum systema assumpsit atque in Congregationibus de Auxiliis strenuus defensor Molinae evasit (cf. n. 244).

² Haec doctrina non est prorsus nova. Thomas Bradwardine († 1349), *De causa Dei contra Pelagium*, eam satis clare habet, sed etiam necessitatem antecedentem admittit. Ex eius *discipulis* saeculi XIV et XV quidam, praedeterminationem physicam admittentes, tamen libertatem a necessitate salvare voluerunt. Portalié, *Augustinisme*, DdTh I, 2538 (cf. 2493) affert Stephanum de Calvo Monte et Guilelmum de Fonte Frigido e fine saec. XIV, quorum doctrina, bañezianae simillima, ab aliis huius temporis theologis strenue impugnata est. Bañez alique auctores saeculi XVI istos veteres non videntur cognovisse. — Ceterum praedeterminatio physica radices quasdam in doctrina Scoti habere et a veteribus Scotistis iam quadamtenus exculata esse videtur.

- 1585 Leonardus Lessius (Leys) S. J. *Lovaniï* praedestinationem et gratiam efficacem ope scientiae mediae explicat.
- 1587 Universitates Lovaniensis (Baius, Iansonius) et Duacensis (Estius) 34 propositiones Lessii censurant.
- 1588 imprimitur *Olisipone* Molinae *Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione Concordia*, qui liber
- 1589 rite approbatus editur.
- 1592 Molina Conchae edit *Commentaria in primam partem D. Thomae*.
- 1594 Molina coram *Inquisitione hispanica* scripto se defendit nec condemnatur. — Vallisoleti d. 5 Martii Antonius de Padilla S. J. in actu publico quasdam theses Molinae defendit; inter arguentes erat *Didacus Alvarez* O. P. Exorta est lis vehementissima, donec Clemens VIII utrique parti silentium imponeret.
- 1595 *Concordiae editio antverpiensis*, in qua quaedam ommissa et quaedam ad solvendas exceptiones interim factas addita sunt¹.
- 1597 Bannez a Summo Pontifice petit, ut Dominicanis liceat de hac materia disserere.
- 1598 Bellarmino auctore Papa et Praedicatoribus et Iesuitis permittit, ut in praelectionibus et disputationibus scholasticis de his quaestionibus tractent; in sermonibus vero coram populo habitis easdem sileant.

575. 2. Inquisitiones et disputationes romanae.

Romae « **Commissio** » ad examen librorum Molinae constituta, cuius secretarius fuit *Gregorius Nunnez Coronel* O. S. Aug., d. 13 Martii 61 *propositiones damnandas* esse censet. Multis scriptis ex Hispania accersitis et secundo examine perfunctorie instituto Commissio mense Novembri et

1599 d. 12 Martii iudicavit « persistendum esse in censura ». — Iam d. 1 Ian. Clemens VIII superioribus generalibus *Hippolyto Beccaria* O. P. et *Claudio Aquaviva* S. J. annuntiaverat **disputationes coram cardinali Madruzzo**, inquisitore gene-

¹ De variis editionibus Concordiae v. Liv. de Meyer, Hist. de Aux. l. 2 cap. 5.

rali, habendas. Hisce d. 22 Febr. coeptis adduntur cardinales Bernerius de Ascoli O. P. et Bellarminus S. J. (d. 5 Martii creatus cardinalis). Utraque pars consentit de 7 propositionibus, quibus *factum* gratiae infallibiliter efficacis enuntiatur; sed de *modo explicandi* per annum frustra disputatum est, maxime per Didacum Alvarez et Raphaellem de Ripa ex O. P. atque Petrum de Arrúbal et Christophorum de los Cobos e S. J.

1600 *Madruzzo* moritur d. 20 Apr., annos 88 natus. — *Molina* d. 12 Oct. Matriti obiit. — Prior Commissio, revisa sua priore censura, d. 31 Aug. *propositiones damnandas ad 20 reducit*.

1601 de his 20 propositionibus per scripta disputatur. D. 31 Aug. Commissio iudicium tulit esse «persistendum in censura», dissentientibus iterum duobus membris *Piombino* et *Bovio*. — D. 5 Dec. *Coronel* censuram cum multis scriptis Pontifici tradit. — Compluti (*Alcalá*) mense Iulio per doctorem *Gasp. Hurtado* et iterum

1602 d. 7 Martii per *Iesuitas* in actu publico defensa est thesis: «Non est de fide talem hominem (v. g. Clementem VIII) esse S. Pontificem.» Quae thesis falso intellecta movet indignationem Papae et postulante Nuntio Apostolico ab Inquisitione hispanica 4 Iesuitae complutenses, inter quos *Gabr. Vazquez*, in carcerem mittuntur. — D. 31 Ian. **Clemens VIII** mandat praepositis generalibus amborum ordinum, ut *coram se* fiant disputationes. — D. 20 Martii habetur prima harum «**Congregationum de Auxiliis**». — Bellarminus ingenua epistula Pontificem monet, ne hoc modo procedat; quare ut Roma removeatur, mense Aprili promovetur ad *archiepiscopatum capuanum*. — In disputationibus maxime examinatur, quomodo Concordia Molinae se habeat ad doctrinas Augustini, Pelagianorum, Semipelagianorum, Thomae, Tridentini. — Principalis Molinae impugnator est Thomas de Lemos, defensor Gregorius de Valentia, qui d. 20 Sept. viribus destituitur et

1603 d. 25 Apr. Neapoli moritur (cf. n. 244 not.) Successit Petrus de Arrúbal, et postquam is quoque m. Iunio aegrotare coepit, Ferdinandus de la Bastida primas in defensione Molinae partes habet.

1604 per totum annum pergitur in disputando. — D. 21 Oct. obiit Bannez. — Franciscus Suarez, propter quaestionem confessionis per litteras faciendae (v. Dz 1088 s) Romae

degens, suo consilio Bastidam adiuvat. — Clemens VIII, fere paratus ad damnationem Molinae, ob monita cardinalis galli Dav. Duperron anceps haeret et

1605 d. 5 Martii absolutis 68 sessionibus Congregationum de Auxiliis obit. Post brevissimum pontificatum *Leonis XI* eligitur m. Maio **Paulus V**, quo regnante 17 sessiones fiunt, in quibus etiam de doctrina banneziana examen instituitur.

1606 Pontifex *vota consultorum* exquirat, qui fusissime respondent. Plurimi persistunt in sententia damnatoria, quam iam in prima Commissione postulaverant. Sed Ioannes Ant. Bovio, episcopus melphictensis (*Molfetta*) Molinae valde patrocinator.

1607 d. 28 Aug. novem cardinales a Pontifice interrogati, vota valde diversa dant; inter quos *Bellarminus* et *Duperron* prorsus in favorem Molinae suffragium ferunt. Paulus V decidit *rem esse differendam*, cum Dominicani a Calvinistis, Iesuitae a Pelagianis satis recedant (v. *Schneemann* p. 287 ss). — D. 5 Sept. ambobus generalibus Pontifex hanc decisionem communicat. Vetat adversarios censura notare, optat, ut verbis asperioribus invicem absterneant (Dz 1090).

576. 3. Quaedam principaliora post decisionem Pauli V.

1610 Lessius Antverpiae edit opuscula *De gratia efficaci, De praedestinatione et reprobatione* etc., in quibus purum Molinismum cum praedestinatione ad gloriam post praevisa merita defendit. — Eodem anno Did. Alvarez Romae edit *De auxiliis divinae gratiae et humani arbitrii viribus et libertate ac legitima eius cum efficacia eorundem auxiliorum concordia*. — Propter novas lites praesertim in *Hispania* ortas S. Officium d. 1 Dec. *vetat, ne quidquam* de auxiliis gratiae sine venia Apostolicae Sedis *publicetur*; quae prohibitio a. 1625 et 1641 ab *Urbano VIII*, 1654 ab *Innocentio X* confirmata est, sed paulo post in desuetudinem abiit (v. Dz 1090 not. 3).

1613 d. 14 Dec. decretum Claudii Aquavivae de gratia efficaci (de quo v. n. 657).

1616 d. 7 Iunii Mutius Vitelleschi, novus praepositus generalis S. J., ex mandato *Congregationis generalis S. J. 7 explicat hoc decretum* (quod a. 1651 a Fr. Piccolomini denuo inculcatur; v. n. 658).

- 1644 *Capitulum generale O. P.* et 1646 *Congregatio generalis S. J.* 8, Decr. 12 (Institutum S. J. II [ed. Florent. 1893] 347) monent, ut mutuus inter ambos ordines amor foveatur atque ab omni caritatis laesione quam cautissime abstinenceatur.
- 1651 Lugduni operis Francisci Suarez († 1617) *De gratia vol. 2*, quod a. 1619 propter prohibitionem S. Officii cum vol. 1 et 3 edi non poterat, invita Societate Jesu editur ex manuscriptis defuncti *Ferdinandi de la Bastida*, qui e Societate dimissus fuerat; eodem modo a. 1655 Lugduni prodit Suarezii opusculum *De vera intellegentia auxilii efficaci*.
- 1654 Innocentius X declarat actis manuscriptis Congregationum de Auxiliis, quae sub nomine Pegnae, Lemos etc. circumferantur, et assertae Constitutioni Pauli V *nullam fidem esse adhibendam* (Dz 1097).
- 1655 (Lugduni) Gabriel de Henao S. J., *Scientia media historice propugnata*; 1674 (Lugduni) eiusdem *Scientia media theologice defensata*.
- 1676 (Leodii) Thomas de Lemos O. P. († 1629), *Panoplia gratiae*. — Versus finem saeculi in Gallia controversiae inter Natalem Alexandrum (*Noël Alexandre*) O. P. et Gabrielem Daniel S. J.
- 1694 Innocentius XII, ut exactior harum profundiorum quaestionum tractatio in praesens ab Apostolica Sede habeatur, iudicat *inopportunum* (Dz 1097 not.).
- 1700 (Lovanii) Aug. Le Blanc [= Iac. Hyac. Serry O. P.], *Historia Congregationum de Auxiliis*.
- 1705 (Antwerpiae) Theod. Eleutherius [= Livinus de Meyer S. J.], *Historia Controversiarum de divinae gratiae auxiliis*.
- 1706 (Antwerpiae) Ant. Reginaldus O. P., *De mente S. Concilii Tridentini circa gratiam se ipsa efficacem*.
- 1707—09 (Antwerpiae et Bruxellis) Liberius Gratianus [= Liv. de Meyer], *De mente Conc. Tridentini circa gratiam physice praedeterminantem*.
- 1718 Clemens XI Thomistarum ab Iansenistis discrimen agnoscit (Dz 1097 not.).
- 1724 et 1727 Benedictus XIII O. P. doctrinam sui ordinis tuetur et laudat (ibid.).

1733 **Clemens XII** decreta Pauli V, Clementis XI et Benedicti XIII confirmat (Dz 1097 not.; *Institutum S. J.* I [ed. Flörent. 1892] p. 244 s).

1748 Benedictus XIV *tria systemata*, Thomismum, Molinismum, Augustinianismum, tamquam catholicis permissa agnoscit (Dz 1090 not. 3).

1746—51 (Leodii) Carolus Renuart O. P., *Summa S. Thomae hodiernis academiæ moribus accommodata*, systema bannezanum satis mitigatum proponit (idem scripserat 1720 *Le Thomisme vengé*; 1731 *Le Thomisme triomphant*).

Sæculis XVII et XVIII exulta sunt systemata praedeterminationis moralis (*Arauxo*, *Gonzalez de Albelda* et alii O. P.; card. *Noris* cum aliis Augustinensibus), condeterminationis (*Mastrius* cum Scotistis), sorbonico-alfonsianum.

577. 4. Reviviscentia litis inde a medio saeculo XIX.

1858—61 (Soest) H. E. Plassmann, *Die Schule des hl. Thomas* (thom.).

1867 (Mainz) Const.v. Schüzler, *Neue Untersuchungen über das Dogma von der Gnade* 87—228 (thom.).

1873 Ign. Jeiler O. F. M., *Zur Verständigung über die thom. Lehre von der praemotio physica*: Kath 1873 II 129—149 (thom.).

1877 ss Molinistae M. Limbourg S. J. et G. Schneemann S. J. in ZkTh.

1879—81 Gerh. Schneemann S. J., *Die Entstehung und weitere Entwicklung der thom.-mol. Controverse*: StML Ergänzungsheft 9 13 14; versio latina a Gerh. Gietmann S. J. confecta: *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus* (Friburgi Brisg. 1881).

1883 (Paris) Théod. de Régnon S. J., *Bannes et Molina*; idem a. 1890 (Paris) *Bannésianisme et Molinisme*. Controversiam habuit cum Hippol. Gayraud O. P., qui scripsit: *Thomisme et Molinisme* (1889); *Providence et libre arbitre selon s. Thomas d'Aquin* (1892); a. autem 1893 relicto ordine Praedicatorum sententiam mutavit, propugnans S. Thomam solam praemotionem, non praedeterminationem physicam docuisse.

- 1884—85 (Regensburg) Ceslaus M. Schneider, *Das Wissen Gottes nach der Lehre des hl. Thomas* (thom.).
- 1885 (Romae) Jos. card. Pecci, *Sentenza di S. Tommaso circa l'influsso divino e la scienza media* (novum systema sine scientia media et sine praedeterminatione physica).
- 1886 (Parisiis) A. M. Dummermuth O. P., *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae, seu Responsio ad R. P. Schneemann S. J. aliosque doctrinae scholae thomisticae impugnatores*.
- 1893 (Parisiis) Victor Frins S. J., *S. Thomae Aq. O. P. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata praesertim libera, seu S. Thomas praedeterminationis physicae ad omnem actionem creatam adversarius. Responsio ad R. P. A. M. Dummermuth O. P.*
- 1895 (Lovanii) A. M. Dummermuth O. P., *Defensio doctrinae S. Thomae Aq. de praemotione physica seu Responsio ad R. P. V. Frins S. J.*
- 1896 V. Frins breviter respondit in ZkTh 20, 626—669.
- 1895 s Henr. Guillermin O. P., *S. Thomas et le Prédéterminisme* (RevThom 3 s) mitigatum Thomismum profitetur.
- 1905 (Graecii) Ioannes Ude, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanae secundum principia Thomismi et Molinismi collata* (thom.).
- 1907 (Friburgi Helv.) Norbertus del Prado O. P., *De gratia et libero arbitrio* (3 volumina).
- 1911 (Graecii) Ant. Wagner, *Doctrina de gratia sufficiente* (syncret.).
- 1916 (Paris) Rég. Garrigou-Lagrange O. P., *Dieu*; exinde diuturna controversia cum Adhémar d'Alès S. J., maxime in RechScRel, RevThom, Revue de Philosophie (cf. Scholastik 1 [1926] 618; 2 [1927] 616 s).
- 1918 ss Ioannes Stufler S. J. scripsit multas de hisce quaestionibus commentationes in ZkTh, praesertim 44 (1920) 177 ss 321 ss 447 ss: *Num S. Thomas praedeterminationem physicam docuerit*.
- 1923 (Oeniponte) I. Stufler S. J., *D. Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante in omni operatione naturae creatae praesertim liberi arbitrii* (S. Thomas nullum concursum immediatum, neque naturalem neque supernaturalem, do-

- cet). — Contra Stufler scripserunt Reg. M. Schultes O. P. (Theol. Revue 20 [1921] 266 ss; Divus Thomas 1923, 123—145; 1924, 176—195 277—307 [etiam separatim editum]); Gregor v. Holtum O. S. B. (Divus Thomas 1922, 188—206); Franc. Zigon (Divus Thomas 1924, 24—34); G. Huarte S. J. (Gregorianum 6 [1925] 81—114); R. M. Martin O. P. in RevThom 1924—26; cf. etiam recensioni operis I. Stufler: H. Lange S. J. (Theol. Revue 23 [1924] 345—352); B. Geyer (Philos. Jahrbuch 37 [1924] 338—359; porro J. Stufler, Ergebnis der Kontroverse über die thom. Konkurslehre (ZkTh 51 [1927] 329—369); Scholastik 2 [1927] 617 s.
- 1923 (Goritiae) Franc. Zigon, *Divus Thomas arbiter controversiae de concursu divino* (S. Thomas valde adversatur praedeterminationi actuum liberorum neque concursum simultaneum docet).
- 1925 s Franc. Marín-Sola O. P. Bannezianismum acriter impugnat (La Ciencia Tomista 32 [1925] 5—54; 33 [1926] 5—74 321—397); cf. Scholastik 1 (1926) 533—565.

Thesis 22. Efficacia gratiae nequit explicari per praedeterminationem physicam, praesertim quod sic non satis servatur vera sufficientia gratiae pure sufficientis neque vera libertas arbitrii gratia efficaci moti.

578. P pr. 19 s. — Palm. th. 49—53. — Mazz. n. 600—628. — Lah. n. 212; th. 35. — Schiff. 242—251. — Ber. n. 462—468 523—564. — *Diekamp* II³ 2 § 17. — *Limbourg*, Selbstzeichnung der thom. Gnadenlehre; Die zureichende Gnade im Thomismus (ZkTh 1 [1877] 161 ss 497 ss); Gnade und Freiheit (ibid. 3 [1879] 98 ss).

St. qu. 1. Nexus (cf. n. 539). *Omnnes catholici* in explicanda gratiae efficacia debent voluntque servare: a) gratiam vere et pure sufficientem atque libertatem arbitrii etiam sub influxu gratiae efficacis constituti (th. 20); b) differentiam gratiae iam in actu primo infallibiliter efficacis a pure sufficiente (th. 21). Examinamus th. 22—24, an et quomodo *varia systemata* catholica haec servanda revera servent, incipiendo hac thesi a systemate *thomistico* (sensu presso) sive accuratius *banneziano*. Contendimus illud contra veritates th. 20 offendere.

579. 2. **Sensus** et 3. **adversarii**. Efficacia gratiae, qualis *existere* probata est th. 21, i. e. efficacia *actualis* sive *connexionis*, non mere virtutis, sed prout gratiae in actu primo

consideratae iam est propria, aliis verbis: *infallibilis nexus* talis gratiae cum actu salutari (v. n. 554) explicari debet, idque ita, ut plene servetur a) *vera sufficientia* eius gratiae, quam voluntas mala reicit; b) *vera libertas* respectu gratiae efficacis; quare voluntas ei consentiens veram et expeditam potentiam eligendi dissensum habeat oportet (v. n. 540). — Quoniam fontes gratiam efficacem adeo clare exhibent ut in actu primo iam infallibiliter effecturam actum salutarem (th. 21), per se propinqua est explicatio huius infallibilis efficaciae per internam quandam indolem talis gratiae. Hac via reapse complura systemata procedunt, quorum celeberrimum vocatur a propriis asseclis *thomisticum*, ab adversariis potius *bannezanum*¹. Excultum est versus finem saeculi XVI a Dominico Bannez, Didaco Alvarez, Thoma de Lemos aliisque ex ordine Praedicatorum, asseriturque esse genuina expositio mentis *S. Augustini* et *S. Thomae*. Efficaciam gratiae explicat per praedeterminationem physicam². Summa rei est haec:

580. a) Deus est primum *ens*, *prima causa*, primum *movens*. Hinc omnes creaturae a Deo accipiunt suum *esse*, suam *virtutem* agendi et, applicatione huius virtutis, suam *actionem*. Aliis verbis: a Deo habent, ut sint, ut possint agere, ut agant. Ista *applicatio* virtutis non est concursus simultaneus, quo Deus *simul* cum causa secunda *in effectum* influit, sed concursus praevius, quo *in causam* secundam *natura prius* quam in effectum agit eamque, sicut artifex suum *instrumentum*, movet et applicat ad effectum producendum. Idem valet quoad causas *liberas*. Quae quidem ipsae ad agendum se determinant, sed non nisi natura prius praemotae a Deo. Itaque creatura, iamiam proxime expedita ad agendum, nihilominus ut reapse e potentia sive ex actu primo proximo prodeat in actum secundum, metaphysica necessitate indiget aliqua motione divina, quae vocatur praemotio seu praedeterminatio physica.

¹ J. B. Raus C. SS. R., *La Doctrine de S. Alphonse sur la Vocation et la Grâce* (Lyon 1926) 82s recte notat nomen Thomismi potius esse *genericum* et complecti alias quoque scholas theologicas, quae S. Thomam ducem magistrumque sibi elegerint; quare Thomismum generice sumptum dividi in Thomismum *bannezanum*, qui per excellentiam Thomismus vocari soleat, *molinisticum*, *suaresianum*, *alfonsianum* etc. (v. Scholastik 2 [1927] 96s). — De Praebañezianismo v. n. 574 p. 447 not. 2.

² Hoc systema verbis ipsorum Thomistarum exhibitum invenies apud P 229—231 243—248; *Limbourg* l. c.; *Schneemann* (lat.) p. 203 ss.

Est motio, quia Deus per eam movet creaturam ad agendum; praemotio, quia, licet non tempore, tamen *natura*, scil. *ordine dependentiae et causalitatis efficientis*, prior est quam actus secundus sive ipsum activitatis exercitium ex parte creaturae; physica, non *moralis*, quia non movet *obiective*, mediante *cognitione*, quae voluntati rationem boni proponit, neque inspirando voluntati *affectionem indeliberatam*, quae ad liberum consensum *allicit*, sed *subiective* et tamquam *causa physica* in facultatem quiescentem influit atque eandem hoc influxu physico applicat ad eliciendum actum. Recte etiam vocatur praedeterminatio, quia *non vage et indifferenter* impellit ad hoc vel illud faciendum, sed unice movet ad illum *actum omnino determinatum*, ad quem Deus creaturam movere decrevit. Ita res se habere dicitur non solum, quando creatura necessario agit, i. e. quando ex sese ad unum effectum determinata est, sed etiam, quando libere suum actum elicit, i. e. quando ad plures effectus *indifferens* est et ad unum *se ipsa determinat*. Nam non aliter sese ad unum determinare dicitur, nisi postquam et prout a Deo praedeterminata est. Praedeterminatione divina non concessa *metaphysice repugnat* creaturam ad actum procedere; stante vero eadem praedeterminatione metaphysice repugnat non poni vel aliter, quam praedeterminatur, poni actum. — Distinguunt praedeterminationem extrinsecam (formalem, idealem), quae potius vocatur *praedestinatio* et *praedefinitio* estque aeternum Dei decretum, quo absolute et antecedenter ad omnem praeviam cooperationem determinatum actum a creatura positum iri Deus ab aeterno statuit (de qua plura dicentur n. 646 ss), et intrinsecam (causalem, realem), de qua sola nunc agitur. Haec est *quasi instrumentum*, quo Deus omnipotens suum decretum aeternum in tempore infallibiliter et indeclinabiliter *exsequitur*, consistitque in creata entitate, a solo Deo in virtute activa creaturae producta, per quam ad actum secundum physice et efficaciter praemovetur (cf. n. 519).

581. b) Hanc doctrinam concursus praevii et praedeterminantis in omnibus omnium creaturarum operationibus insigniores Thomistae ultimorum saeculorum fere omnes tamquam *philosophice certam* vel *saltem probabiliores* statuunt; nonnulli tamen praedeterminationem ad actus *inhonestos* reiciunt (v. P 268). In quaestione autem *theologica* gratiae efficaciæ omnes Banneziani gratiam physice praedeterminantem non solum ut naturaliter certam vel probabiliores, sed ut *conclusio-*

nem theologicam certissimam et proxime definibilem habent. Dicunt igitur (cf. n. 516): Duplex ad actum salutarem requiritur auxiliū gratiae. Prius, quod est minus validum et perfectum, animam ad actus quosdam *indeliberatos* praedeterminat atque sic ad actum deliberatum *excitat*, conferendo veram *potentiam* salutariter agendi; dat *posse*, non *agere*, vocaturque gratia excitans sive sufficiens. Alterum auxiliū ad prius accedens est perfectius et validius *adiuvatque* voluntatem ad actum *salutarem* eo, quod physice ad eundem actum libere eliciendum praedeterminat; dat ipsum *agere*, et quidem infallibiliter et indeclinabiliter. Haec est gratia adiuvens et efficax. Quare secundum hos Thomistas gratia efficax a sufficiente distinguitur α) interne, non externe tantum sicut gratia *molinistice* efficax; β) absolute, non relative tantum ad praesentes hominis affectiones sicut gratia victrix *Augustinensium*; γ) essentialiter sive specificè, non intensive et gradualiter tantum, sicut eadem gratia magna *Augustinensium* a parva discriminatur. In systemate banneziano absolute repugnat cum eodem gratiae auxilio unum converti, alterum non converti; nam istud auxiliū *aut* continet praedeterminationem ad consensum salutarem, et uterque convertitur, *aut* non continet, et uterque gratiae resistit. Thomistae longe plurimi hoc systema, quatenus non ex solis fontibus positivis, sed ex summis metaphysicae de relatione inter causam primam et secundam principiis id deducunt, *pro omni ordine salutis*, etiam *supralapsario* et *angelico* valere affirmant. Inveniuntur tamen etiam inter Thomistas Infralapsarii (cf. n. 556 c).

582. c) Non omnes unum dant responsum ad quaestionem, quomodo se habeat gratia efficax ad potentiam salutariter agendi et ad ipsum actum salutarem. *Bannez* enim et qui eum audacter sequuntur, gratiam efficacem *potentiam complere* et proinde *ad actum primum* pertinere non verentur asserere. Sic potentia per solam gratiam sufficientem nondum redderetur plene et proxime ad agendum expedita. Multi vero *alii*, gravissimis oppressi difficultatibus, hoc utuntur effugio: Quoniam per gratiam sufficientem potentia constituitur prorsus completa et proxima, gratia efficax non pertinet ad actum primum, sed potius *ad actum secundum*. Tamen si systemati constare et sine scientia media aliquid explicare volunt, debent dicere et dicunt: Gratia efficax, quae ad actum salutarem physice praedeterminat, est reale aliquid *in potentia* liberi arbitrii *receptum*, a solo Deo causatum, *ordine naturae et causalitatis effi-*

cientis operationem liberæ voluntatis *præcedens*, eidem trans-eun-ter impressum conferensque, ut de potentia in actum reduca-tur. Ergo, licet non sit aliquid potentia, tamen nequaquam est actus secundus, sed potius quoddam *medium* inter potentiam et actum, quod afficit potentiam in ordine causæ formalis, ad actum vero refertur in ordine causæ efficientis (cf. *Ber.* 526).

583. De hoc systemate iudicium ferentes dicimus: a) Fa-cile et evidenter explicat triplicem infallibilitatem gratiæ efficaciæ (v. n. 554). Deus iis, quos absolute vult ad salu-tem convertere, ab æterno decernit et in tempore dat *ex spe-ciali prædilectione* prædeterminationes physicas ad actus salu-tares, cum aliis sola auxilia sufficientia concedat et gratias ad actus salutare prædeterminantes deneget. Quoniam ex interna natura talis auxilii in actu primo *objective certus* est nexus infallibilis eiusdem cum actu salutari, Deus sine omni scientia media *in solis suis decretis* conferendi eiusmodi auxilia *infalli-biliter cognoscit* actus salutare reapse esse secuturos. Quare *thesi 21* per systema bannezanum apprime satisfacit; sed quæ-stio est, num aliis quoque veritatibus satisfaciat, quas fides et sana ratio docent, maxime iis, quas *thesi 20* contra hæreticos stabilivimus. — b) Circa præmotionem physicam multa adversariis ultro concedimus: Deus multipliciter nos præ-movet, etiam ad actus liberos honestos (de actibus malis quid valeat, possumus hic omittere): *α) Creavit et conservat* volun-tatem. *β) Eidem* indidit determinatam directionem sive mo-tum, nempe *appetitum innatum in bonum universale* sive in beatitudinem. *γ) Providentia* Deus regit causas secundas, qui-bus ex hoc regimine *indeliberatae cogitationes et appetitiones* boni excitantur; insuper cum his actibus vitalibus physice *con-currat* atque ita præparat ipsam liberam electionem; nam Deo sic disponente et operante voluntas *ponitur in actu primo pro-ximo* ad exercitium suæ libertatis. *δ) Primum conditionate intendens* actum bonum, porro *praesciens*, in quibus circum-stantiis et cum quibus auxiliis voluntas creata libere electura sit eundem actum, et in luce huius præscientiæ *absolute decer-nens* adducere istas circumstantias et ista auxilia, Deus iam ante omnem liberam electionem creaturæ absolute prævisam *pro suo gratuito beneplacito primus determinat*, qui actus boni aliquando revera futuri sint (cf. n. 642). — c) Quare vero ali-quò sensu concedere possumus etiam prædeterminatio-nem quandam actuum honorum. Nam Deus *α) voluntatem* in actu primo proximo ad liberam electionem constituendo, *ex*

indifferentia passiva in activam eam transfert; β) moraliter allicit determinate ad bonum; γ) electione unius ordinis prae aliis possibilibus Deus primus determinat hunc actum bonum absolute futurum esse prae aliis actibus possibilibus et conditionate futuris. Hanc praedeterminationem divinam vocare physicam eatenus licet, quatenus ad ea, quae actum liberum remote vel proxime praeparant, Deus physice operatur et cooperatur. — d) Multo magis et excellentius haec omnia valent in ordine gratiae, in quo solus Deus permanentes potentias supernaturales producit et conservat, per eandem hominem habitualiter in bonum salutare inclinatur, indeliberatas cognitiones et affectiones, quas per providentiam ordinis supernaturalis adducit, per concursum specialem reddit entitative supernaturales, et per has immediatas illustrationes et inspirationes gratiae excitantis sive praevenientis voluntatem ad actum salutarem non solum moraliter sollicitat et confortat, sed etiam physice elevat et sic proxime potentem reddit (cf. P 260 265 s).

584. Hisce concessis negamus praedeterminationem physicam modo banneziano conceptam circa liberos creaturarum actus haberi et per eiusmodi indolem gratiae eius efficaciam recte explicari; idque praesertim, non exclusis aliis rationibus valde urgentibus (v. g. tollitur voluntas salvifica universalis, deletur spes christiana, efficitur Deus auctor peccati; v. P II pr. 38 s; Ber. 556—559), quod sic non satis servatur — servatur quidem quoad verba et quoad sinceram adversariorum intentionem servandi omnia, quae Ecclesia docet; sed nostro iudicio non servatur quoad rem, quia ea statuuntur, e quibus contraria logice sequuntur — vera sufficientia gratiae pure sufficientis et vera libertas arbitrii gratia efficaci moti, prout haec duo th. 20 e fontibus probavimus et Ecclesia contra haereticos, Protestantas et Iansenistas, tutatur.

585. Nobiscum adversantur praedeterminationi physicae omnes Molinistae, Congruistae, Augustiniani, plerique Syncretistae necnon sat multi Dominicani, qui praedeterminationem moralem statuunt vel etiam physicam acriter impugnant ut Georgius Franc. Albertini († 1810). Nobis persuasum est etiam S. Thomam reicere praedeterminationem physicam actuum liberorum (v. schol. 2 n. 600 ss).

4. Qualificatio. Thesis nobis videtur certa, sed censuram theologicam non damus (cf. Dz 1090).

586. *Prob. A. Destruitur gratia vere sufficiens.*

I. Quae fontes de gratia vere sufficiente affirmant, in explicatione banneziana non retinent sanum sensum. — 1. *Ecclesia nullo modo insinuat* praeter eam gratiam, quae vires sufficientes ad salutariter agendum confert, requiri *novam et distinctam gratiam*, quae ad ipsum actum determinet. Econtra *Ecclesia satis clare enuntiat* post collatam gratiam sufficientem iam nihil deesse ad actum salutarem nisi liberum consensum hominis, et saltem *insinuat non esse vere sufficientem* eam gratiam, quae, ut actus reapse fiat, aliud quid requirat. — Arausicanum in fine (Dz 200) et Valentinum can. 2 (Dz 321) v. n. 542. — **Tridentinum** s. 6 cap. 11 (Dz 804): «*Deus impossibilia non iubet*, sed iubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adiuvat, ut possis.» Hinc iustificatus, qui mandata non observat, est inexcusabilis, quia *aut* non fecit ea bona opera, quae *immediate* potuit actu facere, ad quae actu facienda proinde habuit gratiam necessariam, *aut* quia culpabiliter *omisit orationem*, qua sibi compararet gratiam ad implenda mandata requisitam, in quo casu saltem actum orationis salutaris potuit coniungere cum ea gratia, quae per ipsius culpam mansit inefficax. Ratio Tridentini nihil valeret et Deus revera iuberet impossibilia, si homo per gratiam sufficientem haberet aliquam nudam «*potentiam*» salutariter agendi vel orandi, quacum sine ulteriore complemento, quod Deus saepe denegat, actum praeceptum coniungi iam antecederet ad electionem voluntatis liberae absolute repugnaret. Non aliter ageret Deus, acsi hominem *in tenebris* constitutum iuberet uti «*potentia*», quam habet, *videndi*. — Pergit concilium: «*Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit*, nisi ab iis prius deseratur.» Sed in systemate thomistico Deus prius deserit. Si enim iustus in peccatum grave labitur, hoc eo accidit, quod Deus post opera bona auxilio efficaci patrata nunc dedit eam gratiam, quacum actualis operatio pia coniungi non potuit, immo secundum omnes fere Thomistas eo, quod Deus iusto dedit praedeterminationem ad materiale peccati, a quo peccatum formale actu separari absolute repugnat. Quoniam totum hoc soli divino beneplacitotribuendum esset, revera Deus prius deseruisset. — 2. **Scriptura**. Is 5 (cf. n. 543): Deus omnia ad actualem fructificationem requisita vineae dedit, sane non eo fine, ut habeat *sterilem quandam «potentiam»* fructificandi, sed ut fructus actu producat. Adeo proxima et

expedita fuit haec potentia ferendi fructus, ut ex parte Dei iam nihil amplius addendum fuerit et ipse fructus actuales iure exspectaverit. Si verum esset systema bannezanum, Deo interroganti: « Quid est, quod debui *ultra facere?* », iure responderetur: « Praeter nudam fructificandi potentiam, quae est talis naturae, ut actus fructificandi cum ea sola absolute non possit coniungi, debuisti dare *determinationem ad actualem fructificationem*. Secus noli quidquam aliud quam *sterilem illam potentiam exspectare*. » — Mt 11, 21 s (cf. n. 544): Iansenistae et Augustinenses possunt tentare explicationem: Incolae *Corozain et Bethsaidae* tam male dispositi erant, ut gratia, quae ad *Tyriorum et Sidoniorum*, minus male dispositorum, pravam cupiditatem vincendam qua *relative maior* satis fuisset, econtra illorum perversitatem maiorem qua *relative minor* non superasset. Sed Banneziani, suo dum constant systemati, nullam possunt dare rationabilem explicationem. Nequaquam enim conversi essent Tyrii et Sidonii, si nihil aliud habuissent quam eas gratias, quibus Corozaitae et Bethsaiditae restiterunt. Nam gratiae, quibus resistitur, sunt *pure sufficientes*, et gratis thomistice pure sufficientibus *omnis voluntas creata metaphysica necessitate consensum denegat*. Ergo neque Tyrii et Sidonii per has gratias conversi essent neque egissent poenitentiam, nisi accepissent eam gratiam entitative et specificè distinctam, qua etiam Corozaitae et Bethsaiditae caruerunt. Christus autem dicit futurum fuisse, ut illi per eandem gratiam converterentur. Si *subintellexisset*: Conversi fuissent, quia *insuper accepissent efficacem praedeterminationem*, iam *irrationabiliter et iniuste* Corozain et Bethsaidam vituperaret; nam in hoc supposito istae civitates *minime comparari potuerunt* cum Tyro et Sidone. — Mt 23, 37 s: Supposito systemate banneziano Ierusalem respondere potest: « Nolui, quia determinationem ad actualem volitionem mihi denegasti, immo ad materiale nolitionis me determinasti. Quare non serio voluisti congregare filios meos; secus dedisses id, sine quo actualis congregatio repugnat. » — 3. Apud **Patres** talis explicatio inaudita est (cf. n. 546 ss). Augustinus, quidquid senior de sufficientia auxilii inefficacis sensit, saltem longe abest a metaphysicis Bannezianorum principiis. Illud *adiutorium sine quo non*, quod in proptoparentibus et in multis angelis fuit pure sufficiens, ex sententia Augustini omnino *potuit actu coniungi* cum perseverantia, et *in angelis bonis* revera *coniunctum est* nullo alio auxilio addito (ante confirmationem per gratiam patriae).

587. II. Ratio ostendit gratiam thomistice sufficientem non esse vere sufficientem et effugia Bannezianorum vana esse (v. *Limbourg* p. 498 ss).

1. Gratia, quae ad illum effectum, propter quem datur, *actu producendum* absolute requirit *novam gratiam* a se realiter et essentialiter *distinctam atque independentem*, ipsa ex sua natura est insufficientis ad eundem effectum obtinendum. Atqui talis est gratia thomistice sufficiens. — Gratia enim sufficiens non datur, ut homo ornatur aliqua «*potentia*» in actum non reducibili, sed ut *actus* salutaris revera ab ipso praestari possit. Nam *Deus hunc actum postulat* et, si non fit, *hominem punit*. Ergo gratia sufficiens debet sufficere, ut actus fiat.

588. Effugia: a) Vox «sufficiens» hic non sumitur sensu grammaticali (= possibile reddens τὸ agere), sed sensu speciali theologico (= dans τὸ posse). — Resp. *Potentia* non propter se ipsam datur, sed *propter actum*. Ea potentia, cui actus repugnat, non est potentia perfecta, completa et expedita. Vires dantur voluntati, non ut eas habeat, sed ut iis utatur; nam *Deus exigit* ab homine, non ut habeat vires sufficientes, sed ut his viribus actum eliciat. Quare «*potentia*» est inanis vox, nisi dat *possibilitatem* hoc sensu, ut actus fieri possit; vel saltem non est *completa* ea potentia, qua non potest actus fieri nisi *addito aliquo alio*. Si theologia talem potentiam vocaret «sufficientem», sensui communi illuderet. — b) Etiam gratia thomistice sufficiens dat aliquem actum, scilicet cogitationes et affectiones, actus indeliberatos et imperfectos. — Resp. Per hoc non est *sufficiens* nisi *ad istos actus imperfectos*. Talem gratiam «parvam» Iansenistae sincerius, sed haereticè vocant «*insufficientem*». Agitur enim de sufficientia ad actum vere salutarem. — c) Si cum *Bañez* potentia a gratia sufficiente collata per gratiam efficacem compleri dicitur, immediate habemus: Sola gratia sufficiens non dat plenam potentiam sive *non est plene sufficiens*. — Si *iuniores Thomistae* contendunt gratiam efficacem non ulterius complere potentiam, sed supponere iam potentiam per gratiam sufficientem omnino completam, quam in actum reducat, atque sic non ad actum primum, sed ad solum actum secundum spectare, dicimus: Thomistae, si suis constare principiis et ope eorundem triplicem infallibilitatem vere explicare intendunt, non possunt negare suam gratiam efficacem esse causam efficientem actus salutaris ideoque natura eundem praecedere. Atqui causa efficiens actus secundi necessario praerequisita, ut iste fiat, aliquo vero sensu *voluntatem reddit potentem* edere actum sive ei *dat aliquod posse* quam maxime necessarium, posse scilicet coniungere actum cum ea potentia, quae iam antea per gratiam sufficientem aderat. Haec igitur *prior potentia non est sufficiens* ad actum, sed absoluta necessitate *complenda* est. — d) Insufficientia gratiae thomistice sufficientis optime illustratur exemplis ab ipsis afferri solitis (v. P 238): *Panis* est sufficiens ad conservationem vitae per se, i. e. abstra-

hendo a comestione, digestionem etc.; *oculus* per se est sufficiens ad videndum sine lumine, *ignis* ad comburendum sine applicatione materiae, *architectus* ad aedificandum sine lignis et lapidibus, *sacerdos* ad consecrandum sine pane et vino. Ultra concedimus gratiam thomistice sufficientem *hoc sensu* dare «*potentiam in ordine suo completam*»; sed luce meridiana clarius est eiusmodi potentiam non sufficere ad hoc, ut homini omissio actus iuste imputari possit. Deus si homini, praedeterminatione physica ad actum salutarem denegata, omissionem actus imputaret, aequè *crudeliter et iniuste* ageret ac tyrannus, qui architectum puniret, quod, denegatis lignis et lapidibus, non utitur sua *potentia aedificandi*. — Immo in exemplis allatis *minus inepte* potentiam vocarem *completam et sufficientem*; nam potentiae qua tali sive qua causae efficienti nihil deest, sed deficit *sola materia, circa quam* agat. Data autem sola gratia thomistice sufficiente ipsi potentiae deest aliquod aliud principium operativum ad actum metaphysice necessarium. Haec potentia est aequè sufficiens ac potentia ambulandi, quam *pedes adeo debiles* conferunt, ut homo sine auxilio alterius *ne unum quidem gressum* possit facere. — Si etiam *omnis actus naturalis*, bonus et malus, requireret determinationem physicam, Deus hominem quasi catena firmissima alligaret ad materiale peccati et simul ipsi exprobraret, quod non liber et solutus ambulet in mandatis divinis. Ad imputabilitatem non sufficit *quaevīs «potentia»*, sed requiritur *possibilitas libere eligendi* inter positionem et omissionem actus.

589. 2. Ut ex hisce difficultatibus sese extricent, Alvarez, Graveson et maxime Billuart (v. P 231) dicunt: Deus gratiam efficacem dare paratus est eamque revera daret, nisi homo libere et propria culpa ac malitia resisteret gratiae sufficienti. — Auctores isti, si id dicendo resistantiam liberam intellexerent sensu vero et communi, *suum systema omnino relinquerent, nihil explicarent, peiora admitterent, quam quae Molinistis falso obiciunt*. Nam Deus, antequam decerneret gratiam efficacem, *liberam creaturae decisionem exspectaret* et ab eadem efficaciam gratiae *dependentem redderet*. At non videntur velle *positive* affirmare: Voluntas revera potest sola gratia sufficiente actualiter bene uti et sic sibi comparare gratiam efficacem. Sed solum *in hypothesi* loquuntur, quae in eorum systemate sane est *irrealis*. Nam voluntas *infallibiliter resistit* gratiae sufficienti atque semper impedit, quominus recipiat gratiam efficacem (v. verba *De Lemos* apud *Ber.* n. 537). Explicandum esset, quo pacto ista resistantia, quae *metaphysica necessitate* semper habetur, nisi Deus gratia praedeterminante eam frangat, libera et imputabilis esse possit. Secundum Iansenium resistantia, quae gratiae *parvae* infallibiliter opponitur, *in se* non est libera a necessitate, sed tantummodo eatenus est libera et im-

putabilis *in causa*, quatenus omnes *in Adamo* libere abiecerunt immunitatem a concupiscentia et consequenter libere sibi imposuerunt necessitatem, ut per concupiscentiam relative maiorem exstinguerent gratiam parvam. Haec conceptio seque- larum peccati originalis est *intolerabiliter dura* et ab Ecclesia damnata ut *haeretica*. At conceptio bannezziana videtur esse *intolerabilior*. « Libertas » non resistendi consistit in possessione alicuius « potentiae », cui antecederet metaphysice repugnat actus. Nam salutaris usus gratiae thomistice sufficientis *metaphysica necessitate antecedente excluditur*, nisi Deus *gratis* addat gratiam efficacem. Voluntas suo peccato infallibiliter impedit collationem gratiae efficacis, nisi haec gratia nihilominus data peccatum resistantiae praevertat. Tandem aliquando illud « *peccatum* », propter quod homo sibi, non Deo, denegationem gratiae efficacis tribuere debeat, nihil est aliud, nisi quod *homo non est prima causa et summum bonum*, sed est creatura, quae habet voluntatem *defectibilem* atque *infallibiliter deficientem*, nisi a Deo efficaciter ad bonum praedeterminetur. Nam in systemate bannezziano sibi constante *ne ad peccatum originale quidem recurrere licet*, quia ex summis *principiis pure metaphysicis* et in omni ordine validis derivari dicitur (ceterum in semel iustificatis peccatum originale deletum est nec reviviscit). Ergo « culpa voluntatis creatae », ex qua gratia thomistice sufficiens effectu salutari carere asseritur, revera non potest esse culpa moralis, sed est defectus omni creaturae metaphysice necessarius, proinde minus imputabilis quam omissio visionis physice necessaria homini, qui absque sua culpa in tenebris densissimis constituitur sine omni possibilitate lucem sibi comparandi. Quis hanc omissionem imputaret homini ex eo, quod per oculos sanos habeat « potentiam videndi vere sufficientem » et quod luce solis omnibus parata non utatur?

590. Ad solvendas difficultates vel rectius repugnantias, quae ex ipsorum systemate a sana ratione deducuntur, hodierni Thomistae cum quadam praedilectione confugiunt ad mutuam prioritatem causarum in diverso genere causalitatis (cf. n. 345). Sic etiam Garrigou-Lagrange, *Dieu* (3^{me} éd. [Paris 1920] 688 ss) eiusmodi mutuam causalitatem intercedere dicit quoad *gratiae sufficientis* ex parte hominis *reiectionem* et *gratiae efficacis* ex parte Dei *denegationem*. Peccaminosa reiectio, quae ex humana fit defectibilitate, praecedit et causat denegationem gratiae efficacis in ordine causae materialis et dispositivae. Haec vero denegatio praecedat et causat reiectionem gratiae sufficientis in aliquo alio genere causae, nempe quatenus permissio pec-

cati ex parte Dei praecedit peccatum. Sic (p. 689 s) cum Ioanne a S. Thoma (*In 1 q. 19 disp. 5 a. 6 n. 61*) putat se totam solvisse difficultatem. — Sed a verbis vagis et indeterminatis transeamus ad concretum nostrum casum! a) Sola causa materialis et dispositiva minime sufficit ad explicandam imputabilitatem hominis, sed punctum saliens est, quod homo qua causa efficiens, moralis scil. et demeritoria, *libere induxerit hanc malam dispositionem*. b) Illud «aliud genus causae», in quo Deus praecedit, omnino etiam pertinet ad genus causae efficientis; nam Deus *non quomodocumque permittit deficientiam liberi arbitrii*, sed libere denegat eam causam efficientem, quae sola actu vincere potest deficientiam voluntatis creatae, et secundum plurimos Thomistas insuper dat eam causam efficientem, quae inseparabiliter coniuncta est cum actuali deficientia, scil. praedeterminationem physicam ad materiale peccati. Ergo deficientiae voluntatis creatae Deus in optima forma esset causa libere efficiens (respective libere deficiens) cum physica tum moralis. Quare duó entia essent sibi invicem causae efficientes, i. e. haberetur mutua prioritas causarum in eodem genere causalitatis, id quod aperte repugnat. Homo libere resistendo gratiae sufficienti tamquam causa efficiens moralis causaret denegationem gratiae efficaci ex parte Dei; et Deus denegando gratiam efficacem ac praedeterminando ad materiale actus resistendi esset causa efficiens eiusdem resistantiae. — Ceterum etiam *Garrigou-Lagrange* ita loquitur de defectibilitate creaturae (p. 690 s), ut clarissime appareat deficientiam non esse vitium morale, sed sequelam metaphysice necessariam condicionis creaturalis. Quomodo Deus creans hominem in hac defectibilitate non teneatur, ut eidem medetur, et quomodo Deus unicum remedium denegans non evadat causa, cui actualis deficientia in ordine morali unice tribuenda sit, plane non cernitur. In hac re tam evidente refugere ad mysterium (p. 691) auctorem coram viris cordatis sane nihil iuvabit. — Frustra provocat (p. 689) ad exemplum, quod S. Thomas, *S. th. 1, 2 q. 113 a. 8 ad 1* habet in quaestione relationis inter gratiam sanctificantem et ultimam dispositionem: «*Sol per suam lucem agit ad removendas tenebras*, et ideo ex parte solis *prius est illuminare quam tenebras remove*; ex parte autem *lumen illuminandi prius est purgari a tenebris quam consequi lumen ordine naturae*, licet utrumque sit *simul tempore*.» Exemplum nostrae quaestioni applicatum optime ostendit, quam parum feliciter Thomistae explicare valeant, quo pacto libertas et imputabilitas hominis servetur. Sicut *aeri non potest imputari indoles suae naturae*, qua sole ipsum non amplius illuminante statim obtenebratur, ita *voluntati humanae neutiquam in culpam converti potest*, quod qua creatura finita necessario deficit, nisi efficaciter e deficientia eripiat. — Ed. Hugon O. P., *Tract. dogm. II*⁵ (Paris. 1927) 203 s: «*Ut defectus a voluntate repetatur, sufficit, ut voluntas ex se sola deficiat*. Atqui... potest utique ex se sola deficere, nempe ex sua conditione creaturae, de nihilo eductae.» Num hoc sufficit ad culpam moralem? — Similiter Diekamp II³ § 17 in fine (p. 432 s) ex nostra *defectibilitate falso deducit imputabiliter a nobis poni impedimentum gratiae efficaci*. — Bene istud refugium defectibilitatis refutat *Laur. Janssens*, De gratia p. 641 ss.

591. B. Destruitur vera libertas indifferentiae.

I. Quae fontes dicunt de libertate a gratia efficaci dissentienti, adversarii non satis servant. — 1. **Ecclesia Tridentinum s. 6 cap. 5** (Dz 797): Homo inspirationem gratiae recipiens «illam et abicere potest». Supponitur in isto casu gratia *efficax*, quam recipiendo homo reapse ad iustificationem disponitur. Quam gratiam homo hic et nunc abicere posse affirmatur. Sed secundum *Bannezianos* fieri nequit, ut homo *actualem abiectioem* componat cum gratia efficaci; nam iam antecederet ad actualem receptionem per praemotionem physicam infallibiliter determinatur ad recipiendum, et «*potentiae*» abiciendi, quae remanere asseritur, iam antecederet metaphysice repugnat, ut in actum reducatur. Concilium sine dubio *potentiam expeditam et actuabilem* intellegit, quae in hisce circumstantiis, i. e. *in sensu composito* cum motione huius gratiae de facto efficaci, non solum *in sensu diviso* sive in aliis adiunctis, ubi gratia efficax desit, actuari possit. — **can. 4** (Dz 814): Liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum (quod revera assentiendo cooperatur), potest dissentire, si vult. Ergo sub eadem motione divina, sub qua actu libere assentit, potest dissentire actu. *Lemos* econtra dicit: «Antequam voluntas dicat: volo, antecedit prioritatem naturae auxilium praeveniens divinae gratiae, faciens, quod ipsa velit, et ita faciens, ut non stet simul dissentire» (*Acta omnia Congregationum*, disp. 2 coram Paulo V [Lovanii 1702] p. 1053). — **Vaticanum s. 3 cap. 3** (Dz 1791): Actu fidei «homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando». Manifesto tunc, quando consentit, i. e. in sensu composito ad efficacem gratiae motionem, expedita manet potentia resistendi; non agitur de potentia *in sensu diviso* a praesenti motionem. *Resistitur* influxui *praesenti*; ergo supponitur motionem iam adesse¹. — «Potentia»

¹ Alvarez, *De aux. div. grat.* l. 9 disp. 93 (ed. Lugd. 1620 p. 385 s) et De Lemos, *Panoptia gratiae* t. 1 pars 2 tr. 4, maxime cap. 12—14 (ed. Leod. 1676 p. 166 ss); t. 3 pars 1 tr. 4 cap. 22 n. 226 (ibid. p. 258); idem, *Acta omnia Congregationum*, disput. 2 coram Paulo V (Lovanii 1702 p. 1057 s) urgent differentiam: Posse resistere importat *sensum compositum*; sed posse dissentire, quod *Tridentinum* dicit, admittit *sensum divisum*. — *Vaticanum* habet terminum: posse resistere. Ceterum *Tridentinum* etiam dicit: posse abicere, quod eadem necessitate importat sensum compositum ac posse resistere; et hoc dicit de eadem inspiratione, quae *recipitur*, non de sola inspiratione *sufficientis*. In *contextu* Tridentini etiam posse dissentire aperte intellegitur in sensu composito.

dissentiendi, resistendi, quae non potest actuari nisi *in sensu diviso* ab aliquo influxu, quem quis *independenter a sua libera electione patitur*, non potest explicare libertatem actus. Est igitur eiusmodi «potentia» ad rem, de qua agitur, explicandam aequae inepta atque correspondens «potentia» salutariter agendi, quam *gratia thomistice sufficiens* praebet (v. sub A). Si *actuatio dissensus* sub his concretis condicionibus est metaphysice impossibilis, sensus communis *ipsum dissensum* recte dicit impossibilem. — Exempla afferunt (v. P 254): Album non potest esse nigrum in sensu composito, potest in sensu diviso; aer luce solis perfusus retinet potentiam, ut sit tenebrosus in sensu diviso. Haec *aut* non sunt ad rem, quia nihil ostendunt, nisi quod *stante consensu* non potest esse dissensus, cum explicandum sit, quomodo stante illa *gratia*, quae efficiet consensum, antecedenter ad hunc consensum, sed consequenter ad gratiam maneat vera possibilitas dissensus; *aut* eadem exempla clare ostendunt in systemate banneziano revera non servari istam potentiam expeditam et actuabilem dissentiendi, quam concilia definiunt (cf. n. 596). — 2. **Scriptura** saepe exhortatur homines, ut cum *gratia* cooperentur neve eidem resistent. Huiusmodi monita fine rationabili carerent, si cooperatio et resistentia prius in ordine causalitatis determinarentur aliqua motione divina, cuius collatio et denegatio esset independens ab exercitio libertatis humanae. — Cf. Eccli 15, 14 ss: Deus «reliquit hominem in manu consilii sui... Apposuit tibi aquam et ignem» etc. (v. n. 545). — 3. **Patres** ante Augustinum omnesque graeci, ipse Augustinus saltem quoad angelos et protoparentes ita loquuntur de libera electione arbitrii creati, ut omnis influxus Dei ad unum praedeterminans excludatur. Augustinus senior, si in ordine *infralapsario* gratiam praedeterminantem fortasse non satis vitavit (v. n. 548 s 625), eam saltem non concepit ut *physicam* praedeterminationem. Explicat enim, quomodo Deus hominem *mediis moralibus*, docendo, excitando voluptatem et delectationem, trahat ad bonum (v. g. notus textus *In Io* tr. 26 n. 4—9 [ML 35, 1608—1610; R 1822 s])¹.

592. II. Ratio ostendit praedeterminatione physica destrui libertatem. — Libertas indifferentiae sive electionis exigit,

¹ *Moralis* est ille influxus, qui exercetur in voluntatem mediante cognitione; sed etiam influxus, qui habetur eo, quod immediate producitur affectio indeliberata in voluntate atque sic voluntas allicitur ad consensum dandum, eiusdem consensus est causa moralis, non physica.

ut voluntas positis omnibus ad agendum praerequisitis possit agere et non agere, hoc vel illud agere. Destruitur igitur, si praerequisitis omnibus positis iam non est penes voluntatem, ut eligat inter agere et non agere, inter hoc et illud agere. Atqui talem possibilitatem eligendi praedeterminatio physica aufert. Ergo destruit libertatem. — *Prob. min.* a) Posita praedeterminatione physica *necessitate absoluta et metaphysica* actus voluntatis fit, atque hæc necessitas adest *antecedenter* ad electionem voluntatis. Eo ipso enim, quod influxus praedeterminans in voluntatem exercetur, iam *ex interna huius influxus natura* absolute et metaphysice necessarium est, ut voluntas unam determinate partem eligat, alteram respuat. Ergo actus hic in se non est liber. — b) Sed neque in causa. Nam voluntas *nihil facere potuit ad hoc*, ut sibi istam praedeterminationem potius compararet quam oppositam vel nullam. Deus enim absolute et nullo antea habito respectu ad decisionem voluntatis condionate futuram ab aeterno decrevit, ut daret aut denegaret hanc vel illam praedeterminationem. Nulla ratione, neque operando bonum neque omittendo malum, homo potuit se libere praeparare, ut reciperet praedeterminationem ad bonum. Nam quidquid boni facit sive mali omittit, ad hoc a Deo determinatus est collatione sive denegatione praedeterminationis physicae, antequam ipse eligat. Ergo nullus prorsus liberae electioni manet locus. — *Alio modo*: Actus physice praedeterminatus et simul liber continet notas contradictorias. Actus physice praedeterminatus dicit: Antecedenter ad ipsum fieri actus *iam posita est causa efficiens*, quae hunc determinatum actum absolute necessitate producat. Actus liber dicit: Antequam actus propria determinatione voluntatis revera fit, potest fieri et non fieri, sive *nulla iam est posita causa*, quae unam partem necessario determinet. Est igitur propositio chimaerica: Voluntas ab alio physice praedeterminata se ipsa libere determinat; nam «libere se determinare» excludit «ab alio iam determinatum esse», quicumque est ille «alius».

593. Effugia tentata rem adeo claram non possunt obscurare.

1. classis: Voluntas manet libera, quia a Deo praedeterminatur (P 258). a) Deus libere determinat. — Resp. Ergo est actus liber Dei, sed non creaturae. Deus etiam motus stellarum libere determinat. — b) Praedeterminatio non qua entitas creata, sed qua instrumentum Dei omnipotentis est impossibilis cum actuali resistantia creaturae. — Resp. Praedeterminatio est inimica libertatis, undecumque habet suam irresistibilitatem.

— c) Auctor libertatis creatae eam non auferit, sed potius perficit et nobilitat. — Resp. Deus, quamvis sit auctor libertatis, tamen potest ita influere in voluntatem, ut auferat libertatem, v. g. movendo in bonum universale. Ergo manet quaestio, utrum cum influxu praedeterminante stare possit libertas, vel potius manent nostra argumenta, quae hanc quaestionem in partem negantem solvunt. — d) Deus non solum praedeterminat ad substantiam actus, sed etiam ad modum libertatis. — Resp. Eodem iure diceretur: Deus facit *circulum* et addit modum *quadrati*. Nam ostendimus impossibilitatem notarum. Ista propositio aliis verbis significat: «Deus absolute efficaciter decrevit, ut unus idemque actus sub eodem respectu ita fiat, ut *aliter fieri non possit*, et simul, ut *aliter fieri possit*» (*Limboung* p. 109). — e) Cum voluntas creata possit se ipsa determinare ad actum liberum, a fortiori Deus omnipotens hoc poterit (*Gonet*). — Resp. Libertas ex conceptu requirit, ut agens ipse se determinet, non determinatus *ab ullo alio*.

594. 2. classis: Libertas sive indifferentia activa manet, quia manet indifferentia obiectiva, i. e. **iudicium indifferens** (P 259). Gratia efficax non efficit, ut intellectus voluntati bonum proponat tamquam purum bonum nulla mali ratione admixta; sed relinquit v. g. iudicium: Bonum honestum est difficile et sensualitati repugnans. — Resp. Indifferentia obiectiva est aliqua radix libertatis eamque connaturaliter exigit; sed non est ipsa libertatis essentia. Actus formaliter est liber, non quia praeuolente iudicio indifferente ponitur, sed quia procedit ex principio active indifferente, i. e. quod in exercitio suae activitatis tamdiu est indeterminatum ad plura, donec se ipsum determinaverit ad unum. — Potest cogitari casus, quod quis irresistibiliter ex interna necessitate trahatur ad unum, quod ei nequaquam apparet omni ex parte bonum (v. g. in hypnosi). Sic haberetur iudicium indifferens sine libertate. Talis status sane esset *violentus*, quia iudicium indifferens mentiretur speciem libertatis, quae reapse deesset. Quare Deus ita non procedit. Si gratia nobis relinquit iudicium indifferens, etiam servat libertatem, et ut hanc servet, non praedeterminat ad unum.

595. 3. classis: Praedeterminatio non inducit veram **necessitatem antecedentem**. — Explicatur: Necessitas **consequens** certe non tollit libertatem, sed potius eam supponit. Postquam voluntas libere consensit, iam non potest esse, ut non consenserit. Similiter postquam Deus infallibiliter praevidit eam libere consensuram, iam non potest non fieri consensus. Eiusmodi necessitas consequens est effectus et signum liberae electionis. Econtra necessitas **antecedens** violationem ita causat in ordine causae efficientis, ut determinatus actus voluntatis non possit non sequi sive ut sit necessarius et sine libertate. Neque potest voluntas removeve vel impedire causam, quae hanc necessitatem intulit. — Respondetur igitur: Praedeterminatio physica est causa vere efficiens actus salutaris et propterea praecedit in ordine causalitatis efficientis

electionem voluntatis, cuius indifferentiam infallibiliter in unam partem determinat; quare ipsi voluntati indeclinabilem revera causat necessitatem antecedentem. — Thomistae dicunt: a) Habetur non necessitas, sed suppositio antecedens (*Alvarez*): Supposita praedeterminatione actus fit necessario, sed non necessarius. — Resp. Thomistae, quatenus sibi constant, istam suppositionem ita describunt, ut in quaestione libertatis prorsus aequivaleat necessitati antecedenti. Nam suppositio praedeterminationis *oritur independenter a voluntate et antecedenter ad electionem liberam determinat*, ut voluntas unum velit. Ergo eam privat possibilitate eligendi inter plura sive imponit *necessitatem antecedentem* destruitque libertatem. — b) Haec suppositio antecedens «per modum linientis et confortantis et dulciter determinantis» influit (*Rispolis*). — Resp. Aut est tam «dulcis», ut *actus oppositus sit compossibilis*, et receditur a Bañezianismo neque explicatur triplex infallibilitas; aut *inevitabiliter* producit actum et dulci sua vi interimit libertatem. — c) Inducit necessitatem consequentiae tantum, non consequentis (*Alvarez*). — Resp. Haec distinctio sicut prior (sub a) recte adhibetur hoc modo: Ex propositione: «Deus praevidit hominem facturum opus salutare», necessitate *consequentiae* deducitur: «Hoc opus necessario fiet.» Est necessitas ex infallibilitate divinae praescientiae *logice* deducta. Ex ea sola certe nulla sequitur necessitas *physica* ipsius operis *consequentis*. Nam si Deus hoc opus libere factum iri praevidit, iam supponit divina praevisionis exercitium libertatis, et necessitas est pure consequens, qua libertas non laeditur. Sed si Deus absolutum decretum, quod sine respectu futurae liberae decisionis humanae fecit, eo modo exsequitur, ut ipse in arbitrium *influat aliqua motione physica*, quae *ex sua natura* unum determinatum actum infallibiliter producit, etiam ipsum *consequens erit simpliciter necessarium*. — d) Necessitas potius est concomitans quam antecedens (multi recentiores Thomistae; cf. *systema Scotistarum* n. 609 617). — Resp. Licet tempore sit concomitans, tamen natura, scil. in ordine causae efficientis praecedat. Si hoc negatur, *relinquitur totum systema* et ponitur concursus simultaneus, qui sine scientia media nihil explicat. — e) Non pertinet ad actum primum, sed ad actum secundum (*Graveson*). — Resp. Est causa efficiens actus secundi. Secus systema relinquitur nec quidquam explicatur. — f) Est necessitas simpliciter consequens actum liberi arbitrii (*Billuart*). Nam necessitas non est derivanda ex decreto divino, sed *ex suppositione*, quod *voluntas creata revera hunc actum ponit*. — Resp. Si haec verba secundum consuetum sensum sumere licet, valet id, quod iam Albertini O. P. de Bañezianis dixerat: «Cum ventum fuerit ad objectiones, *pie et sapienter a suo systemate recedunt.*» Nam si necessitas actus qua consequens iam supponit eiusdem actus existentiam libero arbitrio determinatam, omnis utique necessitas antecedens tollitur. Sed etiam cessat omne decretum divinum, absolute et independenter ab electione creaturae sub conditione praevisa factum et exsequendum, quo infallibiliter determinaretur existentia actus salutaris. Consequenter praedestinatio gratiae infallibiliter efficacis a Deo nullo alio modo fieri posset, nisi eo, ut ipse

uteretur praescientia condicionate futurorum, quam ex eorum futuritione condicionata hausisset. Haec autem est solutio *molinistica*. — g) Manet in nostra potestate potius velle quam nolle. « Praedeterminatio potestatem sic conservat in voluntate, ac si voluntas concipiatur *omnino independens* a quocumque sive influxu sive concursu » (*Zigliara*). Liberae voluntatis decisioni relinquitur, utrum praedeterminationem divinam velit *impedire* necne (*Goudin* etc.). — Resp. Aut omnia Bañezianismi fundamenta « pie et sapienter » relinquuntur, aut verbis « in potestate esse » etc. tribuitur sensus, qui communi usui et sanae rationi omnino contrarius est.

596. 4. classis: Celeberrima distinctio **sensus compositi et divisi** (P II 263 s; *Mazz.* n. 626). — Resp. Hanc distinctionem hic non recte adhiberi ad explicanda dicta *conciliorum* supra (n. 591) ostensum est. Ad intellegendam vim distinctionis haec notare iuvat. Sensus compositus significat: Subiecto, quod aliquam *formam* habet vel alicui *condicioni* subest, aliquod praedicatum convenit vel non convenit; v. g. *homo malus potest esse sanus* etiam in sensu composito, scil. existens et manens malus; *homo vero aeger* in sensu composito, i. e. quamdiu habet suam aegritudinem, *non potest esse sanus*; potest autem in sensu diviso, qui dividit sive separat ab aliquo subiecto aliquam formam vel hypothesim: *Homo aeger cessante forma aegritudinis potest esse sanus*. — Utrum hac distinctione adhibita libertas servetur necne, hoc dependet ex eo, utrum homo formam vel condicionem, de qua agitur, *libere adduxerit vel retineat* necne. Consideretur duplex exemplum: a) *Sedens non potest ambulare in sensu composito*, potest autem in sensu diviso. Si penes liberum arbitrium est, ut mutet sessionem in ambulationem, libere sedet et ambulationem omittit, non obstante impossibilitate ambulandi in sensu composito ad sessionem. — b) *Vinculis alligatus non potest ambulare in sensu composito*. Licet in sensu diviso possit, tamen non libere, sed coacte abstinere ab ambulatione, si penes ipsum non stat, ut sua vincula solvat. — Quaeritur, ad utrum horum casuum pertineat propositio: *Physice praedeterminatus ad consensum non potest dissentire in sensu composito*. Nisi omnia principia systematis deserantur, manifesto ad secundum (b). Nam haec determinatio ex decreto solius Dei et *independentem ab omni libero usu voluntatis datur, neque potest ab homine mutari*, nisi antecedenter ad usum libertatis humanae Deus eam mutet. Ergo possibilitas dissentendi *in sensu diviso a praedeterminatione* nequaquam salvat liber-

tatem consensus. — Prorsus aliter res se habet in systemate molinistico. Qui gratia efficaci movetur, nequit dissentire *in sensu composito*; sed impossibilitas dissensus sive necessitas consensus consequitur et includit exercitium libertatis a Deo scientia media praevisum. Homo libere consentit, quia non solum potest ab hac gratia dissentire in sensu diviso, sed insuper penes ipsum est, ut dividat consensum a gratia prorsus eiusdem entitatis, quae in casu dissensus eo ipso non iam esset gratia efficax neque a Deo praecognosceretur ut talis, sed potius esset et praevideretur gratia pure sufficiens. Infallibilis efficacia gratiae in Molinismo non determinatur prius, quam *obiective verum* est hominem ipsi, si daretur, *libere consensurum* esse, neque prius, quam Deus hanc veritatem obiectivam per scientiam mediam ab aeterno certo cognovit.

597. 5. classis: Est **mysterium** fidei, rationi impervium, sed pie credendum (hodie v. g. *Hugon* II^s p. 212). — Resp. a) Hoc systema non est a Deo revelatum, sed ab hominibus excogitatum ad explicanda et inter se concilianda ea, quae Deus revelavit. Quae de infallibili efficacia gratiae, supremo Dei dominio, speciali eius in electos praedilectione etc. in revelatione revera continentur, *etiam a Molinistis* explicantur (v. n. 640 ss), et quidem ita, ut cum voluntate Dei salvifica et cum libertate humana clare componantur (n. 639). Quare haec explicatio omnino praeferenda est systemati, quod explicatione non data refugit ad mysterium. — b) Bafieziani potius apertam statuunt repugnantiam quam mysterium.

598. Scholium 1. Del Prado de gratia operante et cooperante.

Norb. del Prado O. P., De gratia et libero arbitrio (Friburgi Helv. 1907), maxime I p. 192—239. — *Franc. Zigon*, D. Thomas arbi-
ter controversiae (Goritiae 1923) n. 120—127 p. 155—175.

Del Prado dolet (I 236 ss), quod *Alvarez, Gonet, Goudin* altam D. Thomae mentem non sint assecuti. Ipse maxime *De Lemos* sibi elegit ducem atque sic a tramite plurimorum recentiorum Thomistarum satis recedit. — Neglectis actibus remote disponentibus ad iustificationem (III 422 not.; cf. III 403 not. et II 29) gratiae ad actum liberum praedeterminantis praecipuum locum videt in ipso iustificationis instante, quando Deus voluntatem hucusque a se aversam *ad intentionem finis supernaturalis* movet per actum caritatis, qui est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem et simul ex eadem

iam efficienter procedit (v. n. 345). Hanc doctrinae thomisticae clavem (I 194) se invenisse gaudet in distinctione *gratiae operantis et cooperantis*, quam Aquinas explicat *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 2 (v. n. 512). Ibidem de actu interiore voluntatis S. Doctor ait: Quantum ad istum actum *voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens*; et praesertim cum voluntas incipit bonum velle, quae prius malum volebat. » Secundum *Del Prado* (I 207) duo sunt casus, in quibus Deus movet voluntatem, quin ipsa se moveat: a) In ordine *naturali* Deus tamquam universalis motor voluntatem movet *ad bonum in communi*. Haec motio appetitus innati in ultimum finem homini est *necessaria*, non libera. b) Correspondenter in ordine *supernaturali* Deus *iustificando* praemovet voluntatem *ad appetitionem finis* supernaturalis, et hic motus homini est *liber* (non deliberatus!), quamvis in eodem motu nullo modo se ipse moveat, sed a Deo solo sit motus. In hisce duobus casibus Deus est « solus movens », in omnibus aliis est « primum movens ». Ad illum igitur actum caritatis, quo homo in iustificationis instante primum fertur in Deum finem supernaturalem super omnia dilectum, nullatenus homo se ipse movet. In ipso actu conversionis *tota operatio gratiae* tribuenda est, quae consequenter recte vocatur « *operans* », non « *cooperans* » (I 216 s). — Sed Tridentinum s. 6 cap. 5 (Dz 797) *de eodem actu* dicit: « ... neque homo ipse nihil omnino *agat*, inspirationem illam recipiens ». *Del Prado* distinguit: « Deus operatur velle in nobis sine nobis, i. e. *sine nobis agentibus*, sed non *sine nobis consentientibus*. » Liber consensus, qui fit sine omni actione consentientis, sane difficilius concipitur quam mira sententia *Vegae*, de qua n. 494. — Triplex *Del Prado* distinguit consentire (I 217): Primum est *solum agere*, quod non invenitur nisi in Deo, actu puro; alterum est *solum agi*; tertium est *utrumque*. Primus in finem supernaturalem liber consensus pertinet ad secundum. — Errorem *Calvini Del Prado* sic assignat (I 213): « Quod liberum arbitrium motum *nihil omnino agit* et mere passive se habet. » Sed quoad liberum actum conversionis ipse prorsus idem dicit, eo solo discrimine, quod eiusmodi « *agi* » contra sanam rationem vocat « *liberum consensum* ». — In solutione obiectionum (I 214—222) utique aliquoties « pie et sapienter » a sua doctrina recedere videtur. At (I 235) non veretur dicere: « Sub gratia operante voluntas vult, eliciendo consensum *ex sola applicatione Dei*; sub gratia cooperante voluntas vult, *applicando etiam seipsam* ad consentiendum... Sub gratia operante voluntas est mota et non movens, solus autem Deus

movens, dum *exercet motum liberi arbitrii.*» (!) Haec verba ostendunt auctorem habere conceptum libertatis valde mirum¹.

599. S. Thomam ne somniasse quidem eiusmodi ineptias optime ostendit Zigon (l. c. p. 155ss; praesertim p. 160ss). Constante Aquinas requirit ad libertatem actus, ut voluntas ipsa se moveat. Vide schol. 2 et insuper *De ver.* q. 24 a. 1 ad 5; *De malo* q. 3 a. 2 ad 4; q. 6 ad 17; *S. th.* 1 q. 83 a. 1 ad 3; q. 105 a. 4 ad 3; 1, 2 q. 1 ad 2; q. 21 a. 4 ad 2. — Ceterum S. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 2 clavem suae de gratia doctrinae dare minime intendit. Explicare vult distinctionem gratiae operantis et cooperantis, quae desumitur ex verbis *S. Augustini* (v. n. 512) a *Magistro* (l. 2 d. 26) et omnibus Scholasticis afferri solitis. Quare haec verba apto aliquo sensu exponenda sunt. De quo sensu non multum sollicitus est Aquinas eumque in diversis operibus diversimode assignat; v. *In 2 d.* 26 a. 5 ad 4; *De ver.* q. 27 a. 5 ad 1, ubi interpretatio aperte dissonat a *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 2. In hoc articulo obscurum manet, quomodo S. Thomas intellegat actum *interiorem* et *exteriorem*, et expositiones commentatorum sunt maxime variae. Facillima est explicatio, quam Zigon (p. 165) dat: Non agitur de quaestione, utrum et quando voluntas *seipsam* moveat; nam eam in omni actu libero *seipsam* movere ex tota Aquinatis doctrina est mani-

¹ Idem elucet ex iis, quae dicit I 291: «Omnis quippe actus, qui procedit ex facultate voluntatis et rationis, est motus liberi arbitrii, actus liber; sed talis actus potest procedere a voluntate et ratione dupliciter: uno modo ex deliberatione rationis; alio modo supra humanae rationis deliberationem. Et tamen talis actus nullo modo dicendus est *indeliberatus*, in hoc sensu, quod non sit liber... Dantur ergo motus liberi arbitrii ac proinde actus humani, actus virtutum, et quidem excellentes, absque eo, quod liberum arbitrium moveat seipsum..., quos Deus operatur in nobis sine nobis determinantibus ad agendum, sed non sine nobis consentientibus. Tales actus sunt motus liberi arbitrii, *non collativi*, sed *subiti*; non procedentes ex discursu rationis de uno in aliud, sed causati in instanti in homine ex consilio divinae sapientiae a Spiritu Sancto interius movendo et instigando ad bonum.» — Sed ne libertas quidem resistendi, quam liberum arbitrium *in via* retinet, secundum Del Prado est *essentialis ad libertatem* actus; nam I 667 dicit: «In Patria vero gratia consummata... totaliter aufert a libero arbitrio omnem potestatem resistendi seu deficiendi, omnem potentiam peccandi..., et ipsum liberum arbitrium immobiliter statutum in bono operatur semper libere, bene et recte; quoniam aliter operando destrueret ac negaret seipsum.» — Quomodo talis conceptus liberi arbitrii contineat eam *libertatem a necessitate interna*, quam Ecclesia contra Iansenium defendit, sane non intellegitur.

festissimum. Quaeritur autem, utrum moveat *aliam potentiam* necne. In producendo actu sibi exteriori voluntas movetur quidem a Deo, sed simul est principium movens aliam facultatem, cui motioni sive operationi gratia cooperatur; quare apte vocatur *cooperans*. In ipso suo actu interiore voluntas non movet aliam facultatem, sed tamen a Deo movetur; quare operatio (i. e. motio alterius) soli Deo attribuitur, et gratia vocatur *operans*¹.

600. *Scholium 2. S. Thomas adversarius praedeterminationis physicae actuum liberorum.*

P 263—267. — *Schneemann* (lat.) p. 54 ss. — *Frins.* — *Stufler*, D. Thomae doctr. de Deo operante, maxime n. 141—150. — *Zigon* p. 92 ss. — *Laur. Janssens* O. S. B., De gratia p. 560—576. — Alia scripta n. 577 in fine citata.

Parum refert ad praesentem quaestionem *concordiae* liberi arbitrii cum gratia efficaci, utrum S. Thomas docuerit concursum praeivium non determinantem ad unum, id quod *Molina* concedit (*Conc.* q. 14 a. 13 disp. 26 init.), an concursum simultaneum, quem *Molina* ipse statuit et inter alios *Suarez* (*Opusc. I*, De divina motione, l. 1 cap. 11) Aquinatem quoque docuisse autumat, an tandem nullum concursum immediatum, sicut *Stufler* eum explicandum esse censet. Id unum hic intendimus ostendere: S. Thomas negat physicam praedeterminationem actuum liberorum ex parte Dei; consequenter non potest ad modum *Bannezianorum* explicare efficaciam gratiae; immo per sua principia potius logice perducitur ad solutionem *molinisticam*, licet hanc nondum perfecte absolverit².

¹ Consentire, quod non sit agere, Del Prado invenit S. th. 1, 2 q. 55 a. 4 (v. *Zigon* n. 121 p. 156 ss). Sed verbum *agere* ibidem falso intellexit. Quomodo illud « *sine nobis agentibus* » S. Augustini a S. Thoma exponatur, ex loco parallelo *In 2 d. 27 q. 1 a. 2 ad 7* clarissime elucet: « Deus non iustificat nos sine nobis consentientibus... , iustificat tamen nos *sine nobis virtutem causantibus*. » Ergo eodem sensu intellegit S. th. 1, 2 q. 55 a. 4 ad 6: « Virtus infusa causatur in nobis a Deo *sine nobis agentibus*, non tamen sine nobis consentientibus. » Solus enim Deus est causa efficiens habitus infusi. In actu vero dispositivo homo, gratia operante motus, et *consentit* et *agit* et *seipsum movet* ad actum. — *Zigon* addit: « Collabitur sic tota singularis absurda interpretatio a Del Prado proposita itemque doctrina eidem arbitrariè ac temere supraedificata funditus evertitur. Causa, quae a deo infirmis atque inanibus mediis indiget sustineri, desperata est » (p. 158).

² Dummermuth, *S. Thom. et doctr. praem. phys.*, p. 216 not. 2: « Ut quis ad Scholam Thomisticam pertineat, necesse est, praedeterminationem physicam tueatur; ut quis vero pertinere

Ac revera constanter per totam vitam S. Thomas docet ad libertatem actus requiri, ut determinatio actus a solo agente fiat neve ulla alia causa, ne Deus quidem, eundem actum praedeterminet.

601. In 2 d. 25 q. 1 a. 1: Deus est liber. « In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus. » — ad 1: Libera electio salvatur in Deo « quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a se ipso; unde ipse verissime sui operis dominus est ». — ad 3: Quod « cuiuslibet creaturae actus in causam priorem reducatur, quae est ipse Deus, qui omnia opera nostra in nobis operatur », non excludit liberum arbitrium a creatura; nam: « Deus operatur in omnibus, ita tamen, quod in unoquoque secundum eius condicionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut *ministrans virtutem* agendi et sicut *determinans naturam* ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen *determinatio* actionis et *finis in potestate liberi arbitrii* constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti. » — a. 2: « In omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet, *in hoc solo determinationem habens*, quod *felicitatem* naturaliter appetit, et *non determinate in hoc vel illo*. Quamvis autem cogi non possit, nihilominus tamen potest *inclinari* ad agendum aliquid per aliquas dispositiones et habitus, ex quibus pronior efficitur ad eligendum alteram partem. » — **In 2 d. 39 q. 1 a. 1:** Actus malus voluntatis imputatur in peccatum, quia a nobis est. « Sed sciendum, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter: Uno modo tam *secundum substantiam* actus quam *secundum determinationem agentis ad actum*, et hoc proprie *in potestate agentis* esse dicitur, ut est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod *determinate* exeat in hunc actum vel in illum, *non est ab alio determinante*, sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen *determinatio* ad hunc *non est ab agente*, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur. Unde si aliquis defectus sit in actu eius, ipsi voluntati in culpam et peccatum imputatur. » Ille *alius*, cuius determinatio ab actu imputabili excluditur, est etiam et maxime *Deus*, ut ex sequenti propositione elucet. Hoc ipse *Dummermuth* concedit (I 349). Omnino gratis idem asserit ex mente S. Thomae solam eam determinationem excludere imputabilitatem, quae fiat a Deo eo modo, qui in sequenti propositione describatur, scil. voluntati *dando naturam* ad unum actum determinantem, non

dicitur ad Scholam Molinisticam, sufficit, quod praedeterminationem hanc neget, parum refert, quid loco eius statuat. » His verbis laudatis Zigon p. 43 addit: « Hoc sensu S. Thomas non est Thomista, sed Molinista, quia praedeterminationem physicam respuit. »

vero eam, quae fiat *transeunte praemotione* ad actum. S. Thomas *universaliter negat* determinationem voluntatis ad unum ab alio factam stare cum imputabilitate talis actus, et haec universalis negatio omnem modum determinationis ab alio faciendae excludit. Quare non debet ad unum aliquem modum restringi, praesertim cum sic Doctori Angelico tam inepta affigeretur sententia, quasi effossio quidem oculorum necessariam reddat omissionem actus videndi, eorum vero violenta ab alio praeligatio stet cum libera omissione visionis. — a. 2: « Ratio enim culpae in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet *dominium sui actus*. Hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet *nec ad aliquod eorum determinatur nisi ex se ipsa*, quod tantum voluntati convenit. Potentiae enim organici affixae coguntur ad aliquem actum *per immutationem organorum*, sine quibus in actum exire non possunt; intellectus autem . . . cogitur ad aliquid ex ratione vel argumento. » Vides ex mente Aquinatis etiam transeuntem influxum externum, si ad unum determinat, non stare cum actu libero. — In 3 d. 27 q. 1 a. 4 ad 12: Voluntas « est *primum determinans* alias potentias humanas ad res alias, circa quas operantur, et ipsa *non determinatur* ab alio; unde quantum ad hoc, quod *a Deo determinatur* naturali inclinatione, quodammodo *libertatem non habet*, sed quasi cogitur naturali inclinatione, sicut *respectu beatitudinis*, quam nullus non potest non velle ». — In 4 d. 40 q. 3 a. 1 ad 4: « Contingens futurum ut motus liberi arbitrii, quamvis non sit determinatum in causa sua, est tamen determinatum in esse suo, secundum quod est actu; et sic subiacet certitudini praesentiae. » — d. 49 q. 1 a. 3 qc. 2 ad 1: « Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quae ei subsunt; et haec sunt illa, quae per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum, quae sunt ei *ab alio determinata*; et ideo voluntas non potest in oppositum eius, ad quod *ex divina impressione determinatur*, scilicet in oppositum finis ultimi; potest autem in oppositum eorum, quae *ipsa sibi determinat*, sicut sunt ea, quae ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet. »

602. De ver. q. 22 a. 4: « Quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur et magis nata est se ipsam inclinare . . . Natura rationalis, quae est Deo vicinissima, non solum habet *inclinationem* in aliquid, sicut habent inanimata, nec solum *movens hanc inclinationem, quasi aliunde ei determinatam*, sicut natura sensibilis, sed ultra hoc *habet in potestate ipsam inclinationem*, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari; et sic ipsa *inclinatio non determinatur ei ab alio*, sed a se ipsa. » — a. 6 ad 1: « Esse animae non est determinatum a se ipsa, sed ab alio [scil. a Deo]; sed *ipsa determinat sibi suum velle*. Et ideo, quamvis esse sit immutabile, tamen *velle* indeterminatum est ac per hoc in diversa flexibile » (ergo si Deus determinaret etiam velle, hoc esset immutabiliter in bonum). — **De pot. q. 3 a. 7** (textus classicus Bañezianorum): Deus operatur in omni operatione naturae atque etiam in voluntate nostra operante. Hoc tamen non obest libertati. — ad 12: « Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii

sui, quin in voluntate operetur, sed quia voluntati hominis dedit *dominium sui actus*, ut non esset *obligata* ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturae non dedit, cum per suam formam sit *determinata ad unum*. » Gratis diceretur solam obligationem *habitualement* per formam aliquam, non vero obligationem *transeuntem* per praedeterminationem physicam tollere dominium actus. — ad 13: « Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam *de necessitate ad unum determinet*, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis. » S. Thomas hic non statuit duplicem determinationem ad unum, scil. alteram, quae sit necessitans, et alteram, quae libertatem relinquat; sed distinguit duplicem operationem causae primae in causis secundis, alteram, quae determinet causam secundam ad unum et consequenter eam necessitet, alteram, quae voluntati relinquat dominium sui actus et consequenter eam ad unum non praedeterminet. Ex multis enim textibus videmus S. Thomam ad actum liberum requirere, ne *ab ullo alio* determinetur, quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel in illum (cf. maxime supra *In 2 d. 39 q. 1 a. 1*). Etiam in nostro textu operationem quidem in voluntate attribuit Deo, sed determinationem actus simpliciter relinquit « in potestate rationis et voluntatis ». Debemus autem supponere S. Thomam, quando loquitur de aliqua *potestate*, eam cum omnibus, qui vocabulis suam nativam vim relinquunt, intellegere potestatem *vere actuabilem*, minime autem miram illam « potentiam », quam Bañeziani ad fidem catholicam in concordiam sui systematis redigendam invenerunt (cf. n. 588 ss). — **De malo** q. 3 a. 3 inquit in causam peccati. « Illud ergo per se potest esse causa peccati, quod potest directe movere voluntatem ad actum peccati. » Quare ulterius inquit, quibus modis voluntas possit inclinari ad aliquid, ab exteriori et ab interiori. « *Obiectum* non ex necessitate movet voluntatem, et ideo nulla persuasio ex necessitate movet hominem ad agendum. Relinquitur ergo, quod causa perficiens et propria voluntarii actus sit solum id, quod operatur *interius*. Hoc autem nihil aliud esse potest quam *ipsa voluntas* sicut causa secunda et *Deus* sicut causa prima... Sic ergo motus voluntatis directe procedit a voluntate et a Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur et voluntatem *inclinare* potest, in quodcumque voluerit. Deus autem non est causa peccati. » Ergo sola voluntas. — Obiect. 5: « Omne, quod se habet ad utrumlibet, indiget aliquo *determinante* ad hoc, quod exeat in actum. Sed liberum arbitrium hominis ad utrumlibet se habet, scil. ad bonum et malum. Ergo ad hoc, quod exeat in actum peccati, indiget, quod ab aliquo determinetur ad malum. Maxime autem hoc videtur fieri a diabolo. » *Bañezianus* respondere deberet: *Deus* determinat ad materiale peccati, cum quo formale peccati necessario coniungitur. *Thomas* vero respondet ad 5: « Voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scil. *per consilium rationis*. *Nec* oportet hoc esse *per aliquod agens extrinsecum*. » — Obiect. 11 profert notam argumentationem Aristo-

telis, vel potius *Ps.-Arist., Eth. Eudem.* (v. n. 221 fin.): Principium extrinsecum, quod primo movet hominem ad consiliandum, in bonis est Deus, qui non est causa peccati. Respondet ad 11: «Deus est universale principium cuiuslibet consilii et voluntatis et actus humani... Sed quod error et peccatum et deformitas accidat in consilio, voluntate et actione humana, hoc provenit ex defectu hominis. Nec oportet huius aliam extrinsecam causam assignare.» — ad 14: «Deus enim est actor bonorum nostrorum operum et sicut exterior persuadens et sicut interior movens» (cf. infra *S. th.* 1, 2 q. 9 a. 6 ad 3). — **Quodl.** 1 a. 7 ad 2: «Deus movet omnia secundum modum eorum; et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita; et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere. Et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparet. Sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine.»

603. S. th. 1, 2 q. 6 a. 1 distinguit varia genera motuum, scil. motum violentum, naturalem, voluntarium; a. 2 motum voluntarium subdistinguit secundum cognitionem finis perfectam et imperfectam. «Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scil. apprehenso fine aliquis *potest deliberans* de fine et de his, quae sunt ad finem, *moveri in finem vel non moveri*. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scil. apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum. Unde soli rationali naturae competit voluntarium secundum rationem perfectam; sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis animalibus.» — q. 9 a. 4 iterum probat cum *Eudemo* (cf. n. 221 fin.): «Necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris moventis.» — ad 1: «De ratione voluntarii est, quod principium eius sit intra; sed non oportet, quod hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra, sicut et primum principium motus naturalis est ab extra, quod scil. movet naturam.» — a. 6: Illud principium extrinsecum, quod voluntatem movet, est solus Deus. — ad 3: «*Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.*» *Obiectio* erat: «Si ergo a solo Deo voluntas hominis moveretur, nunquam moveretur ad malum» (eandem obiectionem et solutionem v. *De malo* q. 3 a. 3 ad 11; supra n. 602). Ad solvendam obiectionem Thomas distinguit motionem universalem et specialem. Motio *universalis* est ad bonum in communi, quod *nondum est determinatum* ad bonum aut malum morale. Haec determinatio expresse tribuitur *homini*. Ergo longe abest S. Doctor ab hoc, ut Deo adscribat

determinationem ad materiale peccati. Sed specialiter Deus movet ad actus bonos, quos vult a voluntate fieri, et praesertim ad actus salutare. Tunc enim non universaliter et indeterminate ad bonum in communi movet, permittens, ut voluntas hac motione mota determinet illud ad bonum particulare apparens sive ad malum morale, sed *efficaciter movet ad determinatum actum bonum* ab ipso praedefinitum. At *unde* motio divina istam efficaciam habeat, de hoc ne verbum quidem dicit (cf. *Zigon* p. 96 ss 173 s). — q. 10 a. 4: «Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis *necessariis* per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem *contingentibus* sequuntur effectus contingentes Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod *non ex necessitate ad unum determinat* (cf. supra *De pot.* q. 3 a. 7 ad 13; *Zigon* p. 144 ss; *Garrigou-Lagrange, d'Alès, Synave*, hunc textum et similes exponentes, magnam controversiam habent de quaestione, noveritne S. Thomas praedeterminationem non necessitantem, de qua controversia cf. *Scholastik* 1 [1926] 618; 2 [1927] 616 s), sed remanet motus eius contingens et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur.» — Ad obiect. 3: impossibile esse voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam moveat, quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax, respondet, *sicut responderet Molinista*: «Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est *huic positioni*, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.» — Cf. q. 15 a. 2. — 1, 2 q. 114 a. 9: «Cum homo naturaliter habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum et ad malum, dupliciter potest aliquis perseverantiam in bono obtinere a Deo: uno quidem modo per hoc, quod liberum arbitrium *determinatur* ad bonum per gratiam consummatam, quod erit in gloria; alio modo ex parte *motionis* divinae, quae hominem *inclinat* ad bonum usque ad finem.» Hoc loco S. Thomas efficacem inclinationem ad bonum per motionem divinam opponit determinationi voluntatis.

604. Accedit, quod S. Thomas Dei scientiam futurorum contingentium et liberorum negat haberi posse ex decretis voluntatis divinae. Ea potius principia statuit, quae logice evoluta ducunt ad scientiam mediam Molinistarum, ad solutionem vero bannezanam logice ducere nequeunt (v. inter alios P II n. 240 272 s 276; *Stufler* p. 253—290).

Non negamus inveniri textus Aquinatis, qui difficulter explicentur, praesertim quando de *immutatione voluntatis* creatae per Deum disserit. Sufficit monuisse *doctrinam scholasticam* de libero arbitrio ex elementis satis discrepantibus esse conflata (cf. n. 549 cum nota 1). Non est mirum, quod etiam S. Thomas, sicut praedecessores eius, *Alexander Hal.* et *Albertus M.*, saepe affert textus diuturna traditione sacrosatos, qui cum accurato conceptu libertatis indifferentiae parum consonant. Sic aliquo-

ties terminologiam S. Augustini adhibet, secundum quam libertas solam *coactionem*, non *necessitatem excludit*, praesertim quando affert textum *De civ. Dei* l. 5 cap. 10 (*S. th.* 1 q. 82 a. 1 ad 1; *De pot.* q. 10 a. 2 ad 5; *De ver.* q. 23 a. 4; q. 24 a. 1 ad 20; a. 10 obi. 5; a. 12 ad 10 ser. 2). Cf. de his *Theol. Revue* 23 (1924) 350 et *Zigon* p. 159 s. — Sed eiusmodi difficultates nullum serium dubium movere possunt adversus hoc factum historicum, quod S. Thomas libertatem *electionis* in sensu *aristotelico* (*ηγοαίεσις*) distincte concepit et constanter docere voluit.

Thesis 23. Efficacia gratiae non recte explicatur per praedeterminationem moralem vel delectationem victricem neque per decretum Dei condeterminans neque per systema sorbonico-alfonsianum.

605. P pr. 21; Comp. n. 297 s. — Ber. n. 565—596. — Palm. th. 44. — Mazz. n. 629—657. — Lah. n. 211 220 s. — Schiff. n. 252—256. — *Hugon* II⁵ p. 204—212. — *J. Herrmann* C. SS. R., Tractatus de gratia divina (Romae 1904) p. 337—501; Institutiones theol. dogm. II^o (Romae 1926) n. 1206 s 1214—1229. — *Henri Guillemin* O. P., De la grâce suffisante (*RevThom* 10 [1902] 654—675; 11 [1903] 20—31). — *J. Laur. Jansen* C. SS. R., S. Alfonsi M. de Lig. D. Eccl. doctrina de influxu Dei in deliberatam voluntatis creatae activitatem exposita et vindicata (*Wittem* 1920). — *Fr. Marin-Sola* in: *La Ciencia Tomista* 1925 et 26 (cf. *Scholastik* 1 [1926] 533 ss). — *J. B. Raus* C. SS. R., La doctrine de S. Alphonse sur la Vocation et la Grâce (*Lyon* 1926; cf. *Scholastik* 2 [1927] 95 ss).

St. qu. 1. Nexus. Cf. n. 578. Post systema bannezanum, quod efficaciam gratiae ex interna eiusdem indole antecedenter ad praevisum consensum *maximo cum rigore* explicat, nunc examinamus et reicimus varia systemata minoris momenti, quae *aliquatenus etiam internam efficaciam gratiae* statuunt.

2. Sensus. Problema solvendum v. in st. qu. th. 21 et 22 (n. 554 579).

606. **3. Sententiae.** A. **Praedeterminatio moralis** in genere, prout variis modis a theologis sat multis proponitur, etiam a nonnullis Dominicanis adversariis Bannezii. Conveniunt in hoc, quod *physicam praemotionem ad unum determinantem reiciunt*, tamen gratiae efficaci in actu primo sive antecedenter ad consensum praevisum spectatae tribuunt eam *indolem internam*, quacum dissensus voluntatis *moraliter pugnet*. Quae impossibilitas ab aliis derivatur *ex proportione et contempatione* gratiae cum indole, dispositione ceterisque circumstantiis voluntatis, ab aliis potius *ex complexu multorum auxilio-*

rum, quibus collective sumptis voluntas certissime non sit restituta, ab aliis *ex vi quadam et vehementia*, qua auxilium in voluntatem influit¹.

Ludov. **Thomassinus** C. Orat. († 1695), *Consensus Scholae de gratia* (praesertim parte IV) censet « infallibilitati divinae praedestinationis non aliter concordare libertatem nostram indifferentem, quam *ex multitudine et conspiratione* auxiliorum divinatorum, quae licet singillatim frustrabilia, universim tamen et conglobatim victricia et infallibilia sunt » (ed. Vivès, Paris 1870 tom. 6 p. 361). Plurimos theologos pro hac sententia affert². — Ioannes **Gonzalez de Albeda** (sive Alvelda) O. P. († 1622), *In 1. q. 19 a. 8 disp. 48* sect. 2 reicit praemotionem Bañezianorum, sect. 3 suam « veram sententiam ex mente D. Augustini et D. Thomae » declarat: Gratia actualis consistit *in actibus indeliberatis* intellectus et voluntatis, qui movent ad consensum. Illustratio intellectus ex parte obiecti sive *moraliter* movet ad consensum; sed motus subitus delectationis voluntati divinitus immissus, quia se habet ex parte potentiae, recte dicitur praemotio *physica* (n. 38). Tamen hac praemotione voluntas *minime praedeterminatur*, sed se ipsam ad actum liberum determinat: « Modus movendi voluntatem *iuxta modum causae liberae* est infundere illi motum indeliberatum, ut inde accedente advertentia intellectus... determinet se ipsam ad libere prosequendum tale obiectum » (n. 40). Ea gratia est efficax, « quae dat vires efficacissimas libero arbitrio, ita ut, quamvis stante illa ex se ipso nutet, positum inter duas cogitationes et affectiones boni et mali, ac proinde quasi decertet inter nolle et velle, tamen ex efficacia gratiae firmiter velit stare ». Concedit autem gravissimam esse difficultatem, cur voluntas, quae stante gratia efficaci *possit proxime et expedite dissentire, si velit, non aliquando velit* (n. 36). — Similes explicationes dant alii Dominicani: Franc. Arauxo († 1664), Ios. de Vita († 1677), Georg. Franc. Albertini († 1810). Henrico Guillermin haec explicatio magis placet quam communior Thomistarum. Accuratiores v. *Ber.* 565—569; *Hugon* II⁵ p. 209—212; *Guillermin* l. c.

607. B. Systema praedeterminationis moralis speciali modo proponitur ab **Augustinensibus**, maxime a Laurentio **Berti**, *De theol. disciplinis* l. 14 cap. 7 ss (v. P 271; *Schiff.* 253; *Mazz.*

¹ *Analogam necessitatem moralem* vidimus th. 5; nam multae et diuturnae tentationes simul sumptae vel etiam una tentatio valde vehemens hominem lapsum sibi relictum morali cum necessitate pertrahunt ad peccatum (n. 135 s 153 s; cf. n. 168).

² De S. Thoma et veteribus Thomistis (ibid. p. 359) ait: « Admiserat S. Thomas motionem seu *praemotionem* divinam, non praedeterminationem, h. e. eiusmodi motionem, qua ineluctabiliter ageretur voluntas. Dixerat ille quidem, si moveret Deus, moveri certissime voluntatem; sed non agebat ille tunc nisi de motionibus sive de inspirationibus *indeliberatis*, quas operatur Deus in nobis sine nobis. Thomistarum nullus ante finem concilii Tridentini, ac ne *Capreolus* quidem, aliter quam nos sententiam S. Thomae interpretatus fuerat. »

633—639)¹. Gratia efficax est **delectatio victrix**, voluntatem ad consensum moraliter, sed infallibiliter praemovens. In statu naturae lapsae valet adagium S. Augustini, *Expos. Gal* 5 n. 49 (R 1568): « Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. » Est autem pugna inter duplicem delectationem, cupiditatis scil. mundanae et caritatis caelestis (cf. n. 81 87). Gratia Christi consistit in inspiratione sanctae dilectionis, caritatis, amoris sive delectationis, voluptatis, dulcedinis, iucunditatis caelestis. Omnis eiusmodi gratia vel minima est *absolute sufficiens*, quia actum salutarem infallibiliter efficeret, nisi maior aut aequalis delectatio carnalis obstaret; est etiam *relative sufficiens*, quia confert voluntati, ut hic et nunc carnalem delectationem superare possit, *si velit*. Tamen voluntas lapsa infallibiliter non volet, nisi gratia conferet gradum delectationis caelestis gradu praesentis delectationis mundanae maiorem. Discrimen igitur inter gratiam efficacem et pure sufficientem in hoc est, ut gratia, quae producit delectationem caelestem actuali pravae cupiditatis delectatione *minorem* vel eidem *aequalem*, sit pure sufficiens, gratia vero *maiorem* gignens delectationem caelestem sit efficax, utpote supra malam cupidinem *infallibiliter victrix*. — Triplex infallibilitas sic explicatur: *Scientia simplicis intelligentiae* Deus intime perspicit indolem omnis voluntatis possibilis et gradum delectationis bonae et malae, quem singuli influxus possibiles, sive boni sive mali, in unaquaque voluntate producerent. Ex comparatione duarum delectationum, bonae scil. et malae, infallibiliter cognoscit, utra futura sit maior et consequenter voluntatem hominis lapsi efficaciter motura ad liberum consensum. Hac scientia simplicis intelligentiae praelucente Deus iis, quos *gratuita misericordia et praedilectione* ex massa damnata generis humani eripere decrevit, eiusmodi auxilia gratiae praedestinat et confert, quorum efficaciam relativam ex actu primo voluntatis sub influxu ambarum delectationum constitutae *infallibiliter* iam praescivit et accedente decreto *scientia visionis* praevidet; alios vero iusto iudicio in eadem massa *relinquit*, iisdem non conferens nisi eas gratias sufficientes, quarum ineffaciam eodem modo ex actu primo cognovit. Ex hoc decreto Dei absoluto, quod nititur infallibili eius praesentia, iam *objective* infallibiliter certum est gratiam decretam cum actu salutari coniunctum iri.

¹ Nostris diebus defensor Augustinismi mitigationis exstitit Laur. Janssens O. S. B., *De gratia Dei et Christi* (Friburgi Br. 1921) 616 ss 646 ss 657 ss.

608. Differentiae a Bannezianismo: a) Systema est infralapsarium. — b) Ponit efficaciam gratiae in aliqua causa moraliter movente ad consensum. Movet enim *obiectum* qua bonum *cognitum et amatum*¹. — c) Efficacia interna gratiae non est aliqua indoles absoluta, sed relativa. Gratia enim aequae intensae sive eundem dignum gradum delectationis caelestis potest esse *in Corozaitis* inefficax, *in Tyriis* efficax; nam hoc pendet a delectatione mundanae cupiditatis, quae gratiae actu opponitur. Item *in eodem homine* auxilium aequae magnum aliquando est efficax propter minorem cupiditatem pravam, aliquando inefficax ob resistantiam maioris concupiscentiae². — d) Gratia efficax non nisi gradu distinguitur a gratia pure sufficiente. — **A Molinismo** distinguitur systema augustinianum: a) Est infralapsarium. — b) Reicit scientiam mediam. — c) Discrimen gratiae efficaciae a pure sufficiente ponit in aliqua indole interna (licet relativa tantum), quae antecedenter ad praevium consensum voluntatis futuribilem est gratiae propria. — **A Iansenistis** differunt Augustinenses eo, quod asserunt libertatem a necessitate servari, et quando voluntas gratiae relative parvae infallibiliter resistit et quando gratiae relative magnae infallibiliter consentit, atque consequenter concedunt gratiam parvam esse vere sufficientem, non absolute tantum, sed etiam relative.

609. C. Multi Scotistae recentiores duce **Mastrio O. F. M.** Conv. († 1673) efficaciam gratiae explicant per *decretum Dei condeterminans* et correspondentem *divinam actionem* condeterminantem. Deus decernit actum liberum creaturae decreto *non praedeterminante*, sed condeterminante. Determinatio enim ex parte Dei determinationem ipsius creaturae libere agentis antecedit *non prioritate causalitatis, sed continentiae*; i. e. decretum Dei condeterminans *virtualiter includit* decretum voluntatis creatae, e converso autem voluntas Dei eiusque decretum nullo modo dependent a voluntate creatae eiusque determinatione, hinc neque ab hac determinatione condicionate futura. Decretum Dei condeterminans intrinsecus est efficax, idque non effective, quasi efficeret per modum causae determinationem voluntatis creatae, sed affective tantum, quatenus scilicet tamquam purus affectus cum eadem determina-

¹ Licet ista delectatio dicatur immediate a Deo in facultate voluntatis producta esse et sic *ex parte potentiae* afficere voluntatem, tamen eiusmodi causalitas actus indeliberati voluntatis in deliberatum reducenda est ad causalitatem moralem et toto caelo distinguitur ab ea causalitate, quam praedeterminatio physica Bannezianorum exercet *physice transferendo* voluntatem ex actu primo in actum secundum deliberatum; cf. n. 580 591 not.

² Augustinenses gratiam absolute efficacem vocant eam delectationem caelestem, quae *summum gradum* pravae cupiditatis in hominibus occurrentem superet. Eiusmodi fortissimam gratiam *S. Paulo* in conversione datam esse censent.

tione infrustrabiliter connectitur. In ferendo suo decreto « divina voluntas sese accommodat voluntati creatae, non quidem praevidendo prius, quid esset factura sub condicione, sed ex sua infinitate coincidendo in eundem penitus actum, quem faceret creata voluntas, si existeret ab aeterno cum voluntate divina » (*Mastrius, Disputationes theol.* In l. 1 Sent. disp. 3 q. 3 a. 8 n. 170). Divinum igitur decretum aliquo pacto in potestate est humanae voluntatis, ita tamen, ut stante tali decreto humana voluntas minime impedire possit eius eventum. Placito voluntatis humanae ita se accommodat Deus, ut libertas salvetur. Fieri potest eiusmodi in simul determinando concomitantia et concordia, quia voluntas creata secundum totam suam virtutem et differentiam agendi *eminenter et virtualiter continetur* in voluntate divina. In quantum consensus hominis procedit a Deo, causa prima, divinum decretum eum antecedit; secus in quantum idem consensus a voluntate humana ut a causa secunda producitur. Decretum condeterminans actum primum proximum ex parte solius Dei, non ex parte voluntatis humanae constituit. Propter *naturalem subordinationem et quasi sympathiam* creatori debitam eo ipso, quod Deus efficaciter aliquid vult, creatura *ex propria inclinatione et determinatione* idem vult, quamvis nullam in se receperit praevisam motionem. — Hanc decreti divini efficaciam alii Scotistae vocant *physicam*, alii *moralem*. Quoniam ista condeterminatio satis obscure et mysteriose a *Mastrio* exponitur, mirandum non est, quod ii Scotistae, qui maiorem appetunt claritatem, aut « *concursum simultaneum condeterminantem* » ita concipiunt, ut in ordine causalitatis non minus praecedere videatur consensum quam praedeterminatio *Bannezianorum*, aut e converso *scientiam mediam* admittunt et decretum condeterminans supponere praevisionem determinationis voluntatis creatae concedunt. Sic Phil. Faber, Poncius, Hugo Cavellus. Hi quoad rem omnino *Molinistis* accensendi sunt. — Uberiora de hoc systemate v. *Ber.* n. 571—575.

610. D. Plurimi doctores *Sorbonae* parisiensis (*Ysambert, Duval, Habert, Le Moyne, Duplessis d'Argentré, De Calonne, Tournely* etc.) mediam viam quaerentes systemata excoluerunt, quae passim **Syncretismus** vocantur, licet hoc nomen ipsis defensoribus (v. g. *Raus* l. c. 84) displiceat. Putant actus difficiliore requirere gratiam ab intrinseco efficacem, faciliores autem sine tali gratia fieri posse. **S. Alfonsus de Ligorio** ideam principalem Sorbonistarum suam fecit et syste-

ma certa quadam forma proposuit, quam receperunt *Knoll, Rohling, Martinet*, cardinales *Villecourt et Katschthaler, Herrmann, Jansen, Raus* et alii C. SS. R., necnon *Fr. Marin-Sola O. P.* — *Herrmann* (Institut. n. 1214) essentiam omnium systematum syncretisticorum in his videt: a) Ad opera difficiliora absolute requiritur gratia *ab intrinseco efficax*, quae voluntatem *infallibiliter* determinet. — b) Ad opera vero faciliiora et specialissime ad orationem sufficit gratia *sufficiens seu communis*, quae omnibus datur; *per orationem* autem omnes homines obtinere possunt gratias efficaces, quibus ad difficiliora opera peragenda et ad salutem consequendam indigent. — In quibusdam quaestionibus minoris momenti patroni huius systematis inter se dissentiunt. Sic nonnulli (v. g. *Marin-Sola*) praemotionem *physicam* gratiae efficacis, plerique vero praemotionem *moralem* statuunt. Communius negatur scientia media, sed nonnulli ad eam recurrunt quoad gratiam sufficientem.

611. Doctrina S. Alfonsi maxime hauritur ex eius libro: *Opera dogmatica contra gli eretici pretesi Riformati*, vol. 1 *Delle sessioni del Concilio di Trento, sess. 6. Trattato aggiunto, Del modo come opera la grazia*; versio germanica: *Das hl. Concilium von Trient in seinen Entscheidungen gegen die Neuerer des 16. Jahrh.* (Sämtl. Werke 2. Abt. 1. Bd [Regensburg 1869] p. 111—147). Cf. etiam *Franz Meffert, Der hl. Alf. v. L., der Kirchenlehrer und Apologet des 18. Jahrh.* (Ehrhard-Kirsch, Forschungen II 3 [1901]) p. 191—211, Die Gnadenlehre des hl. Alfonsi.

Systema, prout a S. Alfonso defenditur, *Herrmann* (n. 1215ss) sic exponit: a) *Gratia efficax* est supernaturalis motio intellectus et voluntatis, habens vim quandam peculiarem et efficaciam singularem ad infallibiliter inducendam creatam voluntatem, ut Deo vocanti indeclinabiliter consentiat. Haec gratia ab intrinseco efficax teste revelatione ad opera difficiliora peragenda necessaria est, i. e. ad mandatorum observantiam, ad perfectam cordis conversionem et quam maxime ad finalem perseverantiam. Operatur eadem gratia per *moralem*, non *physicam*, praedeterminationem, ordinarie *per delectationem victricem*, sed aliquoties etiam per alia motiva, ut *spei, timoris* etc. Efficacia gratiae efficienter a solo Deo est, qui ei tantam virtutem et energiam immediate indidit, ut hominis voluntatem indeclinabiliter et invictissime ad consentiendum et bene operandum perducatur. Quem effectum Deus *sine scientia media* infallibiliter praecognoscit ex decreto, quo gratiam hac intrinseca virtute insignitam conferre statuit. Motionem huius gratiae Deus plerumque ingenio, dispositionibus internis, circumstantiis externis hominis *adaptat et contemperat*; tamen efficacia infallibilis non est ex hac attemperazione et congruitate, sed ex vi intrinseca ipsius gratiae. Connexio igitur causalitatis inter gratiam et consensum non est metaphysica, sed moralis, quae licet effectu frustrari absolute possit, eo nun-

quam revera frustratur, non quidem ob consensum ope scientiae mediae infallibiliter praevisum, sed *ob eximiam virtutem ipsi gratiae intrinsecam*, quae morali quidem motione, sed infallibilitate absoluta et absolute certa suum obtinet effectum. Sub hac motione infallibili illaesa manet humana libertas. Concordia libertatis cum gratiae efficacia altum quidem est mysterium, quod in patria tandem perfecte nobis revelabitur, sed satis intellegimus manere *indifferentiam iudicii et potestatem sese determinandi ad oppositum*. Similiter homo gravi impetitus tentatione et speciali auxilio gratiae carens versatur in morali impotentia resistendi et *infallibiliter, attamen libere* consentit peccato. Si diabolus motione morali hominem illaesa libertate infallibiliter trahere potest ad peccatum, a fortiori Deus hoc modo in bonum salutare eum inclinare poterit.

b) Gratia **sufficiens** sive communis est auxilium, quod tribuit homini potestatem undequaque completam et expeditam ad opera faciliora et imprimis ad orationem. Praemovet *moraliter*, sed motione fallibili et vincibili; ergo in actu primo non habet infallibilem cum effectu connexionem causalitatis. Consensum nonnisi *contingenter et dependenter a libera hominis acceptance* operatur. Quandoque effectum sortitur et quandoque eo frustratur. Haec saltem gratia urgente praecepto omnibus communiter conceditur. Est autem tam immediate et proxime ad orandum sufficiens, ut quilibet ea adiutus actu orare possit, si velit, et per orationem uberiora sibi comparare valeat auxilia, quibus ad difficiliora peragenda et ad salutem consequendam indiget. Oratio enim est medium ordinarie necessarium et prorsus infallibile ad comparandam gratiam efficacem. Fervida et perseverans oratio aliquando evadere potest opus arduum, quod gratiam efficacem requirat. Sed omnibus saltem praesto est gratia *tepidioris* orationis, cuius ope gratia orationis *fervidioris* impetrari potest. — Porro iam in antecessum a Deo peti debet auxilium, ne in circumstantiis difficilioribus ab oratione deflectamus. Praesertim gratia omnium pretiosissima ad opus omnium difficillimum, scil. donum perseverantiae finalis, quotidie a Deo efflagitanda est.

c) Ad **distributionem gratiae** quod attinet, Deus ex seria voluntate salvifica universali omnibus gratias ad salutem *vere sufficientes* et imprimis gratiam orandi concedit. Quos his gratiis bene usuros scientia visionis praevidit, iis gratias ab intrinseco efficaces concedere statuit eosque propter merita ope gratiarum efficacium infallibiliter comparanda ad gloriam elegit. Quare praedestinationi ad gloriam praecise sumptam ante praevisa merita et reprobationi antecedenti in hoc systemate non est locus. — Qui scientiam mediam admittit, ipsi integrum erit eidem scientiae inniti ad explicandum, quomodo Deus effectum gratiae, praesertim sufficientis, infallibiliter praevideat. S. Alfonsus autem eam non admittit neque in suo systemate ea indigere existimat. « Non dicimus » ait *Herrmann* (Instit. n. 1228 bis) « Deum, priusquam ferat decretum de danda gratia sufficiente, explorare, quid voluntas sit actura, si haec vel illa gratia ei concedatur; nec affirmamus Deum in

distributione gratiarum sufficientium dirigi scientia illa praevia, quae media dicitur. Sed perhibemus Deum, ob seriam suam, sed antecedentem voluntatem salvandi omnes homines, decrevisse, ante omnem praevisionem consensus vel dissensus ex parte creatae voluntatis, dare cuique homini, mensura tamen inaequali, sed semper sufficiente, satis gratiarum, ut salvari possit, dummodo velit; et videre simul scientia visionis consequente decretum consensum vel dissensum hominis.»

612. 4. Qualificatio. Certum nobis videtur haec systemata cum iis, quae ex dogmate deducuntur, conciliari non posse; tamen a censura theologica abstinemus et probabilitatem externam concedimus.

613. Prob. A. Praedeterminatio moralis in genere.

Argumentum I. Hoc systema *aut* non sufficienter explicat, quod explicandum est, scil. triplicem absolutam infallibilitatem *aut* destruit veram sufficientiam gratiae pure sufficientis et libertatem voluntatis moraliter praedeterminatae; et quanto magis unum servare conatur, tanto magis ab altero deficit.

1. Infallibilitas effectus gratiae efficacis, quae explicari debet, non est moralis tantum, sed absoluta et metaphysica. Metaphysice enim repugnat *Dei praescientiam* falli vel *absolutum Dei propositum* frustrari. Atqui sub influxu praedeterminationis moralis voluntas physicam potentiam proximam et expeditam retinet coniungendi cum hac motione actualem *dissensum*. Ergo non potest a priori cum absoluta certitudine ex solo actu primo cognosci hunc casum nunquam eventurum esse. — Eodem modo gratia sufficiens huius systematis praebet voluntati veram potentiam physicam *consentiendi*. Posset igitur in aliquibus casibus moralis, quae obstat, impossibilitas superari et actus salutaris elici. Ergo Deus neque inefficaciam gratiae sufficientis cum omnimoda certitudine ex actu primo posset praevidere.

614. 2. Quatenus ex hac gravissima difficultate sese extricare conantur, dicendo iam in antecessum ex natura talis motionis relate ad praesentem statum voluntatis hominis lapsi omnem prorsus excludi exceptionem, eo ipso auferunt a) omnem veram sufficientiam a sua gratia pure sufficiente et b) omnem veram libertatem voluntatis gratia efficaci motae. — a) a) Iam eo, quod statuunt *impossibilitatem simpliciter moralem* dandi gratiae sufficienti consensum salutarem, conceptum

valde mirum divinae bonitatis et voluntatis salvificae exhibent. Quicumque enim pereunt, ideo perirent, quia ipsis moraliter impossibile esset, ut se salvarent. Deo igitur interroganti: « Quid debui ultra facere? » (Is 5, 4) iure responderetur: « Salutem redde saltem moraliter possibilem! » — β) Sin dicunt iam ex actu primo infallibili certitudine cognosci posse talem gratiam in tali voluntate non producturam effectum salutarem, nulla remanet veri nominis sufficientia auxilii. — Dicunt *propter peccatum originale* iuste imputari homini, quod hac potentia physica infallibiliter non utatur, cum prava concupiscentia, quae moralem impossibilitatem creet, contra Dei voluntatem ex peccato generis humani originem sumpserit. — Resp. Est *conceptus indignus* peccati originalis, quod homo per solum hoc peccatum ponatur in ea condicione, qua morali necessitate compellatur in gehennam (v. n. 157—161). Insuper omni homini semel iustificato peccatum originale *remissum est* neque unquam reviviscit. — b) Si moralis necessitas sensu latiore sumitur, aliqua utique manet libertas. Sed si antecederet ad praevisum consensum ex solo actu primo talis auxilii in talem voluntatem influentis iam infallibili certitudine determinatum est datum iri consensum, nulla prorsus remanet libera electio. Haec enim requirit, ut positis omnibus praerequisitis, itaque quando actus primus proximus et completus iam habetur, *adhuc sit penes voluntatem* eligere inter plura. Deus licet perfectissime voluntatem et gratiam et omnia, quae ad actum primum pertinent, perspecta habeat atque proinde ex hisce omnibus *summa cum probabilitate* praevidere possit, in quam partem voluntas sese libere sit determinatura, nihilominus, quamdiu actus primus physicam libertatem electionis relinquit, ex eo solo determinatum actum secundum *infallibiliter* praevidere non potest. Essentiale enim est ad libertatem, ut actus primus ex se non ducat cum infallibili necessitate *ad unum determinatum actum secundum*, sed ut sit potius indifferens ad plura.

Effugia: a) Manet indifferencia iudicii; est mysterium etc. — Responsa in th. 22 (n. 594 597) data sunt¹. — b) Exemplum peccati, quod sine auxilio speciali infallibiliter et tamen libere committatur. — R. Ut libertatem servemus.

¹ L. Janssens, *De Gratia* p. 653 ss, ultro fatetur in suo systemate manere magnam difficultatem, immo mysterium inexplicabile, quomodo Deus infallibiliter obtineat consensum, quem intendit, illaesa libertate hominis. Aliis verbis: concedit rem in tota hac quaestione maxime explicandam per suum systema tandem non explicari.

infallibilitatem ope scientiae mediae explicare necesse est (n. 135 c 154). — c) Dicunt: Cum absoluta et infallibili certitudine possum praedicere hominem sanae mentis sibi oculos iocandi causa non esse effossurum, quamvis ad hoc habeat potentiam physicam. — R. Quatenus homo revera ad id physice liber est, antecedenter cum absoluta certitudine non constat nullum unquam hominem hoc esse facturum. Si vero casus ita ponitur, ut omnis ratio boni, etiam apparenter tantum boni, removeatur a cognitione eius, qui de hac re patrandi cogitat, eo ipso etiam removetur potentia physica et libertas electionis.

615. Argumentum II. Hoc systema adversatur experientiae. Praedeterminatio *physica*, si haberetur, sub experientiam non caderet. Sed *moralis* motio praedeterminans observari posset. Illi autem casus, in quibus homo se a gratia tam valide trahi sentit, ut *summam difficultatem*, nedum *veram impossibilitatem moralem reluctandi* experiatur, sane sunt rarissimi. In conversione S. Pauli res fortasse sic se habuit. Sed ordinarie non est ita; immo *frequentissime multo facilius* effusis cupiditatum habenis motioni gratiae *resistitur*.

616. B. Systema Augustinensium argumentis sub A allatis feritur atque insuper nonnullas patitur speciales difficultates.

1. Falsum est suppositum in omni actione moveri hominem aliqua delectatione. Motivum voluntatis non est solum bonum delectabile, sed etiam bonum *honestum* et *utile*. Videntur autem Augustinenses delectationem *latiore sensu* pro amore qualicumque sumere. Sic potest dici voluntas in omni actu *saltem radicaliter* moveri aliquo amore. Sed sunt actus sic dicti aversativi, v. g. timor, in quibus *proxime et formaliter* voluntas movetur odio mali. Augustinenses autem in praesenti quaestione delectationem et caritatem quasi obiectum formale et proximum omnis actus voluntatis exhibent (cf. *Mazz.* n. 631 s).

2. Non minus falsum est omnem gratiam esse aliquam delectationem sive caritatem caelestem. Secundum fontes etiam *alii affectus* divinitus excitati, inter quos est *timor*, habendi sunt motiones gratiae internae: Tridentinum s. 6 cap. 6; s. 14 cap. 4 (Dz 798 897 s); — Ps 118, 120; Ier 32, 40; Eccli 1, 16 27; — Augustinus, Prosper etc. alias quoque affectiones tamquam gratias exhibent. Quae Aug. primo aspectu contraria dicere videtur, aliter explicari possunt et debent (v. n. 510).

3. Tandem falsum est hominem lapsum semper et infallibiliter sequi maiorem delectationem indeliberatam. Si ita esset, iam *nulla remaneret libertas*. Quamdium iudicium indifferens habemus, libere eligere possumus inter bonum *maius* et *minus*, bonum *verum* et *apparens*. Teste *conscientia* saepe eligimus id, quod minus allicit, et resistimus ei, quod vehementius ad consensum sollicitat. — Ipse S. Augustinus hoc expertus et confessus est (*Confess.* 8, 8, 20 [R 1594]): « Non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat. »

Notum Augustini adagium, quod nobis obicitur et quod Iansenio iudice « aureis meretur scribi characteribus », solum valet, quatenus delectatio intellegitur deliberata, i. e. qua effectus liberae electionis: « Quod amplius nos delectat » *deliberate*, sive quod nobis libere eligentibus praeplacet, « secundum id operemur necesse est ». De eiusmodi delectatione libera S. Augustinus aliquoties manifesto loquitur; v. g. *Serm.* 159, 2 (ML 38, 868 s): Primus gradus iustitiae est, « ut inter omnia, quae delectant, plus te delectet ipsa iustitia... Iustitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; et ei delectationi, qua licite delectaris, praepone iustitiam. »

617. C. Systema condeterminationis.

Quatenus patroni huius systematis explicationem per *scientiam mediam reiciunt*, easdem habent difficultates ac defensores praedeterminationis. Si decretum istud divinum *physica efficientia* quocunque demum modo *determinatum consensum causat*, is sane praedeterminatur, quia habetur *prioritas causae efficientis*. — Ut hoc incommodum vitent, Scotistae potius loquuntur de influxu *moralis et affectivo*. Creatura voluntas ob *sympathiam*, quam ad voluntatem divinam habeat, sic se determinare dicitur, uti Deus efficaciter vult. Est *quasi harmonia praestabilita* inter voluntatem Dei efficacem et voluntatem creaturae, sive in creatura est quidam *appetitus innatus*, quo vult ea, quae Deus eam velle absolute decernit. — Contra hoc arguimus: Si appetitus iste est absolute frustrabilis, triplex *infallibilitas absoluta non explicatur*. Si est absolute infrustrabilis, ut auctores illi revera sentiunt, *destruitur libertas*; nam sic consensus creaturae iam antecedenter est necessarius neque amplius est indifferens ad plura. Quare si actus duorum volentium per secretam sympathiam vel quilibet aliud inter se essent ita connexi, ut quod unus velit, eo ipso velit et alter, aut alteruter aut uterque libertate careret; nam libertas exigit, ut agens pro nutu *suo* se determinet, non pro nutu *alterius*. — Alio modo: *Aut* Deus decreto

suo ita determinat creaturam, ut haec indeclinabiliter huic decreto debeat se accommodare, et actum est de *libertate*; aut e converso Deus in ferendo hoc decreto creaturae libere acturae se accommodat, et hoc non potest infallibiliter sine *scientia media*, qua praecognoscat, quomodo in variis adiunctis creatura libere se determinatura esset.

618. D. Systema sorbonicum reicere sufficiat in ea forma, quam Herrmann tamquam doctrinam S. Alfonsi proponit (v. *Ber.* 594—596 483).

1. **Quoad gratiam efficacem** ad opera difficiliora necessaria: Explicatio, quia assumit praedeterminationem moralem, iisdem fere obnoxia est difficultatibus ac systema sub A refutatum. Imprimis urgetur: *Aut* moralis necessitas non explicat absolutam infallibilitatem, *aut* infallibilis necessitas tollit libertatem consensus. Attamen etiam opera difficiliora sunt libera *in se*, non *in causa* tantum, et Syncretistae hanc libertatem omnino volunt servare. — Effugia, quibus Herrmann (Instit. n. 1221 s) huic argumentationi se subtrahere conatur, iam sunt nota et dissoluta.

619. 2. Quoad gratiam sufficientem ad opera faciliora omnibus concessam hoc systema negat id, quod *consentientibus universis Bannezianis et Molinistis* a doctrina catholica exigitur et quod Molinam negasse Thomistae in *Congregationibus de Auxiliis* et alibi frustra ostendere tentaverunt (cf. th. 21, praes. n. 565).

a) Iuxta verba Patris Herrmann n. 611 fin. citata Deus, omnibus hominibus gratias ad orationem et opera facilia vere sufficientes praedestinans, in hoc signo rationis nondum scit, utrum secuturus sit consensus an dissensus hominis; nam scientia *simplicis intellegentiae* nihil ostendit nisi utrumque fieri posse, scientia *media* negatur, scientia *visionis* non antecedit, sed consequitur decretum divinum. Ergo Deus caeae, effectuum ignarus, in aeterna sua praedestinatione gratias sufficientes distribueret. Atqui sic sine dubio destruitur sapiens Dei providentia ¹.

¹ Non potest dici Deus, quando effectum non optatum ex decreto suo sequi cognoscat, mutare hoc decretum; nam ex supposito agitur de scientia *visionis*, quae sola *absolute futura* ostendit; ergo ille effectus Deo ingratus reapse existet. Ad summum Deus posset novum aliquid decretum adiungere, quo conaretur damnatum ex priore decreto secuturum quadamtenus resarcire. Quae cogitatio sane Deo indigna esset.

b) Sic actus orandi vel aliud opus facile, quod gratiam sufficientem non solum sequi potest, sed etiam frequenter sequitur, nullam specialis beneficii rationem haberet prae alia gratia sufficiente, quae ex culpa hominis sine effectu salutari manet. Deus enim *indifferenter* hanc vel illam gratiam elegit et specialem *praedilectionem* non aliter ostendit, quam quod gratias sufficientes *mensura inaequali* distribuit. Sed fieri potest, ut gratiam minus validam sequatur consensus, validiorem vero dissensus. — Econtra fontes omnino postulare videntur aliam praedilectionem, qua Deus alteri prae altero ipsum bonum actum operatur sive donat. *Neque distinguunt* fontes in hac re inter opera *faciliora* et *difficiliora*, uti iam n. 563 monuimus; immo contra *Semipelagianos* urgent etiam prima et levissima *initia* bonae voluntatis, v. g. merum *desiderium salutis*, et expresse etiam *implorationem divinae clementiae*, a Deo dono dari debere; v. Arausicanum can. 3 (cf. n. 558).

S. Augustinus et Tridentinum s. 6 cap. 11 (Dz 804), quando dicunt: «Deus... iubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adiuvat, ut possis», distinguunt inter gratias remote et proxime sufficientes; sed nequaquam dicunt petitionem fieri sine gratia efficaci orationis. Saepe S. Augustinus affirmat Deum ipsum debere dare, ut invocetur a nobis.

c) Consequenter etiam evanesceret ratio specialis beneficii in conferenda gratia efficaci ad opera difficiliora. Nam patroni huius systematis statuunt motionem moraliter praedeterminantem ad difficiliora *infallibiliter* dari iis, qui ope gratiae sufficientis bene orent et faciliora agant. Sic gratia efficax fit *pedissequa bonae voluntatis*. Non Deus discernit infallibiliter (aliqua discretio divina habetur *ex diversa copia* gratiarum sufficientium, quae tamen non est discretio infallibilis), sed homo ipse se discernit. — Specialis praedilectio haberetur nonnisi in casibus extraordinariis, quando Deus, *exceptionem* a communi regula faciens, etiam *male usum* gratiis communibus, v. g. *Saulum*, gratia efficaci praevenit.

d) Neque aliter se haberet res quoad donum perseverantiae finalis et praedestinationem complete sumptam. *Non Deus*, determinatum ordinem gratiarum sciens et volens eligendo, primus *discerneret*, qui salvi futuri, qui perituri sint. Sed potius, postquam gratias sufficientes iam absolute decrevisset, per scientiam visionis tandem disceret, quos ob bonum usum gratiarum sufficientium deberet amplius iuvare

gratiis efficacibus, quos econtra ob malum usum in iustam poenam deserere posset atque (*exceptis* solis iis, quos tamquam *vasa misericordiae extraordinariae* contra communem regulam etiam male meritos ad bonum efficaciter determinaret) de facto desereret.

620. Sorbonici a Semipelagianis eo distinguuntur, quod ad actus faciliores, qui sunt simile quid atque initium fidei antiquae istius controversiae, omnino quidem exigunt gratiam internam supernaturalem. Sed Massilienses huic gratiae non adeo adversabantur, praecise prout dat vires vere sufficientes, sed potius prout a S. Augustino describebatur efficacissime et irresistibiliter conferens ipsum salutariter velle. Quoad reliqua autem Sorbonistae omnino statuere videntur illud systema, quod *Prosper* et *Hilarius* tamquam doctrinam Massiliensium denuntiaverunt S. Augustino et quod Doctor gratiae omnibus viribus debellavit (cf. n. 57—59 197 556). Syncretismus saltem multo propinquier est Semipelagianismo quam Molinismus, cui praetenta haec cognitio tam saepe a Bañezianis probo vertitur, cum Syncretistis fere tamquam sociis utantur in oppugnanda scientia media et stabilienda gratia ab intrinseco efficaci.

621. Scholium 1. De aliis formis Syncretismi. Ios. card. Pecci (frater Leonis XIII), *Sentenza di S. Tommaso circa l'influsso divino e la scienza media* (Romae 1885; versio germ. a G. Triller, *Lehre des hl. Thomas über den Einfluss Gottes auf die Handlungen der vernünftigen Geschöpfe und über die Scientia media* [Paderborn 1888]) bene ostendit praedeterminationem physicam Bannezianorum tollere libertatem neque a S. Thoma doceri. Sed quoniam Dei de liberis condicionate futuris scientiam sine scientia media explicare conatur, cogitur, ut eandem ad scientiam visionis reducat. Sic Christus Mt 11, 21 s non proprie de conversione condicionate futura, sed potius de praesenti statu animi Tyrriorum loquens exhibetur. At hoc modo problema gratiae efficacis solvi non potest¹.

¹ Cf. libros occasione opusculi card. Pecci conscriptos: Gundisalv Feldner O. P., *Die Lehre des hl. Thomas... kritisch beleuchtet* (Graz 1889); Aurelius Adeodatus, *Sr. Em. des Card. J. Pecci Schrift... analysiert* (Mainz 1888 et Kath 1888 II, 225—283). Similem Syncretismum proposuit J. M. Cornoldi S. J., *Quale secondo S. Tommaso sia la concordia della mozione divina colla libertà umana* (Roma 1890); cf. de his sententiis Stufler, *D. Thomae doctrina de Deo operante* p. 13—26. — Mirum systema syncretisticum proponit Mich. (Bäuerle) v. Neukirch O. M. Cap., *Die kath. Lehre von der Gnade in ihrer Schönheit und Harmonie* (Freiburg [Schweiz] 1913), quod systema breviter complectitur in *Estudis Franciscans* 39 (1927) 201—209 ibique 40 (1928) 192—237 fusius exponit. Quattuor classes actuum salutarium distin-

622. *Scholium 2. De doctrina S. Augustini.*

P n. 276—279. — E. Portalié, Augustin, DdTh I 2379 ss. — M. Jacquin O. P. in Rev. d'hist. eccl. 5 (1905) 734 ss. — K. Kolb, Mensch. Freiheit und göttl. Vorherwissen nach Augustin (Freiburg 1908) p. 96. — Tr. Salgueiro, La doctrine de S. Augustin sur la grâce d'après le Traité à Simplicien (Porto 1925) 135—138.

Nonnulli Molinistae rem fere ita depingunt, quasi Augustinus, *Ad Simpl. 1. 1 q. 2* concordiam liberi arbitrii et gratiae efficaciae molinisticae perfecerit. Hoc non esse verum ingenue fatemur. — S. Augustinus, ibidem explicans Rom 9, absolutam *gratuitatem et praevenientiam gratiae* primo docet (cf. n. 28 204 564). Quamvis textus explicandus, v. g. v. 16 et 19, optimam praebuisset occasionem de problemate gratiae et libertatis disserendi et ipse Augustinus antea, *Expos. quar. prop. ex Rom* pr. 62 (ML 35, 2079 s), eandem pericopen explicans, libertatem arbitrii relate ad gratiam ostenderat, iis principiis semipelagianis nixus, quae *Ad Simpl.* reicit, tamen in hac nova explicatione Rom 9 non dicit, quomodo concordia gratiae et liberi arbitrii facienda sit. Ex alia ratione profert (n. 13 s) distinctionem vocationis congruae et incongruae, scil. ut solvat occurrentem difficultatem, qua ratione, si totum opus conversionis inde a primo motu bonae voluntatis Deo debeatur, verum maneat verbum evangelicum: «*Multi vocati, pauci electi.*» — In scriptis posterioribus, quando *data opera* gratiam et liberum arbitrium conciliare vult, ad doctrinam vocationis congruae et incongruae vix recurrit (v. n. 547 s). Effert quidem in *Retract. 2, 1* magnum momentum opusculi *Ad Simpl.* atque in libris *De praed. Sanct. 4, 8* et *De dono persever. 20, 52* Massilienses ad idem opusculum remittit, nequaquam vero eo consilio, ut perspiciant, *quomodo gratia efficax non laedat libertatem*, sed solum, ut intellegant ipsum Augustinum iam tunc temporis *plenam gratuitatem* gratiae eiusque *ad initium fidei necessitatem* docuisse. Ergo certe S. Augustinus *Ad Simpl. 1. 1 q. 2 n. 13 s* nostrum problema solvere noluit.

623. Numquid fortasse nihilominus in doctrina vocationis congruae et incongruae essentia solutionis molinisticae continetur? A priori hoc *parum probabile* est. Secus enim sine

guit et singulas explicandas committit singulis e quattuor systematis Thomismi, Augustinianismi, Congruismi, Molinismi. (Idem auctor septem principales de sacrificio missae theorias in harmoniam redegit.)

dubio S. Augustinus hoc vel alio loco concordiam gratiae et liberi arbitrii secundum principia Molinismi perfecisset. Con-
tinetur utique in dicta distinctione aliqua Dei scientia de
condicionate futuris: « Cuius autem miseretur, sic eum
vocat, quomodo *scit ei congruere*, ut vocantem non respuat. »
Econtra aliorum vocatio « talis fuit, qua moveri non possent
nec eam capere apti essent ». Tamen « *si vellet* etiam ipsorum
misereri, *posset ita vocare*, quomodo illis aptum esset, ut et
moverentur et intellegerent et sequerentur ». Ergo Deus ante-
quam determinatam vocationem decernit, iam scit, quae futura
sit efficax, quae inefficax. — Sed haec nondum est doctrina
scientiae mediae; nam manet quaestio: Unde ex mente
S. Augustini Deus praecognoscit efficaciam et inefficaciam
diversarum vocationum? Possumusne probare sententiam Au-
gustini esse: Deus id cognoscit ex ipso consensu vel dis-
sensu hominis scientia media sub condicione praevisto?
Nullam video rationem convincentem. Non excluditur inter-
pretatio: Deus scientia *simplicis intellegentiae* ex ipso possi-
bili actu primo cognoscit in voluntate tali modo disposita talem
vocationem talem effectum liberum producturam esse. Sine
dubio S. Augustinus *non cogitavit de praedeterminatione phy-
sica* condicionate futura, quae Deo sit medium cognoscendi
effectum diversarum vocationum. Sed solutio *Augustinensium*
bene cum eius principiis cohaeret. Sic Deus ex actu primo, i. e.
ex diversis delectationibus aliisque affectionibus adhuc inde-
liberatis, certo cognosceret, quid voluntas electura esset, si in
concretis condicionibus determinata quadam vocatione tan-
geretur.

624. Possumus quidem ex *Quaest. ad Simpl.* 1, 2 n. 13 nonnul-
los textus afferre, qui explicationi molinisticae faveant;
cuiusmodi sunt: « aptum est, ut *sequantur* », « congruere, ut
vocantem *non respuat* ». Sed *saltem aequae frequentes* sunt alii
modi loquendi, qui potius explicationem augustinianam
suadeant: « *possent accommodare* », « moveri, *non possent* nec
eam capere apti essent ». Suarez quidem totam hanc termi-
nologiam S. Augustini quasi mancipavit in servitium Moli-
nismi vel potius Congruismi (v. n. 628 648), eo quod essentia-
lem congruitatem ex ipso consensu per scientiam mediam
cognito derivat; sed oblivioni dari non debet verba aptitudinis,
idoneitatis, congruitatis, contemperationis etc. *per se* signifi-
care indolem *actui primo* iam antecedenter ad praevisum actum
secundum liberum propriam. Hinc positive probandum

esset S. Augustinum congruitatem eodem modo sumere ac Suarez et, ubi loquitur de necessitate vel impossibilitate consensus et dissensus, has voces ex eius mente intellegi *non de virtute, sed de mera futuritione*. — In scriptis posterioribus S. Augustinus distinctionem vocationis congruae non nisi raro et obiter profert, v. g. *De corr. et grat.* 5, 8 fin. Plerumque simpliciter de *delectatione victrice gratiae* vel de *inspiratione fidei et caritatis* sermo est, quacum bonum velle et operari infallibiliter coniunctum exhibetur.

625. Conclusio. 1. S. Doctor efficaciam gratiae absque dubio aliter intellexit ac **Banneziani**; nam a) explicat *infralapsarie*; b) describit modum agendi *moralem*, influxum scilicet cognitionis et affectionis indeliberatae in liberum arbitrium¹; c) eam *Ad Simpl.* clare exhibet *relativam* ad diversas personas diversasque earum affectiones, neque eam habet indolem *exclusive gratiae internae* propriam, sed potius valde attendit ad *externas* vocationum circumstantias. (In posteriore vita videtur magis extulisse *internam* vim gratiae.) — 2. **Molinismi** essentiam non perspexit; nam a) de gratia efficaci et dono perseverantiae *infralapsarie* sentit (secundum *De corr. et grat.* cap. 10—12 boni angeli durante statu viae perseverarunt in gratia sine alio auxilio et sine maiore Dei beneficio, quam etiam angeli lapsi habuerunt; v. n. 548); b) *nunquam* concordiam gratiae et libertatis iuxta principia Molinismi adeo perspicuam *exposuit*, quamquam ipse hac quaestione «vehementer angustabatur» et ab adversariis valde premebatur (v. n. 547 ss). Nonnulla utique habet, quae Molinismo *propinqua* sunt eumque *quadammodo praeparant*. — 3. Ipse *aut* simpliciter asseruit Deum omniscium et omnipotentem scire, quibus influxibus liberum arbitrium in singulis circumstantiis cessurum sit, et posse influxus infallibiliter efficaces adhibere, quin amplius inquisiverit, in quo medio Deus efficaciam cognoscat; *aut*, si quid ulterius statuit, potius eas ideas adumbravit, quas **Augustinenses** postea magis systematice expresserunt. Hoc *eo facilius* fieri potuit, quia a) *de sequelis peccati originalis aequo durius sensit* et consequenter de vera sufficientia vocationis incongruae non multum curavit; b) quia impugnando extremum conceptum libertatis pleni aequilibrii, quem Pelagiani urgebant, eo pervenit, ut *libertatem indifferentiae* a mera

¹ Id iam Bellarminus invicte ostendit in scripto ad Paulum V misso, quod Le Bachelet edidit, *Auctarium Bellarminianum* (Paris 1913) 11, p. 149—172.

voluntarietate non satis distingueret (v. n. 548 s). — Postquam per philosophiam scholasticam clarissime ostensum est ad libertatem et imputabilitatem alicuius actus requiri eius libertatem ab omni interna necessitatione, non iam potuit media via sisti; sed *aut* cum Iansenistis *haeretice* dicendum erat: «In statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate»; *aut* cum Augustinensibus *contra logicam* praetendendum servari libertatem a necessitate; etiamsi ex solo actu primo determinatus actus secundus infallibiliter secuturus a Deo praecognoscatur; *aut* tandem cum Molina et Suarez ideae S. Augustini de *congruitate* gratiae efficacis tam *caute evolvendae* et, ubi opus fuit, *modificandae* erant, ut *vera libertas indifferentiae* cum eiusmodi congruitate stare et tamen *infallibilis efficacia* gratiae congruae salvari posset, i. e. efferri debuit *congruitas essentialis* ex consensu condicionata futuro oriunda et *per scientiam mediam* a Deo praecognita.

Thesis 24. Efficaciam gratiae Molinismus ope scientiae mediae recte explicat.

626. P pr. 22. — Palm. th. 55—58. — Mazz. n. 658—740. — Lah. th. 36. — Schiff. n. 257—269. — Ber. n. 597—692. — H. Quilliet, art. *Congruisme* in *DdTh* 3, 1120—1138 (praesertim 1121—1126 1129 s).

St. qu. 1. Nexum v. n. 578. Falsis explicationibus th. 22 et 23 reiectis nunc vera statuitur.

627. 2. **Sensus.** Problema solvendum v. n. 554 et 579. Non agitur de efficacia *virtutis*, quae est ex ipsa natura gratiae neque ullo modo a consensu pendet. Agitur de efficacia *operis* sive *connexionis*; sed haec non dicit *solam in actu secundo* efficaciam, quae aperte producitur cooperatione gratiae adiuvantis et liberi arbitrii consentientis. Explicandum est, quomodo gratia efficax iam in actu primo ita distinguatur a gratia mere sufficiente, ut ipsa infallibiliter effectura sit consensum, altera autem infallibiliter sit caritura consensu, atque sic gratia efficax *qua beneficium divinum* superet gratiam pure sufficientem. — Tentamina solutionis, quae th. 22 et 23 reiecitimus, commune id habent, ut efficaciam ex interna natura auxiliorum, sive absolute sive relative ad praesentes condiciones liberi arbitrii spectata, hinc ex interno discrimine, sive specifico sive graduale, inter auxilia efficacia et pure sufficientia explicent, ita quidem, ut iam ex actu primo voluntatis sub influxu talis gratiae constitutae infallibiliter a Deo dignosci possit,

utrum consensus an dissensus secuturus sit. Sed ostendimus hoc modo aut *libertatem voluntatis et sufficientiam gratiae inefficacis laedi aut absolutam infallibilitatem* non explicari. — Alia via procedit Molinismus (cuius historiam v. n. 574 ss).

628. Molinismus saepe vocatur **Congruismus**. Sed plurimi sub voce Congruismi specialem formam huius systematis intellegunt, a Bellarmino praesertim et Suarez propositam, quae a puro Molinismo non quidem in ipsa gratiae efficacis per scientiam mediam explicatione, sed in quaestionibus adnexis praedestinationis ad gloriam et praedefinitionis honorum operum discrepat (v. schol. 1). — Omnes theologi Societatis Iesu gratiae efficaci prae pure sufficiente cum S. *Augustino* quandam congruitatem sive adaptationem et contemperationem relate ad dispositiones et affectiones hominis adscribunt (cf. n. 622 ss). Suarez quidem hoc elementum *magis urget*, sed Molina idem non omittit (P 282 alin.). Uterque expresse negat ex sola congruitate antecedente, i. e. quae in signo priore ad consensum praevium ut condicionate futurum spectetur, nexum infallibilem posse explicari. Raro sane haec congruitas tanta est, ut moralem certitudinem consensus importet, ac ne talis quidem certitudo explicaret nexum infallibilem (v. n. 613). Congruitas igitur antecedens, licet in gratia efficaci plerumque inveniatur, tamen non est necessaria et aliquoties deest. Nam homo, quamquam ordinarie influxui sibi contemperato potius consentit, nihilominus pro sua libertate suasioni etiam minus congruae acquiescere potest; secus enim gratia pure sufficiens non esset vere sufficiens. Haec omnia etiam Suarez explicite agnoscit, *Opusc. de concursu et efficaci auxilio Dei* l. 3 cap. 14 n. 8 (ed. Vivès tom. 11 p. 223 s). Quatenus ex congruitate infallibilem nexum explicat, intellegit eam congruitatem, quae est in signo posteriore ad futuribilem consensum seu quae dependet a scientia media. Sic etiam S. *Augustinum* interpretatur: « Non enim consideravit tantum congruitatem, quam vocatio *secundum se* habet cum ingenio vel natura hominis, quae est congruitas quasi in actu primo, sed *etiam ac praecipue* proportionem illam consideravit, quae in hoc consistit, quod vocatio tunc datur, *quando operatura est*, quae proprie consistit in actu secundo, et *maxime congrua* dici potest, quia maxime congruit homini, cui melius est vocari, quando responsurus est, etiamsi remisse vocetur, quam fortiter vocari, cum consensurus non est » (n. 9 [p. 225]). — Eodem igitur modo Suarez et Molina concordiam gratiae efficacis cum libero arbitrio ope scientiae mediae explicant.

629. **Explicatio molinistica** est haec: Deus eam confert gratiam, cui hominem libere consensurum esse ipse infallibili certitudine praescit. Quam infallibilem praescientiam Deus non haurit ex perspecto actu primo talis gratiae et talis voluntatis, sed ex ipso consensu voluntatis, quem futurum esse, si hanc gratiam daret, antequam eam dare absolute

decrevit, iam infallibiliter scit. Scientia autem, qua Deus istum actum liberum, prout est *condicionate futurus*, infallibiliter novit, vocatur **scientia media**, quia medium locum tenet inter Dei scientiam necessariam (naturalem) et liberam; sicut *Molina* dicere solebat, vel, ut hodie plerumque dicitur, inter scientiam simplicis intellegentiae et scientiam visionis. — De scientia Dei v. P II n. 177 ss.

630. Scientia simplicis intellegentiae Deus cognoscit *possibilia* praecisive sumpta; haec scientia est *necessaria*, quia ad essentias rerum immutabiles spectat. Scientia visionis Deus cognoscit omnia *existentia*, praeterita, praesentia, futura; haec est *necessaria*, quatenus eius obiectum est ipse *Deus* entitative sumptus, *libera*, quatenus ad terminos liberorum Dei decretorum, i. e. ad *creaturas*, refertur. Si vero agitur de iis *futuris contingentibus*, quae in suis causis non determinantur ad unum, admittenda est aliqua tertia scientia divina. Quia in toto ambitu causarum naturalium stricta et determinata necessitas regnat, indifferentia actus primi proximi ad diversos actus secundos non invenitur nisi in causa *libera*. Quatenus post absolutum decretum Dei actus liberi, ad unum determinati per liberum creaturae arbitrium, aliquando reapse *futuri* sunt, pertinent ad obiecta scientiae visionis. In eo autem signo, in quo solus actus primus proximus ad plura indifferens spectatur, neque scientia simplicis intellegentiae neque scientia visionis ostendit, quis determinatus actus liber talem actum primum, si produceretur, revera secuturus esset. Tamen condicione actus primi verificata non sequeretur nisi unus et determinatus actus secundus, omissis libere aliis actibus aequae possibilibus. Actus liber in hoc signo rationis spectatus vocatur *condicionate futurus* sive *futuribilis*. *Futuribilitas* interiacet media inter meram possibilitatem et absolutam futuritionem. Quare ea scientia, qua Deus, secundum nostrum modum concipiendi ratione *post* cognitam possibilitatem et ratione *ante* praevisam futuritionem alicuius actus liberi, futuribilitatem eiusdem actus perspicit, apte vocatur scientia media¹.

De actibus igitur liberis creaturarum, qui auxilia gratiae sequuntur, Deus has diversas habet scientias: a) Scientia simplicis intellegentiae cognoscit *possibilitatem* variorum

¹ Consueta divisio divinae scientiae non placet Patri M. de la Taille S. J., *Sur diverses classifications de la science divine* (RechScRel 1923, 7—23); v. responsum P. Fernand de Lanversin S. J. (ibid. p. 528—535).

actuum; v. g.: Si Petro confertur haec gratia vere sufficiens, potest converti et potest non converti. Nam quoniam agitur de actu libero, possibilitas ad plura et opposita extenditur. — b) Tamen si condicio verificatur, non eveniunt plura opposita, sed unus determinatus actus. Petrus sub influxu istius auxilii pro sua libertate aut determinate se convertet, aut determinate non se convertet. Ponamus aliquando determinate verum futurum esse: Petrus per hanc gratiam convertitur. Antequam conversio reapse fit, iam vera est propositio in tempore futuro enuntians: Petrus per hanc gratiam convertetur. Hoc liberum *absolute futurum* Deus cognoscit scientia visionis. Evasit autem absolute futurum eo, quod Deus absolute decrevit se Petro in talibus adiunctis tale auxilium daturum esse. — c) Sed etiam ante hoc decretum absolutum iam vera erat propositio condicionalis, qua conversio tamquam condicionaliter futura enuntiatur: Si Petro daretur haec gratia, converteretur¹.

631. Ex data explicatione apparet conversionem Petri conditionate futuram sive futuribilem revera esse mediam inter conversionem possibilem et conversionem absolute futuram; porro eam scientiam, cuius obiectum est, esse mediam inter scientiam simplicis intellegentiae et scientiam visionis. — Obiectum scientiae mediae vere distinguitur ab obiectis aliarum Dei scientiarum. Conversio enim futuribilis non est idem ac conversio possibilis. Sub tali auxilio etiam non-conversio est possibilis, quamquam ex supposito sola conversio est futuribilis. Sed ex altera parte nondum est conversio absolute futura, quia in hoc signo rationis non decisum est, utrum Deus auxilium istud dare velit necne. — Ergo conversio sub conditione talis gratiae futura non cognoscitur a scientia simplicis intellegentiae, quae possibilem ostendit tam conversionem, quam non-conversionem et salva libertate Petri non potest determinate conversionem ut unice possibilem ostendere; neque cognoscitur scientia visionis, quia Deus hucusque nondum quidquam circa collationem huius gratiae decrevisse ponitur. Quare actus liber condicionaliter futurus praecise qua talis est obiectum alicuius scientiae divinae, quae inter istas duas scientias media intercedit². — Possibilitas, futuribilitas, futuritio actus liberi revera hoc ordine inter se excipiunt. Possibilitas est prima, cum neque futuribilitatem neque futu-

¹ Auctores condicionaliter futura in forma propositionis hypotheticae irrealis exprimere solent; sensus autem talis propositionis non intellegitur, quasi negaretur realitas, sed potius praescindendo a verificatione conditionis.

² Ad cognoscendos effectus necessarios condicionaliter futuros non requiritur scientia media; nam sola scientia simplicis intellegentiae ostendit: Si hae causae necessariae ponerentur, necessario eventurus esset hic determinatus effectus.

ritionem supponat. Futuribilitas possibilitatem quidem supponit, sed nequaquam futuritionem. Haec ultima autem illas ambas iam praesupponit. Ergo secundum hunc ordinem obiectorum tres istas Dei scientias logice ordinare debemus.

Scientia media non pertinet ad scientiam Dei liberam; antecedenter enim ad omne decretum Dei habetur, et haberetur, licet Deus nihil unquam crearet. Sed neque eodem sensu est scientia necessaria atque scientia possibilium; nam non ex immutabili rerum essentia profluit, sed ex libera voluntatis creatae determinatione condicionate futura. Contingenter igitur est in Deo sive posset esse alia. Si enim Petrus sub ista gratia non esset consensurus, sed potius dissensurus, id quod omnino possibile est et a nulla alia causa nisi ab eius libero arbitrio pendet, Deus ab aeterno, non prout nunc res se habet, futuribilem conversionem, sed econtra non-conversionem Petri ut sub eadem gratia futuribilem scientia media praecognosceret. — Varia responsa Molinistae dant quaerenti, in quonam medio Deus libera futuribilia cognoscat. Sed haec quaestio exclusive pertinet ad tractatum de Deo Uno. Nunc nihil aliud supponimus nisi in eodem tractatu cum certitudine probari: Deus scientia media infallibiliter cognoscit omnia libera condicionate futura (P II pr. 32 37—39).

632. Ope igitur huius divinae scientiae mediae dicimus Molinismum recte explicare efficaciam gratiae; i. e. Molinismus prae ceteris systematis iam tamquam falsis reiectis revera explicat triplicem illam infallibilitatem gratiae efficaciæ neque offendit contra ullam aliam veritatem fidei et rationis ac imprimis salvat, quae salvari debere thesi 20 et 21 probavimus et ab aliis systematis ex parte laedi thesi 22 et 23 ostendimus.

633. 3. **Adversarii** sunt patroni systematum reiectorum, imprimis Banneziani, qui *scientiam mediam Dei negant et veritates, quae cum thesi 21 cohaerent, a Molinistis haud secus atque a Semipelagianis laedi contendunt.*

4. **Qualificatio.** Certa, ita ut aliis systematis non remaneat nisi probabilitas mere externa ob auctoritatem suorum asseclarum et tolerantiam Ecclesiae.

634. **Prob.** Explicatio molinistica censenda erit vera et certa, si I° nulla alia explicatio satisfaciens praesto est neque haberi potest; si II° nostra explicatio rem explicandam, i. e. triplicem infallibilitatem gratiae efficaciæ prae mere sufficiente, revera et evidenter explicat; si III° contra nullam aliam veritatem necessario servandam et in hac materia facile violabilem offendit. — *Atqui* haec tria obtinent. — Ergo Molinismus certo est recta explicatio gratiae efficaciæ.

I. 1. **Nullam aliam explicationem, quae satisficiat, hucusque allatam esse** ex duabus thesibus praecedentibus iam satis constat. — 2. Nullam aliam **fieri posse** hoc argumento exclusionis ostenditur: Efficacia gratiae nequit explicari a) ex solo actu secundo; nam hoc nihil aliud esset nisi *negare efficaciam illam antecedentem*, quam fontes omnino exigunt (th. 21); — neque b) ex solo actu primo, i. e. ex natura talis gratiae et talis voluntatis cum determinatis adiunctis personae, temporis, loci etc., quia hic actus primus *aut* necessario duceret ad determinatum actum secundum, et destrueretur libertas arbitrii et sufficientia gratiae non efficacia, *aut* relinqueret posibles diversos actus secundos, et non obtineretur vera infallibilitas gratiae efficacia (th. 22 23). — Ergo nihil restat, nisi ut explicetur per aliquid, quod est medium inter aliquem determinatum actum secundum, quatenus *cum aliis actibus* post unum eundemque actum primum *possibilis* est, et hunc actum secundum, prout iam est *absolute futurus*. Unicum vero, quod hoc sensu medium cogitari potest, est consensus futuribilis sive sub conditione futurus, quem Deus *scientia media* praescit. Hoc unicum medium inservit explicationi molinisticae eique essentiale est, cum ab omnibus aliis systematis sibi constantibus respuatur.

635. II. Molinismus triplicem infallibilitatem, obiectivam, cognoscitivam, affectivam, vere et evidenter explicat. — Explicatio enim molinistica est haec: In Deo decernente atque conferente aliquam gratiam efficacem haec distinguenda sunt **5 signa rationis**: 1. Per scientiam simplicis intelligentiae Deus cognoscit omnia *auxilia possiblea*, quae Petro darent *vires vere sufficientes* ad eliciendum actum salutarem conversionis. — 2. Per scientiam mediam Deus cognoscit inter haec auxilia possiblea et vere sufficientia esse nonnulla, quibus Petrus, si ipsi in hisce concretis circumstantiis versanti et taliter disposito darentur, libere esset *consensurus*, v. g. *auxilium A*, et alia, a quibus in iisdem circumstantiis eademque dispositione aequae libere esset *dissensurus*, v. g. *auxilium B*. — 3. Hac praelucente scientia media Deus *ex seria voluntate*, ut conversio Petri fiat, et *cum singulari in eum benevolentia*, gratuito eligit *auxilium A*, iam praevium efficax, si daretur, illudque se Petro daturum *absolute* decernit. — 4. Post hoc absolutum suae voluntatis decretum Deus iam videt scientia visionis conversionem Petri ope auxilii *A absolute futuram*. — 5. Haec ab aeterno cognita et decreta Deus tempore

praestituto exsequitur, Petro reapse conferens in istis circumstantiis auxilium A; cui Petrus libere consentiens convertitur.

636. In casu gratiae pure sufficientis **correspondentia signa rationis** sunt haec: 1. Deus scientia simplicis intellegentiae cognoscit omnes gratias vere sufficientes, quibus conversio Iudae possibilis reddatur. — 2. Scientia media cognoscit alia ex hisce auxiliis, si darentur in determinatis circumstantiis, de facto productura liberam eius conversionem, v. g. *auxilium C*, alia vero eandem non productura, v. g. *auxilium D*. — Signa 1 et 2 sunt igitur eadem atque in casu gratiae efficacis. Discrimen intervenit in sequenti signo: 3. Deus ex seria, licet condicionata voluntate salvifica, sive *serio*, non tamen absolute, *intendens Iudae conversionem*, quam desiderat et per hoc decretum vere possibilem reddit, at *sine speciali illa praedilectione*, quam erga Petrum exhibere ipsi placuerat, absolute decernit se daturum Iudae auxilium D, praevisum ut inefficax, si in his circumstantiis daretur, simulque decernit se permissurum ex sapientibus bonisque rationibus Iudae non-conversionem et in malo obdurationem, post tale auxilium ex perversa eius voluntate libera secuturam. — 4. Scientia visionis Deo ostendit Iudae non-conversionem absolute futuram. — 5. Suo tempore Deus auxilium D vere sufficiens Iudae confert, quod ex culpa Iudae libere resistentis manet inefficax ac conversionem minime operatur.

637. Iuxta hanc explicationem gratia efficax est auxilium intrinsecus quidem indifferens¹, sed non fit efficax per solum actum secundum. Econtra iam vere est efficax in actu primo, idque ex hoc, quod a Deo donatur, prout subest a) in ordine *obiectivo* futuritioni condicionatae consensus, b) in ordine *cognoscitivo* scientiae mediae Dei eandem futuribilitatem cognoscentis, c) in ordine *volitivo* praedefinitioni consensus absolutae, quam Deus praelucente scientia media fecit. Hinc gratia molinistice efficax infalibilem habet efficaciam *ex triplici elemento*, quod praevisum consensum voluntatis absolute futurum *ratione praecedat*. Nam ratione *prius*, quam certum esset consensum istum salutarem aliquando absolute datum iri, a) iam *obiective verum* erat talem gratiam, si tunc tali voluntati daretur, eius consensum

¹ Hoc non vult dicere: Omnino aequaliter sive neutro se habet ad assensum dissensumve; nam quaevis gratia ad solum assensum voluntatem inclinat, et gratia efficax cum solo assensu cooperatur. Intrinsicam igitur indifferentiam auxilii efficacis nihil aliud dicit nisi illud ex interna sua entitate non esse infalibiliter nexum cum consensu, sed idem prorsus vel etiam validius auxilium aliquando sive in alio sive in eodem quoque homine carere effectu salutari.

esse effecturam; — b) Deus hanc certam veritatem iam *infallibiliter cognovit*; — c) *Deus* sciens volensque hunc effectum salutarem, libere decernendo talem gratiam hoc suo decreto infrustrabili *futuritionem* actus salutaris primus *determinavit*. Ergo gratiae molinistice efficaci revera competit antecedens illa efficacia triplici elemento infallibilitatis insignita.

638. a) **Infalibilitas obiectiva** ut habeatur, obiective oportet esse infallibiliter certum: Haec gratia efficiet consensum. Atqui id est obiective infallibiliter certum, quia antequam futura existentia huius gratiae libero Dei decreto determinaretur, iam obiective vera infallibiliterque certa erat propositio condicionalis: Si haec gratia daretur, *illatura esset* consensum. Divino decreto aliquando dandi eandem gratiam impletur condicio, habeturque propositio absoluta infallibiliter certa: Haec gratia *inferet* consensum. — b) **Cognoscitiva** infalibilitas competit gratiae molinistice efficaci, prout subest divinae scientiae. Quae non potest esse scientia simplicis intelligentiae, quia haec ostendit *plura diversaque* pro libertate arbitrii creati fieri posse, sed non designat, quid ex hisce possibilibus determinate eventurum sit. Neque est scientia visionis, quia haec non complectitur nisi *aliquando existentia* nihilque aliquando existit, nisi quatenus Deus eius existentiam absolute decrevit; sed nunc agitur de scientia, quae divino decreto ita debeat praelucere, ut regimini mundi sapienter possit providere, quae proinde non sequitur, sed *antecedit* decretum Dei. Ergo est scientia media de liberis futuribilibus, qua Deus certo cognoscit hanc gratiam esse aptum medium ad consensum infrustrabiliter obtinendum; quae divina scientia aequae est infallibilis atque omnis alia Dei omniscii cognitio. — c) **Affectiva** tandem infalibilitate gratia efficax insignitur, prout subest divino decreto, quod praeluente scientia media actum salutarem praedefinit, sive prout ad actum salutarem obtinendum a Deo est absolute volita et ordinata. Atqui si Deus, benevole intendens consensum hominis, seligit auxilium, quod scientia media perhibetur efficax, tale decretum divinae voluntatis est prorsus infallibile et infrustrabile; nam scientia media nequit falli et consequenter decretum eidem innitens nequit frustrari.

639. III. Molinismus servat omnes veritates in hac re servandas.

A. Servat veritates thesi 20 stabilitas et thesi 25 stabilendas.

1. **Gratia pure sufficiens est vere sufficiens**; nam secundum totam suam entitatem est eiusdem rationis ac gratia efficax; virtutem prorsus sufficientem, fortasse aequalem vel etiam maiorem quam gratia efficax confert. Utraque gratia est: auxilium supernaturale praebens vires ad actum salutarem eli-

ciendum sufficientes, dummodo voluntas iis uti velit. *Discrimen*, quo gratia efficax a pure sufficiente differt, est *triplex ille respectus* ad futuritionem condicionatam, scientiam mediam et praedefinitionem actus salutaris. Atqui hic respectus quoad sufficientiam nihil mutat. Eidem gratiae, cui de facto non consentit voluntas, omnino potest consentire, atque hoc unice ab ipsius libera electione dependet. Si consensum eligeret, eo ipso adesset dictus triplex respectus, quia in hoc casu consensus esset futuribilis, qua talis a Deo cognitus et decreto voluntatis divinae praedefinitus. Sic actus salutare non praedefiniti *possunt* tamen fieri ope gratiae sufficientis, homines non perseveraturi *possunt* perseverare, non praedestinati *possunt salvari*. Haec omnia possunt fieri vera *potentia virtutis*, quae *antecedit* Dei de usu libertatis humanae praescientiam, sive possibilia sunt *in sensu diviso* ab hac praescientia; non possunt fieri *potentia futuritionis*, *consequente* eandem praescientiam sive *in sensu composito* cum eadem.

2. Offerendo et conferendo omnibus hominibus gratias ad salutem vere sufficientes, prout modo descriptae sunt, **Deus seriam voluntatem salvificam universalem exhibet**, antecedentem utique et condicionatam, quia liberam hominum cooperationem exigit.

3. **Servatur vera libertas indifferentiae**. Haec enim destruitur necessitate sive infallibilitate, quae *exercitium libertatis antevertit*; non laeditur ea infallibilitate, cuius existentia iam *supponit exercitium libertatis*, saltem ut sub conditione futurum. Atqui in systemate nostro evidenter hoc alterum obtinet.

640. B. Neque laeduntur eae veritates, quae cum thesi 21 cohaerent.

1. **Sapiens Dei providentia** requirit, ne per causas liberas turbetur ordo a Deo praestitutus. Eiusmodi turbatio omnino arceatur eo, quod Deus nihil caece sive eventuum ignarus decernit. Antequam enim de quacumque re absolutum condat decretum, iam infallibiliter scit, quid ex eodem et quid ex quolibet alio possibili decreto, si fieret, eventurum esset, idque etiam ubi liberi intercedunt creaturarum actus.

641. 2. Quare perfecte quoque servatur **Dei in creaturas liberas dominium**, minimeque in Molinismo valet, quod *Iulianus Aeclanensis* Pelagianus asseruit, libero scil. arbitrio homi-

nem a Deo esse *emancipatum* (n. 35). Deus enim non solum *dat* liberum arbitrium datumque *conservat* atque *inclinat* cum in bonum *universale* per appetitum innatum beatitudinis, tum in bonum *supernaturale* per habitus infusos et per actus gratiae praevenientis, quos ipse speciali concursu producit, sed insuper in ipsum determinatum libertatis exercitium decisive influit, quatenus scilicet praelucente scientia media liberum arbitrium in determinatis decernit ponere adiunctis et hoc modo futuritionem actus liberi determinate scientia media praecogniti *praedefinit*.

Ope scientiae mediae Deus omnem omnino possibilem creaturam rationalem ad quamlibet liberae voluntatis determinationem possibilem sive positive sive permissive adducere posse videtur (cf. n. 187). Scientia enim simplicis intellegentiae Deus in omni casu possibili innumeros maximeque varios videt influxus et bonos et malos, quibus ipso volente vel permittente subici possit voluntas creata; scientia autem media videt futuri-biles liberi arbitrii ad istos influxus reactiones valde diversas. Sic in specie Deo non desunt gratiae, quibus vel pessimam voluntatem ad liberam conversionem summamque sanctitatem possit perducere; neque e converso deficient occasionem, quibus permissio peccati et in malo obdurationis vel in optima voluntate creata deduceretur in effectum. Voluntas tam mala, ut sub omnibus gratiae influxibus, qui Deo omnipotenti praesto sunt, libere eligat malum, non iam esset voluntas, i. e. potentia appetendi bonum. Saltem certo certius Deus tale monstrum non creavit, cum fontes ipsi plenissimam quemlibet peccatorem convertendi attribuant potestatem. Similiter voluntas tam bona, ut in omnibus adiunctis possibilibus, in quibus libere assentire adhuc possit, etiam revera bonum honestum amplectatur, iam non videtur habere illam defectibilitatem, quae omni creaturae in oppositione ad Deum sanctissimum et immutabilem essentialis est¹; vel certissime in ordine naturae lapsae creatura tam insigniter bona non invenitur, quoniam saltem intra hunc ordinem gratia efficax ut specialius Dei beneficium a gratia sufficiente certo distinguitur (v. th. 21).

Hinc penitus servamus, quod Scriptura docet Prov 21, 1: « Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud », et quod Augustinus toties effert, v. g. *Ench.* 98; *De corr. et grat.* 14, 43; (v. supra n. 564 et R 1926 1961 1963). — Molinismus egregie ostendit, quomodo tale perfectum Deum dominium cum liberis creaturarum actibus concilietur. Non negat Deum posse hoc dominium etiam eo exercere, quod voluntatem creatam cum infallibilitate ad actum determinatum physice vel moraliter praemoveat; sed

¹ Quare non placet, quod cum nonnullis Molinistis imprimis Henao asserit, non repugnare creaturam tam bonam, ut obdurari nequeat (v. *Ber.* n. 619 I 2).

negat, si quando Deus ita agat, in hoc casu manere libertatem. Duabus enim viis Deus voluntatis creatae actum infallibiliter obtinere potest; sed praedeterminando obtinebit actum necessarium, consulendo scientiam mediam actum liberum. — Summum Dei dominium exigere nequit, ut voluntatem creatam praedeterminatione physica sive morali ad liberum possit movere actum; nam chimaeram postulare nequit. Adversarii *a priori* fingunt aliquem conceptum Dei summi domini primique liberi, quocum existentia libertatis creatae pugnat; ergo simile vitium methodicum committunt atque *Occasionalistae*, qui eum conceptum Dei causae primae efformant, cui omnis repugnet causalitas creata, vel etiam *Pantheistae*, qui eam entis absoluti ideam statuunt, qua coëxistentia entium contingentium excludatur.

642. 3. Plena gratuitas gratiae etiam qua efficaci salvatur.

Haec gratuitas praecipue habetur in collatione primae gratiae efficaci prae mere sufficiente, unde in totam seriem sequentium gratiarum efficacium redundat, licet *singula* huius seriei *membra* per rationes *meriti de congruo* vel *impetrationis* inter se coniuncta esse possint. Nullatenus mereri potuit homo, ut Deus eligeret primam aliquam gratiam praevisam ut efficacem prae alia praevisa ut pure sufficiente. Ad hanc electionem Deus moveri potuit neque per merita existentia, quae ante primam gratiam efficacem nulla sunt, neque per merita absolute praevisa, quae pariter non habentur ante praevisionem et proinde ante electionem primae gratiae efficaci; neque per merita condicionate praevisa, quae sane alicuius praemii absolute dandi ratio esse non possunt. Accedit, quod praevisis meritis condicionate futuris sociantur praevisa demerita condicionate futura. Nam inter plurimos et diversissimos ordines futuribiles Deus scientia media videt nonnullos, in quibus et Petrus et Iudas forent sanctissimi, alios, in quibus uterque futurus esset pessimus, alios, ubi Petrus sanctissimus, Iudas pessimus, alios, ubi e converso Iudas sanctissimus, Petrus pessimus, alios, ubi Petrus paulo melior Iuda, alios, ubi Iudas paulo melior Petro, e. i. p. Quomodo in hoc signo rationis alter prae altero per praevisa merita mereri possit, ut absolute decernatur ille ordo, in quo ipse convertatur et salvetur? Hinc Deus tandem discernit inter Petrum et Iudam; nam in ordine *futuribilium* nulla est discretio, quae influere possit, et ordo *absolute futurus* a Deo decernitur, qua decretionem eo ipso fit discretio. Sic nemo de ullo bono gloriari potest, quasi non acceperit (cf. 1 Cor 4, 7 et *August.* de hoc textu; n. 65). Quicumque bonum facit, non

solam *virtutem* bene agendi accepit, sed etiam ipsam boni *operationem*, idque *prae alio*, qui virtutem quidem accepit eandem sive etiam maiorem, actuale autem velle et operari non accepit.

643. 4. Servatur ratio specialis beneficii in collatione gratiae efficacis prae pure sufficiente et consequenter in **dono perseverantiae et praedestinatione completa**. Eam servari, si cum *Bellarmino* et *Suarez* praedefinitio formalis omnium bonorum operum et praedestinatio ad gloriam praecise sumptam ante praevisa merita statuitur, manifestum est (cf. n. 648). Sed etiam purus Molinismus, non obstante praedefinitione virtuali tantum et praedestinatione ad gloriam post praevisa merita, eandem rationem beneficii satis servat. Ipse Molina haec omnino servare voluit et in suo systemate servari censuit (v. P 287). Deus iuxta Molinam ex liberrimo suo beneplacito eam gratiam eligit, quam iam in signo priore ad electionem novit fore efficacem, si daretur, eamque eligit, quamvis cum eadem plenissima libertate eligere possit aliam gratiam, quam scivit inefficacem fore, si daretur. Omnem quidem gratiam praedestinat ex seria intentione, ut bonum faciat homo. Quae intentio, quamdiu gratia ut praecise sufficiens spectatur, est condicionata. Si dein Deus gratiam ut condicionate producturam effectum salutarem praecognitam eligit et absolute decernit, eo ipso futuritio actus boni iam absolute ei placet et absolute intenditur. Sane nemo dubitare potest, quin decernere gratiam praevisam ut efficacem prae alia praevisa ut inefficaci et hoc decreto absolute praedefinire actum bonum *in aestimatione morali* multo maius sit beneficium et materiale et formale, licet praelecta gratia *quoad entitatem et virtutem* sit aequalis vel minor quam gratia inefficax (cf. n. 566 c). — Hoc insigne beneficium maxime apparet in libera praedestinatione et collatione totius seriei gratiarum praevisarum ut efficacium, qua serie homo usque ad beatum finem perducatur, prae alia serie gratiarum, in qua vita praevidetur finiri in statu peccati. Ergo perseverantia finalis et praedestinatio completa etiam in puro Molinismo retinent rationem specialis beneficii (cf. n. 571 654).

644. 5. Tandem servatur mysterium electionis gratiae, quod cum S. Paulo (v. g. Rom 11, 33 ss; Eph 1—3) saepe extollit S. Augustinus (v. g. *Ad Simpl.* 1, 2 n. 16 22; *De spir. et litt.* 34, 60; *Serm.* 27, 6, 6 [R 1496]; *In Io* 26, 2 [R 1925]; *De corr. et gr.* 8, 17 [R 1949]; *De praed. Sanct.* 18, 36 [R 1989]; *De dono*

persev. 9, 21 [R 1995]; *Op. imperf.* 1, 48 [R 2007]). Si quaeritur, cur Deus elegerit hunc ordinem, in quo praevidebat Petrum libere conversum et salvatum iri, Iudam libere gratiae restitutum et peritum esse, prae alio ordine, in quo oppositum eventurum esse praescivit, vel etiam prae alio ordine futuribili, in quo cum auxilio gratiarum finaliter efficacium omnes essent sese salvaturi, nihil valemus respondere nisi hoc: Deus elegit ordinem, qui est bonus et quia est bonus, immo relative optimus, in quantum ratione mediorum optime dispositus est ad optimum finem glorificationis Dei gradu determinato obtinendum (cf. P III n. 46). Sed cur Deus horum determinantum hominum salutem efficaciter procurando aliorumque perditionem absolute permittendo eundem voluerit attingere finem, ipsius est inscrutabile mysterium. — Mysterium praecise in conciliatione libertatis humanae cum divino dominio et gratia infallibiliter efficaci reponi debere, in fontibus revelationis nullibi dicitur. *S. Augustinus* hanc quaestionem arduam quidem esse censuit, sed minime insolubilem (cf. *Portalié* in *DdTh* I 2389; *Mazz.* n. 697).

Scholium 1. De Molinismo et Congruismo sive de differentiis doctrinalibus assecularum scientiae mediae quoad praedestinationem ad gloriam et praedefinitionem bonorum actuum.

645. P 289 s. — Lah. 214 s 236—241. — Ber. 613 s 633—639. — *Franzelin*, De Deo Uno p. 449 s. — *Piccirelli*, De Deo Uno et Trino n. 276 ss. — *De Régnon*, Bañes et Molina p. 122—133. — *Astráin*, Historia IV p. 121. — *De Scorraille*, Suarez I p. 355 s. — *Portalié*, *DdTh* I 2401—03. — *H. Quilliet*, art. Congruisme in *DdTh* 3, 1120 ad 1138 (praesertim 1126—1129 1131—1137). — *A. d'Alès*, art. Prédestination in *Dict. Apolog.* 4, 240—247.

Explicatio efficaciae gratiae essentialiter eadem est apud omnes scientiae mediae defensores; sed elementum affectivum infallibilitatis discrepantibus de praedefinitione bonorum operum et de praedestinatione ad gloriam doctrinis aliquatenus tangitur. Omnes Thomismi et Augustinismi patroni defendunt praedestinationem gloriae ante praevisa merita et formalem omnium bonorum operum praedefinitionem, atque hae doctrinae sane multo melius cum eorum systematis cohaerent; immo principalis quaedam ratio, cur isti theologi medium executionis interne efficax et infallibile quaerant, est, ut suas de praedestinatione et praedefinitione doctrinas in tuto collocent.

646. Praedestinatio. (cuius pleniorum explicationem v. P II pr. 53 ss) per se dicit *providentiam supernaturalem*, i. e. aeternam in mente divina *praeparationem mediorum*, quibus creatura infallibiliter perducatur ad finem supernaturalem ipsi a Deo praestitutum (v. *Thom.*, *S. th.* 1 q. 23). Sic in recto dicit actum divini *intellectus* et in obliquo tantum actum *voluntatis*. Sed hodie praedestinationem communius eodem sensu sumimus ac propositum divinum, i. e. ut absolutum et efficax *voluntatis divinae decretum* conferendi creaturis rationalibus bona supernaturalia (iam apud *Suarez*, *De praedest.* l. 1 c. 17 in fine). — Praedestinatio ad gloriam praecise sumptam est decretum, quo Deus aliquam creaturam absolute eligit ad ultimum finem supernaturalem obtinendum. Est ante praevisa merita, si *prima omnium intentionum*, quam Deus circa hanc creaturam habet, iam fertur in gloriam caelestem ipsi gradu determinato ex mero beneplacito et gratuita praedilectione, sive ante omnem respectum meritorum, decernendam. Hoc tamen non dicit quidquam de *modo executionis*, quasi Deus eandem intentionem ita vellet executioni dare, ut gloriam aliquando etiam prorsus gratuito et sine respectu ad merita *collaturus* sit. Deus enim adultis gloriam ita vult conferre, ut vere sit *praemium* meritorum. Itaque praedestinatio ante praevisa merita unice spectat ad primam *intentionem finis* ultimi, non ad *electionem mediorum*, quibus consecutio finis determinato aliquo modo procuratur. Elegit autem Deus eum *ordinem executionis*, in quo merita sunt media per providentiam et gubernationem divinam procuranda ad obtinendum finem ultimum antea iam absolute intentum. — Praedestinatio gloriae post praevisa merita dicit: Deus *eodem modo et ordine*, quo in tempore sua dona supernaturalia *confert*, ea ab aeterno *praedestinat*; i. e. scientia simplicis intellegentiae et scientia media Deus cognoscens varios bonos ordines posibles et futuribiles, eligit unum, in quo v. g. Petrus ope gratiarum sibi comparabit merita atque post et propter haec merita accipiet praemium gloriae. *Negatur* ergo illud *decretum absolutum*, quo gloria Petri *primum independenter* ab omni respectu meritorum a Deo intenditur et decernitur. Potius *totus ordo* gratiarum, meritorum, gloriae eodem decreto Dei absoluto *simul decernitur*, atque intra singula huius ordinis membra habetur varia dependentia causalis, ratio scil. meriti et praemii, impetrationis eiusque fructus etc., et ultimum membrum, nempe *gloria caelestis* magna ex parte habet *rationem praemii meritorum*.

647. Praedefinitionis vocabulum adhibetur circa actus bonos sive merita, sicut praedestinationis circa gratias et gloriam. Dicit igitur praedefinitio divina decretum, quo Deus *antecedenter ad liberam determinationem creaturae absolute praevisam* ab aeterno absolute et efficaciter decernit, ut ab hac creatura aliquod determinatum opus bonum in tempore fiat. Quoad rem est idem ac praedestinatio alicuius gratiae efficacis. Haec praedefinitio vocatur formalis, si Deus, antequam in particulari decernat auxiliium dandum, iam absolute decrevit futuritionem huius determinati actus, aliis verbis, si *immediate et primario intendit actum* a creatura absolute eliciendum, atque nonnisi *mediate et secundo*, sive tamquam medium ad executionem prioris intentionis, *auxilium gratiae*, quod ad hunc actum ducat. Virtualis tantum est ea praedefinitio, in qua Deus, effectus boni ex tali auxilio secuturi praescius, hoc auxiliium et per illud actum bonum infallibiliter cum eodem nexum dare decernit. Sic intentio divina *simul in utrumque fertur*, sed *immediatius in gratiam* quam in actum bonum. — Praedefinitio formalis gratiam efficacem praedestinat, quia est efficax sive qua medium necessario eligendum ad finem iam antecedenter absolute intentum, scil. ad obtinendum actum bonum iam praevis absolute praedefinitum. Econtra virtualis praedefinitio praedestinat gratiam, quae est efficax, eamque qua efficacem nonnisi secundum quid, nempe *praevisam* qua efficacem.

648. Fusio sententiarum explicatio.

I. Systema praedestinationis ante praevisa merita necessario secum fert **praedefinitionem formalem**. Rigorose adhibet principium: *Primum in intentione est ultimum in executione*. Quare **in ordine intentionis** haec statuit signa rationis: 1. Deus omnes cognoscens mundos posibles, omnino libere et sine respectu ad opera creaturarum liberarum absolute decernit creare aliquem mundum, cuius terminus finalis sit aliquod regnum beatorum quoad personas et omnia particularia prorsus determinatum. Sicut *architectus* Deus primo facit quasi aliquam descriptionem condendae *urbis Ierusalem caelestis*, quae habeat tot determinatas sedes a supremis usque ad infimas, et simul praedestinat, quae individuae creaturae rationales, angeli scil. et homines, singulas sedes ascensurae sint. Multas alias creaturas rationales, quas item in hoc signo creare decernit, in ista tamen futurarum caelestium se-

dium distributione «omittit», i. e. *antecedenter* ad omnem respectum operum a vita aeterna *negative reprobat*. — 2. Quoniam Deus vult, ut creaturae rationales, quae in statu viae usum rationis habebunt, gradum gloriae ipsis iam absolute praedestinatum saltem ex parte sibi *mereantur* (alia enim ex parte dabitur hominibus ex opere operato), iam necessitas exsurgit, ut hae creaturae tales praecise actus bonos faciant, qualibus, tamquam praemium, gradus gloriae ut merendus iam praedestinatus accurate respondeat. Quare Deus istos actus salutare tamquam medium necessarium ad finem iam praestitutum formaliter praedefinit: — 3. Actus praedefinitos Deus infallibiliter *obtinebit per idonea auxilia* gratiae efficaci. Quare consequenter ad priora decreta nunc eligit sive praedestinat aptas gratias. Patet hanc rem ab asseclis praedestinationis antecedentis explicari pro diversa sententia, quam de efficacia gratiae habent. Secundum Thomistas Deus in hoc tertio signo decernit dare eas *praedeterminationes physicas*, quas ex interna sua natura actus praedefinitos infallibiliter producturas esse scientia simplicis intellegentiae intellegit. Secundum Augustinenses pariter respectivas *praedeterminationes morales* decernit. Secundum Congruistas autem Deus consulit *scientiam mediam*; eligit scil. ea auxilia, quibuscum creaturas istos praecise actus bonos libere elicituras esse scientia media ipsi patefacit. (Erga «omissos» Deus in hoc 3° signo aliquam voluntatem salvificam exercet praedestinando eis tales gratias vere sufficientes, quibuscum ad beatitudinem eos nequaquam perventuros esse praecognovit.) — 4. Decretum voluntatis divinae sequitur scientia visionis, qua effectus intenti (aut absolute permissi) infallibiliter futuri exhibentur. — **Ordo executionis** via inversa devolvitur: 1. Electis Deus confert gratias efficaces qua tales praedestinat. — 2. Ipsi ope harum gratiarum infallibiliter, sed libere faciunt bona opera formaliter praedefinita atque hoc modo sibi comparant merita a Deo intenta. — 3. Propter haec merita finito statu viae electi accipiunt gradum gloriae ipsis ante omnia alia praedestinatum. — Praecipui Congruistae, qui cum Bannezianis, Augustinensibus etc. hanc sententiam propugnant, sunt post *Salmeron B. Bellarminus* (De gratia et libero arbitrio l. 2 c. 9 ss), *Suarez* (Tractatus de divina praedestinatione et reprobatione; praesertim l. 6 c. 4; ed. Paris. [1856] 1, 526 ss), *Arriaga, Tanner, Ruiz, Silvester Maurus, Ramirez, Marinus, Ant. Mayr*; saeculo XIX *Raphael Cercià S. J.* Nostris diebus *Lud. Billot S. J.*, De Deo Uno et Trino, ed. 7 (Romae 1926) th. 32 (p. 297 ss),

Jos. van der Meersch, Tract. de Deo Uno et Trino, ed. 2 (Brugis 1928) n. 581 ss, paucique alii, quos V. d. Meersch l. c. n. 581 not. enumerat, licet verbis reiciant reprobationem antecedentem, nihilominus in ipsa re asseclae huius systematis esse videntur (id quod bene ostendit *Lud. Lercher* S. J., Instit. Theol. Dogmat. II [Oeniponte 1924] n. 291):

649. II. Oppositum systema praedestinationis ad gloriam post praevisa merita et praedefinitionis virtualis haec distinguit signa rationis: 1. Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit omnes creaturas, gratias, ordines salutis *possibiles*. — 2. Scientia media distincte cognoscit, quae auxilia diversorum ordinum in singulis creaturis possibilibus per liberi arbitrii bonum usum forent *efficacia*, quae per malum usum *inefficacia*, quae igitur creaturae rationales in singulis ordinibus gratiarum *ad salutem perventurae*, quae econtra *periturae*, porro quem *determinatum gradum* meritorum et demeritorum, gloriae et damnationis singulae creaturae sub influxu diversorum auxiliorum percepturae essent. Videt Deus in hoc signo ordines futuribiles valde diversos: alios, in quibus omnes salvarentur, alios, in quibus omnes damnarentur, et multo plures ordines, in quibus alii salvarentur, alii damnarentur. In variis istis ordinibus singulos homines videt diversissimam vitam moralem acturos atque ad fines diversissimos perventuros (cf. n. 641 s). Simul videt, quo gradu hi singuli ordines forent boni et aptum medium ad obtinendum ultimum omnis divinae ad extra operationis finem, scil. gloriam Dei et bonum creaturatum. — 3. Sic praelucente scientia media Deus a) absolute decernit creare aliquem ordinem salutis supernaturalis, et quidem talem, in quo ex seria voluntate salvifica universali omnibus conferat gratias vere sufficientes ad salvationem, voluntate tamen condicionata, apposita scil. condicione, ne ipsi suae saluti desint, cooperationem cum gratia negligendo. — b) Ex ordinibus futurilibus, qui generaliori huic decreto respondent, Deus nunc unum omnino determinatum seligit et absolute decernit, ordinem scil., in quo *hae determinatae creaturae salvabuntur*, aliae determinatae creaturae damnabuntur; quem ordinem eligit, non praecise quia *haec individua* salvabuntur, et multo minus quia ista alia individua damnabuntur, neque quia hi *determinati actus boni* fient et alii non fient. Cur tandem hunc ordinem prae aliis non minus bonis praeeligat, scire non possumus, et hoc est maximum illud mysterium divinae electionis. Sed ordo electus est

bonus, immo relative optimus, et *propter suam bonitatem* a Deo eligitur (cf. n. 644). — Praelucente scientia media eligendo determinatum ordinem Deus *eo ipso* et simultanee singulis creaturis rationalibus determinata auxilia gratiae, sive efficacis sive pure sufficientis, absoluto decreto praedestinat, simul per gratias efficaces determinatos actus bonos praedefinit, virtualiter quidem, sed absolute, cum actus malos post auxilia mere sufficientia secuturos absolute permittere simul decernat; tandem huius ordinis electione eo ipso etiam determinatis personis, non ante, sed potius post praevisa merita gloriam caelestem praedestinat. — Si rigorose loqui volumus, non dicendum est hoc decretum procedere ex praevia praedilectione electorum, sed potius talem praedilectionem concomitanter continere. Non ex speciali praedilectione, sed cum eadem fertur. — Eos, quos in hoc ordine usque ad finem gratiae restituros esse praescivit, Deus absolute decernendo eundem ordinem eo ipso in poenam peccatorum iam absolute a se permittendorum, sive post praevisa demerita, a gloria reprobat. — In hoc igitur signo rationis voluntas salvifica *antecedens, condicionata, universalis* transit in voluntatem salvificam *consequentem, absolutam et particularem* erga salvandos et in voluntatem reprobantem sive punientem, item consequentem, absolutam et particularem, erga damnandos. — 4. Scientia visionis Deus videt omnia iuxta absolutum suum decretum eventura esse. — Ordo **exsecutionis** est *idem* ac in priore systemate. — Haec doctrina post *Toletum* primo a *Molina* (cf. n. 565) et *Lessio* (cf. n. 657) distinctius proposita est¹. Eidem sententiae adhaerent saltem quoad essen-

¹ De sententia Scholasticorum saeculi XIII multa invenies apud Jos. Santeler S. J., *Die Prädestination in den Römerbriefkommentaren des 13. Jahrhunderts* (ZkTh 52 [1928] 1—39 183—201; maxime a p. 187). Tunc temporis posterior controversia ignota erat atque fere non considerabatur alia praedestinatio nisi completa ad gratiam et gloriam simul. Tamen ex multis testimoniis allatis evincitur istos exegetas, inter quos *Hugo a S. Charo* O. P., *Petrus a Tarentasia* O. P., *S. Thomas*, *Aegidius Romanus* O. S. Aug., *Augustinus Triumphus* O. S. Aug., *Alexander ab Alexandria* O. F. M., *Petrus Ioannis Olivi* O. F. M., saltem valde favere praedestinationi ad gloriam post praevisa merita; v. g. *S. Thomas*, *In Rom* c. 8 lect. 6 (ante med.); « Circa ordinem autem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam, quod *praescientia meritum* bonorum et malorum *est ratio* praedestinationis et reprobationis... Et hoc quidem *rationaliter* diceretur, si praedestinatio respiceret *tantum vitam aeternam*, quae datur meritis; sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum; unde eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno. » Porro totus modus, quo hi auctores gratuitatem praedestinationis pro-

tialia¹ *Vazquez, Praepositus (Le Prévost), Becanus, De Herice, Petavius, Ant. Perez, Haunoldus, Ulloa* et hodie paene omnes, qui scientiam mediam admittunt. Inter recentiores eminet *Franzelin*.

650. Nonnulli tamen expresse notant cum hoc systemate posse stare, quod Deus unum alterumve hominem antecedenter ad gloriam absolute praedestinaverit, et a fortiori, quod nonnullos actus bonos formaliter praedefiniverit seu quasdam gratias efficaces, praecise quia sunt efficaces, elegerit. Cogitant praesertim de iis gratiis efficacibus, quae suffragiis Sanctorum vel etiam propriis meritis de congruo et propriis precibus impetrantur; porro de iis actibus, qui pro bono communi totius Ecclesiae magni sunt momenti, ut v. g. in opere redemptionis, institutione Ecclesiae, vocatione apostolorum, praedicatione evangelii occurrerunt; maxime autem hoc valet de gratiis Christo Domino et beatissimae Matri eius praedestinatis.

Quidam Molinistae, inter quos *Viva, Platel, Kilber (Wirceb.), Sardagna*, hoc statuunt: Deus gratias efficaces saltem eatenus eligit, quia sunt efficaces, quatenus semper intra limitatum numerum auxiliorum, sive maiorem sive minorem, si qua videt fore inefficacia, exquirat alia efficacia eaque, si intra istum numerum inveniuntur, revera decernit (v. *Ber.* 636—638). Haec sententia videtur maxime eo consilio excogitata esse, ut decreto Aquavivae (v. n. 657) aliquatenus satisfiat. Ex eodem decreto intellegitur:

651. III. Systema Congruismi mitigati, qui formalem praedestinationem omnium actuum bonorum docet et nihilominus praedestinationem ad gloriam post praevisa merita retinere vult. Secundum hanc sententiam prima Dei absoluta intentio non fertur in beatitudinem electorum, sed in determinatos actus bonos determinatorum viatorum, quibus actibus Deus glorificetur. Consequenter ad hoc primum decretum Deus, ut actus iam praedefiniti infallibiliter fiant, eligit *gratias*, quas praevideat fore efficaces, alias (idque non solum intra certum numerum, sed in indefinitum) electurus, si has videret fore inefficaces. Gloriam autem caelestem tamquam *praemium* actuum formaliter praedefinitorum praedestinat (cf. *De Scorraille* I p. 356).

bant, ostendit iisdem aliquam antecedentem praedestinationem ad gloriam in ordine intentionis fuisse ignotam (l. c. 196 s). — Monographiam de S. Thoma scripsit P. Mannens: *Disquisitio in doctrinam S. Thomae de voluntate salvifica et praedestinatione* (Lovanii 1883), in qua multis argumentis demonstratur auctoritatem Aquinatis stare pro praedestinatione ad gloriam post praevisa merita.

¹ Differentias minoris momenti in doctrina nonnullorum ex his theologis v. apud A. d'Alès l. c.; ibid. v. etiam quasdam differentias inter asseclas oppositae sententiae, praesertim inter *Bellarminum* et *Suarez*.

652. Crisis. a) **Congruismus mitigatus** apparenter tantum vitat praedestinationem ante praevisa merita. Nam si Deus independenter ab omnibus meritis praevisis prima et absoluta intentione decernit, ut ipse ab his determinatis personis per hos determinatos actus bonos glorificetur, id *quoad rem prorsus idem* est, acsi iisdem personis independenter ab eorum meritis praevisis determinatum gradum gloriae absolute intendat. Nam talis gloria tale meritum necessario sequitur. Ergo hoc systema non est aliter diiudicandum ac Congruismus purus.

653. b) Congruismo quaedam concedimus: Christus Dominus consequenter ad solam unionem hypostaticam et antecedenter ad omnia merita praevisa ad gloriam et bonum usum omnium gratiarum absoluta necessitate praedestinandus erat (cf. P IV pr. 26). Ex summa saltem decentia solam dignitatem matris Dei iam ante praevisa merita sequitur eadem praedestinatio et praedefinitio. Fortasse de uno alterove sancto propter insignem quandam muneris dignitatem antecedens ad gloriam praedestinatio assumi potest. Deus nonnullas alias creaturas ex mera gratuita praedilectione ad gloriam absolute elegerit, non potest certo excludi, sed gratis assereretur. Quosdam actus bonos a Deo formaliter praedefiniri certum videtur (n. 650). — Sed si cum *Bellarmino*, *Suarez* et ceteris huius sententiae defensoribus praedestinatio ante praevisa merita ad omnes electos et praedefinitio formalis ad omnes actus salutares extenditur, haec doctrina tantis opprimitur difficultatibus, ut cum certitudine excludenda esse videatur. Id de *praedestinatione* in proprio tractatu fusius ostenditur (P II pr. 56—58 61 s). Contra *praedefinitionem formalem* difficultates omnino similes exsurgunt. Congruismus, quia efficaciam gratiae *ope scientiae mediae* explicat, servare quidem videtur libertatem actuum bonorum in electis et actuum malorum in reprobis. Concedi potest etiam veram sufficientiam gratiae pure sufficientis, si res *in rigore philosophico* spectetur, servari, quamvis *secundum communem hominum considerationem* gratia, quae eligeretur, quia est inefficax, vix censeretur vere sufficere. Sed omnino reiciendum est hoc systema propter sequelas vere intolerabiles, ad quas quoad «omissos» ducit. Statuere enim debet et de facto statuit antecedentem a gloria reprobationem (negativam). Talis reprobatio absolute facta Deum consequenter cogit, *ne det reprobis gratias ut finaliter efficaces praevisas*. Si Deus, ex voluntate salvifica universali etiam reprobis, v. g. *Iudae*, gra-

tias sufficientes electurus, aliquod auxilium, secus huic fini omnino aptum, coniunctum fore videt cum Iudae poenitentia finali, haec sola ratio iam satis est, ut Deus illud auxilium omitat et loco eius quaerat decernatque aliud auxilium, quocum impoenitentiam finalem Iudae coniunctam fore praevidet. Si enim prius auxilium daret, turbaretur descriptio caelestis Ierusalem praeve facta eo, quod introitum iuste exigeret aliquis, cui nulla praeeparata fuisset sedes. Atqui eiusmodi divina circa sortem Iudae voluntas antecedens certissime dici nequit serio salvifica. Revelatio autem docet seriam voluntatem salvificam Dei omnino universalem, id quod Congruistae nobiscum admittunt et servare volunt (v. th. 25). — Similis ratiocinatio valet de unoquoque actu bono, quem gratia sufficiens proxime possibilem redderet, Deus autem non praedefinivisset. Ex hac sola ratione, quod videt per auxilium A effectum iri aliquem bonum actum, quem ipse antecederet non praedefiniverit, necessitaretur Deus, ut auxilio A omisso eligat aliud B, quod effectu salutari careat. Deus gratiam inefficacem eligeret, praecise quia est inefficax. Talis vero gratiae praedestinatio non procederet ex seria Dei voluntate, ut fiat actus bonus.

654. c) Ergo tenendus est **purus Molinismus** (salvis iis, quae initio n. 653 dicta sunt). In thesi praecedente supponentes hoc systema ostendimus vere servari *gratuitatem gratiae efficacis* et rationem *specialioris beneficii*, quod habetur in gratia efficaci, dono perseverantiae et praedestinatione completa, servari tandem *mysterium electionis* (n. 642—644). Collatio autem talium beneficiorum specialium est eo ipso exhibitio insignis praedilectionis. — Inveniuntur quidem in fontibus nonnulla, quae primo aspectu significare videntur Deum *ex* aliqua praedilectione absolute antecedente eligere ad gloriam caelestem. Sed iidem fontes etiam urgent *voluntatem salvificam universalem*, quam cum antecedente omnium salvandorum ad gloriam praedestinatione et aliorum antecedente a gloria reprobatione componi non posse ostendimus. Ergo dicta prioris generis ita explicanda sunt, ut non contradicant aliis. — Imprimis in memoriam revocamus etiam in nostra sententia praedestinationem *ad primam gratiam* et ad primam gratiam *efficacem* et *ad totam seriem* gratiarum a prima gratia usque ad consecutionem gloriae esse prorsus gratuitam (n. 642 643 fin.). Sic vere statuimus aliquam Dei erga electos praedilectionem, sed negamus eam antecedere scientiam mediam Deumque auxilia efficacia per hanc scientiam ostensa ideo

decernere, *quia* sunt efficacia. Praedilectio, quam admittimus, consequitur scientiam mediam et exercetur in ferendo illo decreto, quo, scientia media praelucente, electis destinantur gratiae, *quae* sunt efficaces. Hoc autem fontibus satisfacit, praesertim si addimus in nostro casu cum quodam anthropomorphismo posse dici: Deus *ex* speciali praedilectione dat gratias efficaces. Nam qui uni homini prae altero maius beneficium sciens et volens gratuito dat, censetur maiore affectione erga illum moveri. Similiter Deus eligendo eum ordinem, in quo Petrum prae Iuda salutariter operaturum et gloriam assecuturum praevidet, *censetur ex inaequali dilectione antecedente* hunc ordinem elegisse prae alio, qui beatum exitum Iudae et infelicem Petri contineret. Tamen ut voluntatem salvificam universalem servemus et reprobationem antecedentem vitemus, rigorose dici debet: Deus non proprie ex praevia praedilectione, sed potius cum praedilectione concomitante erga Petrum talem elegit ordinem (v. *Lah.* n. 236 fin. 241 obi. 3—5; aliter de hac re *Ber.* n. 637 sent. 4).

655. Praecipua argumenta adversariorum sunt Rom 8, 28—30 et 9, 6—24. Alterum textum n. 560—562 iam ita exposuimus, ut nihil inde deducatur de praedestinatione ad gloriam praecise sumptam neque de formali praedefinitione operum, sed solum effertur speciale beneficium, quod in gratuita vocatione efficaci ad salutem consistit et eo ipso praedilectionem quandam continet. — **Rom 8, 28—30** sane est textus non solis Molinistis, sed omnibus exegetis explicatu difficilis; v. commentarios a *Cornely* et *Lagrange* scriptos; porro *Prat.* I¹⁰ p. 287—299 519—531; *B. Allo* O. P., Versets 28—30 du chap. VIII ad Rom. La question de la prédestination dans l'Ep. aux Romains (*RevScPhTh* 7 [1913] 263—273); Encore Rom VIII, 28—30 (*ib.* 13 [1924] 503—505); *A. d'Alès*, *Prédestination* (*Dict. Apolog.* 4, 196—204). — Quaedam notamus: V. 28 *κλητοί* apud Paulum semper dicit: *efficaciter* vocati (secus Mt 22, 14); *κατά πρόθεσιν* non restringit numerum vocatorum, sed valet de omnibus, quos Deus efficaciter ad fidem et iustificationem vocavit. Nam Apostolus in hac pericopa spem fidelium excitare vult. Inepte autem diceret: Omnes debetis sperare, quia nonnulli ex vobis sunt praedestinati ad gloriam. V. 29 s enumerantur quinque Dei operationes in favorem eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Tres posteriores non facessunt difficultatem: vocavit ad fidem; iustificavit per gratiam sanctificantem; glorificavit probabilissime refertur ad beatitudinem caelestem inclusa glorificatione corporis, qua maior cum Christo glorificato conformitas obtinetur. Licet hoc tempore futuro eventurum sit, retinetur tamen *aoristus* propter certitudinem exspectationis. Magis disputari potest de sensu duorum priorum terminorum. *Προέγνω* cum Patribus graecis sat multis S. Ambrosius, *De fide ad Gratianum* 5, 6, 83 (R 1272) sic explicat: « Non enim antea praedestinavit, quam praesciret; sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit. »

Sic haberetur argumentum pro Molinismo, quod *Cornely* libenter accipit. Etiam *Prat* et *D'Alès* vehementer propugnant *πρόβρω* dicere merum actum cognoscitivum (speculativum), non volitivum. Sed contra hoc *Allo* multa obicit. Sine dubio verbum simplex *γνώσκειν* in Scriptura saepe significat: *speciali benevolentia* et praedilectione aliquem respicere (cf. contrarium Mt. 25, 12: *ὄνκ οἶδα ὑμᾶς*). Quare admittamus sensum nobis minus secundum: Quos speciali affectu respexit, hos effective quoque praedestinavit, ut conformes fierent Filio Dei glorificato. Sic urget obiectio: Hisce docetur antecedens praedestinatio ad gloriam ex mera gratuita praedilectione procedens. — Ex variis tentaminibus solutionis hoc videtur praefendum: Gratis supponitur terminum *προορίζεν*, qui primum occurrit in Novo Testamento et praeter nostros versus non invenitur nisi Act 4, 28, 1 Cor 2, 7, Eph 1, 5 11, iam statim habere eundem sensum technicum, quem habet in theologia, scil. sensum alicuius decreti divini absoluti, prorsus infallibilis et infrustrabilis (sicut similis terminus *ἐκλέγεσθαι sumpta*; nam Io 6, 70 dicitur: « Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est? »). Contextus nostri loci illum sensum excludere videtur. S. Paulus animos omnium fidelium in spem erigere intendit. Sed praedestinatio absolute efficax non est omnibus fidelibus concessa. — Cogitationem Apostoli facile sic explicamus: « Deus serio vult vestram salutem et ex sua parte omnia necessaria abundantissime fecit pro vobis. Prae plurimis aliis, qui tantas gratias non habent, efficaciter vos vocavit ad fidem et iustitiam. Specialiter enim vos diligendo ad beatitudinem vos »praedestinavit; quam, quod ad Deum attinet, certo obtinebitis. Potestis igitur bono animo esse. » Quod ipsi nihilominus hoc divinum consilium sua malitia frustrari atque ita salutem « praedestinatum » amittere possint, ex multis monitis *alibi* ab Apostolo allatis, sed hoc loco sane non expresse afferendis, luculenter apparet. In hac enim pericope spem Romanorum erecturus ea tantum commemorat, quae Deus pro ipsis omnibus fecit. Iam perfectit vocationem et iustificationem. Quas non perfecisset, nisi specialiter eos dilexisset et serio decrevisset eos partem habituros cum Filio glorificato et nisi certo ducturus esset eos ad hanc gloriam, dummodo ipsi velint. — Ergo praedestinatio antecedens ad gloriam praecise sumptam sensu technico theologico intellecta hic non continetur.

656. Manifesto nihil probat **principium de ordine intentionis et executionis**. Ultimum in executione non semper est in intentione primum absolute volitum. Nam si agitur de fine non absoluta necessitate obtinendo, is potest primum conditionate intendi, praesertim si actibus liberis alterius personae attingendus est. Beatitudo autem creaturarum Deo est finis ultimus secundarius tantum, quem alius finis primarius, absolute ultimus et absolute obtinendus, scil. glorificatio Dei, praecedit. Hic finis primarius *variis viis* attingi potest, non solum beatitudine, sed etiam iustis poenis creaturarum. Quare Deus, primario et absolute intendens suam gloriam, simul secundario et conditionate,

scil. si cum gratia cooperari voluerint, beatitudinem omnium creaturarum rationalium intendit. In eo signo rationis posteriore, in quo Deus pro suo libero beneplacito, praevalente scientia media, determinatum ordinem eligit, in quo certae creaturae aliis exclusis salvabuntur, condicionata et universalis intentio finis secundarii quoad solos electos transit in absolutam et particularem intentionem eiusdem finis. Primarius autem finis in omnibus semper obtinetur (cf. *Lah.* n. 241 obi. 1; *De Régnon* p. 325 ss; aliam argumentationem contra istud principium ad hanc rem applicatum v. apud *Mannens* l. c. p. 87—91). — Intentio Dei, licet prius sit condicionata, minime tamen est confusa et caeca. Id excluditur eo, quod Deus, antequam absolute decernat quidquam exsequi, infallibiliter iam praecognoscit scientia media, quid determinate ex decreto faciendo secuturum sit. Ut hoc cognoscat, utique debet respicere, quid liberum arbitrium creaturae in variis adiunctis electurum sit. Haec necessitas non est indigna Dei a creatura dependentia, sed ex libero Dei decreto condendi liberam creaturam necessario resultat.

Scholium 2. Decretum Claudii Aquavivae, praepositi generalis Societatis Iesu, de die 14 Dec. 1613.

657. P 290. — *Lah.* p. 413 s. — *De Régnon*, Bañes et Molina p. 127. — Dz ed. 9 n. 964. — *Schneemann* (lat.) cap. 16 p. 302—328. — *Le Bachelet*, Auctarium Bellarminianum p. 27—31 185—188; *idem*, Le décret d'Aquaviva sur la grâce efficace: *RechScRel* 1924, 46—60 134—159.

Leonardus Lessius (Leys) S. J. in opere a. 1610 edito *De gratia efficaci, de praedestinatione et reprobatione angelorum et hominum, de praedestinatione Christi* purum Molinismum docuerat et maxime praedestinationem ad gloriam post praevisa merita. Discrimen, quo gratia efficax in actu primo ratione beneficii divini a gratia pure sufficiente distinguitur, non satis aperte explicaverat. Propter hoc opus Aquaviva, praepositus generalis S. J., multas difficultates habuit, non solum ex parte Dominicanorum, sed etiam S. Sedis. Etiam sat multi Iesuitae, praesertim Bellarminus et Suarez, idem opus impugnabant. Aquaviva postquam multorum peritorum vota exquisivit et cum Lessio aliisque multa ultro citroque tractavit, tandem probante Summo Pontifice Paulo V, sed sua propria auctoritate d. 14 Dec. 1613 ad totam Societatem Iesu misit epistolam *De observanda Ratione studiorum deque doctrina S. Thomae sequenda*. Praescribitur in genere ea opinio, quae a plerisque Societatis scriptoribus tradita atque in controversia de auxiliis coram Summis Pontificibus explicata et defensa sit. Dein pergit: «Nostri in posterum omnino doceant inter eam gratiam, quae effectum re ipsa habet atque efficax

dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, *non tantum* discrimen esse *in actu secundo*, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed *in ipso actu primo*, quod posita scientia conditionalium *ex efficaci Dei proposito atque intentione* efficiendi certissime in nobis boni, *de industria* ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, *aliis usurus*, si haec inefficacia praevidisset; quare semper *moraliter et in ratione beneficii plus aliquid* in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri; atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa *faciamus*, non tantum, quia dat gratiam, qua *facere possimus*. Quod idem dicendum est de *perseverantia*, quae procul dubio donum Dei est» (Dz ed. 9 n. 964; Schneemann p. 303)¹. — Lessius contentus fuit, quod saltem nihil de praedestinatione antecedente praescriberetur.

658. Anno 1616 in congregatione generali 7, cui Lessius tamquam elector interfuit, commissio ad hoc instituta censuit decretum P. Claudii explicandum esse. Quam explicationem novus Generalis Mutius Vitelleschi cum assistentibus et secretario, qui «mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant», et patres ad id a Congregatione deputati dederunt d. 7 Junii 1616, censentes: «non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere Deum sua voluntate praedeterminare vel praedefinivisse aliquod nostrum opus bonum *independenter a cooperatione liberae voluntatis*, nec etiam, quod in sua gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus *in actu primo*, qui non sit in gratia sufficienti, sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. g. *Petro*, ex *proposito* boni in eo faciendi gratiam eo tempore et loco, quo per praescientiam conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. g. *Ioanni*, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit sua culpa ea non esse usurum». — Haec interpretatio purum Molinismum saltem non clare reicit. Lessius putavit se posse eam secundum suum systema plene explicare, quod tamen Vitelleschi a. 1617 non probavit. — Novam

¹ De Régnon p. 127 censet: «Il est difficile d'exposer plus nettement l'opposition entre le Molinisme et le Congruisme»; p. 131: Propter circumstantias temporis decisio Patris Generalis fuit sapiens, prudens, generosa. Sed «je me persuade que, si le P. Acquaviva eût prévu l'hérésie de Jansenius, il n'eût pas consenti à émousser notre arme».

sui operis editionem *Lessius* curare non potuit. Ipso a. 1623 defuncto tandem a. 1626 liber cum quibusdam mutationibus denuo in lucem prodiit. Ioannes Praepositus (Le Prévost) S. J. aliique doctrinam Lessii propugnare perrexerunt. A. 1651 Piccolomini decretum Aquavivae confirmavit. Nova interpretatio in priore fundata facta est a. 1657 *per tres revisores generales*, qui censuerunt satis esse, ut decretum «quoad intentum eius principale» observetur, i. e. ut teneatur rationem *specialis beneficii* gratiam efficacem iam *in actu primo* a gratia inefficaci distinguere, «quidquid sit de ulteriori rigore verborum decreti». — Gabr. de Henao iam a. 1665 scribit: «Dubitari potest, num hodie vim habeant [litterae Claudii] haberentque a. 1626.» — *Lahousse* addit (p. 414): «Ceterum omne dubium sublatum fuit litteris R. P. N. Beckx, quibus nempe fuit declaratum decretum Claudii esse *antiquatum*.» — Etiam secundum praesens ius Societatis Iesu conceditur libertas circa Congruismum et purum Molinismum.



SECTIO SEXTA

DE DISTRIBUTIONE GRATIAE

PRAENOTANDA

659. Ad completam huius quaestionis tractationem multa pertinent, quae aliis locis absolvuntur. Quas leges in distribuenda gratia Deus sequatur, ex parte iam dictum est, ubi agebatur de *gratuitate gratiae sanantis* (n. 157 ss), *salutaris et elevantis* (sect. II), de *dispositione* ad iustificationem (th. 11), de *gratuitate gratiae efficacis* (th. 21 et nonnulla ex th. 24 cum schol. 1), ex parte dicetur sect. VII (th. 26 et schol. 2 de *condicionibus meriti*); alia, scil. de gratiis *sacramentalibus*, dicuntur in tractatu de sacramentis. Nunc distributionem gratiae maxime respicimus quoad universalitatem gratiae sufficientis. Huic quaestioni, quae se habet ex parte gratiae *datae*, respondet ex parte gratiae *dantis* (cf. n. 5, 1) quaestio voluntatis Dei salvificae antecedentis et condicionatae (P II pr. 51 s). — Quasdam **quaestiones secundarias** praevis breviter expeditimus.

660. I. Multi specialiter quaerunt, quomodo hac in re **ordo supralapsarius** ab infralapsario distinguatur, idque praesertim ob S. Augustini de *duplici adiutorio* doctrinam difficillimam (cf. n. 80—83 541 b 548; P 103—108; *Lah.* n. 250 s; *Ber.* 152—159; *Palm.* th. 46; *Portalié*, DdTh I 2393 s; *Franc. Ant. Zaccaria* S. J., Thesaurus theologicus V 3, 7; *Zigon*, D. Thomas arbi-ter n. 132 s). — In ista S. Doctoris doctrina invenit dogmata quisque sua Calvinista, Iansenista, Bannezianus, Augustinensis, Congruista, Molinista. Facile sane ostenditur S. Augustinum a placitis Bannezianismi longe abesse (v. P I. c.). Multi Molinistae, qui concordiam suae doctrinae cum augustiniana ostendere conantur, non satis attendunt ad hanc maximam difficultatem: Secundum S. Augustinum in ordine supra-

lapsario aliqui, scil. angeli boni, *reapse perseverarunt sine auxilio quo*. S. *Alfonsus* hoc explicare posset ex eo, quod omnia opera in hoc ordine fuerint facilia; sed quomodo Molinista id cum suo systemate conciliare possit, non video.

Lahousse explicationem sat miram proponit: « Gratia Adami concipitur ab Augustino praecedere usum scientiae mediae et tantum decerni praelucente scientia simplicis intelligentiae; quare non praevидetur infallibiliter iungenda cum effectu, adeoque non datur actu velle, sed posse bene facere, posse non peccare etc. — Contra gratia praedestinatorum concipitur subsequi usum scientiae mediae; quare praevidentur coniungendae [sic] cum effectu. » Sic Deus « recte asseritur conferre homini ipsum velle, non posse peccare . . . , non posse mori, non posse deserere etc. » (p. 501). « Si quaeritur, cur Deus concipiatur ab Augustino usus esse duplici ista oeconomia, respondet ipse rationem esse, ut prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset gratiae beneficium [*De corr. et grat.* 10, 27] . . . Alia adhuc ratio potest esse; quia Deus saepe per anthropomorphismum exhibetur operans ad instar hominis. Porro Adamo praestitit auxilia sufficientia ad retinendam iustitiam originalem; exitus fefellit spem; quare cautius deinceps agens iam non decernit dare gratias nisi sub praevisione condicionata usus gratiarum » (p. 502). — Ergo Augustinus serio studens, ut monachis hadrumetinis gravissimas difficultates solveret, ad indignum refugisset anthropomorphismum!

661. II. In ordine infralapsario quaestio specialis agitur de **parvulis morientibus**. De qua quaestione v. P II. pr. 52; *De San.* De Deo Uno II n. 18—23; *Franzelin*, De Deo Uno th. 53; *Picci-relli*, De Deo Uno et Trino p. 809—816; *Ant. Straub* S. J., Zur Erklärung des göttlichen Heilswillens bezüglich der Kinder (ZkTh 11 [1887] 282—327); Nachträgliche Bemerkungen (ibid. 12 [1888] 562—579); *L. Billot*, La providence de Dieu . . . (Études 163 [1920 II], praesertim p. 6 s); *Wilh. Stockms*, Das Los der ohne Taufe sterbenden Kinder (Freiburg 1923) 1. Kap. § 2, p. 14—17; *Paul R. Pies*, Die Heilsfrage der Heiden (Aachen 1925) 137—176. — Etiam erga omnes parvulos, qui ante usum rationis moriuntur, Deus voluntatem salvificam habet seriam et actuosam, ex qua ipsis praeparavit gratias *vero aliquo sensu sufficientes*. Sed quoniam his parvulis poena peccati personalis non imminet, opus non est, ut voluntas salvifica eodem prorsus ad eos extendatur modo atque ad adultos, neque ut gratiae ipsis concessae *eodem omnino sensu* sint sufficientes. Circa adultos, uti probabimus, voluntas salvifica universalis et condicionata in particularem et absolutam voluntatem salvificam aut in reprobationem consequentem non transit nisi post praevisa finalia merita aut demerita propriae ipsorum

voluntatis. Infantes vero aut salvantur aut damnantur independenter ab eorum voluntate personali. — Imprimis Deus voluntatem salvificam erga eos exhibuit eo, quod etiam pro ipsis misit Christum, instituit baptismum, adultis dedit eos baptizandi praeceptum. Quae hisce a theologis adduntur, non debent esse eiusmodi, ut ipse Deus effectus voluntatis salvificae per sua ipsius opera consequentia destruere ponatur. Id certe non obtinebit, si infantes praemature morientes ex hominum tantum culpa privantur baptismo. Culpas enim hominum Deus *permittit tantum*, non efficit. Pesch (n. 351) cum aliis theologis (v. g. *Kilber* [Wirceb.], De Deo Uno disp. 4 c. 2 a. 3, et *Ceulemans*, De parvulis, qui sine baptismo moriuntur, dissert. theol. [Lovanii 1886]) in hanc solutionem inclinat. — Permulti sane casus sic possunt explicari, praesertim si omnes quoque *imperfectiones* morales sub conceptu culpae comprehenduntur. Si omnes evangelii praecones semper summo studio fidem propagassent omnesque homines bona voluntate eam recepissent, totus orbis terrarum iam diu esset christianus; porro si omnes fideles quam maxima semper diligentia orassent, plurimis certe parvulis baptismi gratiam impetrassent. At ita num etiam obtinuissent, ne ullus foetus humanus in utero materno ante baptismum moreretur? — Quare Franzelin cum aliis (*Suarez, Perrone, Hurter, Billot*) censet satis esse, ut salvifica erga parvulos voluntas hoc modo concipiatur: Deus omnibus vult applicari per baptismum merita Christi, in quantum causae morales et physicae in hoc statu deordinato naturae lapsae isti applicationi non obsistunt. Effectus harum causarum, quatenus baptismum impediunt, non vult, sed *permittit tantum* Deus. Non enim est opus, ut ad praecavenda eiusmodi infortunia Deus universalem et ordinariam mutet providentiam. Post peccatum originale Deus genus humanum a nocivis causarum physicarum effectibus non amplius praeternaturaliter praeservat; quare ex iisdem causis iam necessario provenit mors multorum infantum peccato originali infectorum. Deus *non eo consilio* naturam ita instituit, ut infantes sine gratia morerentur (sic enim certissime non haberet universalem voluntatem salvificam); sed qua provisor universalis ordinem legum naturalium ex sapientissimis condidit finibus neque ex seria voluntate salvifica tenetur, ut qua provisor particularis mortem cuiuscumque parvuli nondum baptizati miraculose prohibeat. Impossibilitas baptismi huius parvuli est funesta sequela istarum legum, quam Deus non intendit, sed permittit. *Billot* l. c. p. 7 simpliciter enuntiat: Deus

salutem infantium vult *sub condicione*, ut ii, quorum curae commissi sunt, suo non desint officio neque ponatur obstaculum *regulari naturae cursu* neque *communi ordine regiminis mundi*.

662. Sed cum De San potest urgeri: Deus effectus necessarios legum physicarum, quas ipse solus condidit, non permittit tantum, sed *positive vult*. Ergo apponendo talem condicionem ipse Deus impedit, quominus sua in salute omnium parvulorum *complacentia* evadat *seria voluntas*. Deus quasi diceret: « Volo baptismum huius infantis, donec, volendo istas leges physicas, velim impossibilitatem eiusdem baptismi », vel: « Baptismum vellem, nisi vellem leges, quae impossibilem reddunt baptismum. » Atqui talis velleitas non est seria voluntas. — Respondetur: a) Secundum theologiam moralem homo, si adest causa proportionate gravis, potest honeste velle causam necessariam et unum effectum necessarium bonum simulque *permittere* tantum, non *positive velle, alterum effectum malum*, licet pari necessitate ex causa sequatur. Ergo idem de Deo dicendum videtur. — b) Cui hoc responsum non satisfacit, potest cum Straub aliud dare: Deum non *positive velle*, sed *permittere* tantum aliquod malum physicum ex causa necessaria proveniens, saltem in eo casu recte dicitur, quando, ut malum ex causa necessaria sequatur, requiritur accessus alterius sive causae sive condicionis ab homine libere apponendae (ubi libera creaturae actio non intellegitur semper moraliter mala sive imperfecta). Sic non est necesse, ut Deus semper *positive intendere* dicatur omnia mala physica, quae hominibus v. g. ex aliquo terrae motu contingant (potest utique ea intendere, v. g. in poenam peccatorum). Isti homines libere in ea terrae parte, quae motu concutitur, sedem fixerunt vel saltem alii eos libere ibidem detinebant. Hoc autem sensu in casu parvuli sine baptismo morientis semper aliquod intercedit humanae libertatis exercitium (v. g. in actu conceptionis). Parvulus igitur non nisi per causam creatam libere agentem influxui causarum naturalium a Deo positarum actu submittitur. Ergo Deus malum secutorum *permittere* tantum recte dici potest, neque voluntas eius salvifica exinde rediditur irrita.

663. III. Alia quaestio specialis instituitur de distributione gratiarum **in Vetere Testamento** (P V pr. 47 s). a) Propria virtute nullam Vetus Lex conferebat gratiam internam. Id in omnibus fere epistulis docet S. Paulus, praesertim Rom, Gal, Hebr. Pelagiani quod hanc Veteris a Novo Testamento differentiam non satis servarent, a S. Augustino aliisque catholicis vehementer impugnabant (v. g. *Aug., De sp. et litt., De gestis Pelag.*). Tridentinum s. 6 cap. 1 (Dz 793) docet Iudaeos per litteram Legis Moysi a servitute peccati atque a potestate diaboli ac mortis surgere non potuisse. — b) Tamen hominibus ante Legem et sub Lege viventibus non deerat gratia ad salutem consequendam sufficiens (v. argumenta

th. 25 prorsus universalia), eaque propter praevisa merita Christi concessa et per fidem Christi (saltem implicitam) applicanda. De iustificatione *Abrahae* agit Rom 4 et Iac 2; multa *exempla egregiae fidei* veterum patrum enumerat Hebr 11. Tota Traditio agnoscit *sanctos* Veteris Testamenti. — c) Licet multi ex his sanctis multos Novi Testamenti iustos sanctitate longe superaverint, tamen de generali gratiae dispensatione secundum fontes tenendum est gratias Novi Testamenti esse multo abundantiores. Quare in eodem multo plures inveniuntur insignes sancti. Israelitae quoque prae gentilibus maiorem gratiarum copiam habuerunt, non solum externarum, sed etiam internarum. — Dicta S. Scripturae et Patrum, quibus omnis gratia interna temporis Veteris Testamenti negari videtur, ex eo explicanda sunt, quod gratia tunc temporis *non tam copiose* dabatur *neque ex propria vi* Foederis Antiqui.

664. Hisce quaestionibus amandatis nunc distributionem gratiae cum in genere tum proxime pro adultis Novi Testamenti consideramus. Varias distinguendae sunt hominum classes. De iustis iam egimus n. 163 ss et th. 6 II (n. 170 ss): Est de fide auxilium *ad perseverandum* in accepta iustitia necessarium nulli iusto denegari, sed sine specialissimo et rarissimo privilegio omnia *peccata venialia* vitari non posse. — Remanet igitur quaestio de peccatoribus. Tractabimus eam in th. 25 cum in genere tum speciatim quoad quosdam peccatores qualificados, nempe a) quoad obduratos, b) quoad infideles negativos.

Thesis 25. Deus ex voluntate salvifica universali omnibus adultis peccatoribus, etiam obduratis et infidelibus negativis, dat gratias saltem remote ad iustificationem sufficientes.

665. P pr. 23 s; II pr. 51. — Palm. th. 59—61. — Mazz. n. 782—797 812—873. — Lah. n. 261—284. — Schiff. 302—316. — Ber. 406—445. — *De San.*, De Deo Uno II n. 11—17. — *Franzelin.*, De Deo Uno th. 47—52. — *Piccirelli.*, De Deo Uno et Trino p. 786—809.

St. qu. 1. Nexum v. n. 19 659 664.

666. 2. **Sensus.** a) Voluntas salvifica Dei est voluntas, qua suis creaturis rationalibus Deus *vult salutem* supernaturalem, i. e. *gloriam* ut finem et *gratiam* ut medium. Est universalis, quatenus nulla ex his creaturis excluditur. Intellectus voluntas non metaphorica, exterior, signi tantum, sed

proprie dicta, interior, beneplaciti (cf. P II pr. 48). Est voluntas *seria* et sincera; non per modum simplicis affectus complacentiae versatur circa salutem hominis absolute considerati (mera velleitas), sed per modum *solliciti desiderii* tendit in salutem hominis sub concretis praesentis vitae condicionibus existentis. Non est omnino sterilis, sed *operosa, actiosa*, i. e. sufficientia praestat media salutis. — Ex altera parte haec voluntas Dei est *condicionata*, non absoluta; nam utrum salus a Deo volita etiam reapse conferatur necne, pendet ex eo, utrum a creatura libere acceptetur an recusetur. Hinc dicitur etiam voluntas *antecedens*, non consequens. Quae sit condicio, quam impletam vel non impletam antecedit voluntas salvifica universalis, consequatur voluntas absoluta salvans aut reprobans, ex thesi elucet: utrum ante finem status viae debita poenitentia fiat necne.

Celebris distinctio voluntatis antecedentis et consequentis primum expressis verbis statuta est a S. Ioanne Dam., *De fide orth.* 2, 29 (R 2358): *Νοσσε οportet ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντα σωθῆναι . . . Ἀμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. Λέγεται ὅν τὸ μὲν πρῶτον προηγουμένον θέλημα καὶ εὐδοκία (beneplacitum), ἐξ αὐτοῦ ὅν, τὸ δὲ δεύτερον ἐπόμενον θέλημα καὶ παραχώρησις (permissio) ἐξ ἡμετέρας αἰτίας.* — Iam praeformata erat haec doctrina a S. Ioanne Chrys., *In Eph hom.* 1 n. 2 (R 1202), distinguente *θέλημα πρῶτον* et *θέλημα δεύτερον*. — Similiter Tertullianus, *Adv. Marc.* 2, 11 (Oehler II, 98; CV 47, 350): «Ita prior bonitas Dei secundum naturam, severitas posterior secundum causam; illa ingenita, haec accidens...» — Simile quid legitur apud Augustinum, *De spir. et litt.* 33, 58 (cf. n. 547). — Plura de divisionibus divinae voluntatis v. P II pr. 48; *De San* II n. 1 ss; *Passaglia*, *De partitione divinae voluntatis*.

667. b) Deus igitur ex hac voluntate salvifica universali dat gratias omnibus adultis peccatoribus; — omnibus, qui, uti per se patet, adhuc versantur *in statu viae* sive probationis; Deo autem, summo vitae necisque domino, semper competit ius pro suo libitu huic statui finem imponendi; sed hisce omnibus, non solis praedestinatis vel fidelibus; — adultis, i. e. qui ad eum *usum rationis* pervenerunt, ut et actuum salutarium et gravium peccatorum personalium sint capaces (de parvulis v. n. 661 s); — peccatoribus sive in statu peccati mortalis existentibus; — etiam obduratis et infidelibus negativis; quas duas peccatorum classes propter speciales difficultates in thesi distincte respicimus.

Obduratio sive induratio, obstinatio, *σκληρότης, σκληροκαρδία, πάρωσις* (*πῶρος* = callum) est dispositio voluntatis, qua quis ita *inhaeret malo, ut nolit redire ad bonum*.

Ex parte intellectus coniungitur cum voluntaria obcaecatione (*τύφλωσις, πῆρωσις*) sive perversione iudicii moralis. Hic status e diametro *opponitur gratiae*, quippe quae est illustratio intellectus et inspiratio sanctorum affectuum.

Docente S. Thoma (*De ver. q. 24 a. 11*) obduratio importat «quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis a peccato reverti non possit», non solum hoc sensu, quod *per vires proprias* a peccato liberari non possit (nam haec est condicio omnis peccatoris), sed etiam «quod *nec cooperari potest* ad hoc, quod a peccato resurgat». Si *nullo modo* cooperari potest, habetur perfecta obstinatio damnatorum. In statu viae non invenitur nisi imperfecta, quae consistit in hoc, «quod *non de facili* possit cooperari», «dum scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles». — Talem statum describunt Sap 2; Is 5, 8 ss; 6, 9 s; Ex 7 ss, Rom 9, 17 ss; Io 12, 37 ss; Act 28, 25 ss. — Obdurationis causa positiva interna et principalis est ipse *homo*, qui libere peccando gratiaeque resistendo hanc pessimam animae dispositionem sibi creat; positiva externa atque moraliter cooperans est *diabolus cum suis adiutoribus*; causa externa negativa et permissiva est *Deus* eo, quod gratias abundantiores et efficaces, praesertim in poenam praecedentium peccatorum, subtrahit (quomodo Deus in Scriptura quasi *positive* indurans exhiberi possit, v. n. 561 ad Rom 9, 17 s). — Induratio est libera et imputabilis: α) in causa, utpote libere inducta; β) in se, quatenus gratiis remote saltem sufficientibus, quae adhuc dantur, libere resistitur.

Infideles sunt ii, qui *non habent fidem, quam habere debent*. Distinguuntur: α) positivi, qui propria culpa fide carent, quam aut habitam abiecerunt (apostatae et haeretici) aut oblatam culpabiliter repudiarunt (infideles sensu presso); — β) negativi, qui sine propria culpa non habent fidem, ipsis nondum sufficienter propositam. — Infideles positivi hac in re aequiperantur peccatoribus magis minusve obduratis. Specialis difficultas est quoad infideles negativos.

668. c) His omnibus Deus dat, non solum offert sive dare paratus est, sed vere confert, non omni instanti, ut patet, sed pro loco et tempore, quando occasiones opportunae se offerunt, praesertim quando praeceptum implendum vel tentatio superanda urget; — gratias, i. e. auxilia intuitu meritorum Christi in ordine ad salutem data, hinc *saltem quoad fontem et quoad finem supernaturalia*. Non exigimus, ut omnes habeant gratias internas *entitative supernaturales*; nam infidelibus tales gratiae non videntur dari, nisi quando iam agitur de actibus, qui *directe praeparant susceptionem fidei* (n. 132),

et potest fieri, ut homini cum auxiliis interne naturalibus non facienti, quod in se est, Deus gratias intrinsecus supernaturales deneget (n. 213 232 234). Fidelibus vero peccatoribus sine dubio satis frequenter dantur ea auxilia, quibus *actus salutare*s, saltem salutarem *orationem*, proxime perficere possint (n. 156 d). — Omnes igitur accipiunt gratias saltem remote ad iustificationem sufficientes. Proxime ad iustificationem sufficit ea gratia, qua peccator *actum perfectae contritionis* elicere sive *sacramentum cum attritione* fructuose suscipere valet. Fideles igitur peccatores, si gratis ad salutariter orandum et ad eliciendos alios actus remote ad iustificationem disponentes bene utuntur, infallibiliter habebunt posteriores gratias, quibus bene usi tandem accipient gratiam proxime ad iustificationem sufficientem, cuius usu statim iustificantur. Infideles nonnulli sua culpa fortasse numquam perveniunt usque ad gratias proxime ad actum salutarem sufficientes; sed non relinquuntur sine omni influxu gratiae Christi. Ad minimum igitur aliquotiens vel saltem semel versus finem vitae, probabilius autem satis frequenter, accipiunt ex voluntate salvifica ob Christi merita quaedam auxilia, licet intrinsecus naturalia, quibus proxime iuventur, ut actibus naturaliter honestis ad ulteriora auxilia negative se disponant (v. th. 8 II). Quibus auxiliis bene utendo si faciunt, quod in se est, infallibiliter aliquando accipient eas gratias externas et internas, quae ad amplectendam fidem proxime sufficiunt, atque sic per gratias intrinsecus supernaturales poterunt eos actus salutare elicere, quibus usque ad ipsam iustificationem perveniant. Sin infideles vel peccatores priore auxilio non utuntur, nihilominus, dummodo in statu viae relinquuntur, pro loco et tempore nova auxilia remote saltem sufficientia recipient.

669. 3. Sententiae. A. **Praedestinatiani**, inter quos eminent Calvinistae et Iansenistae, totam thesim negant, quia solam absolutam Dei erga praedestinos voluntatem tamquam vere et serio salvificam agnoscunt, reprobatis autem negant conferri auxilia ad salutem vere sufficientia. — a) Saeculo V fuerunt quidam extremi Praedestinatiani, inter quos erat **Lucidus** presbyter (n. 30)¹. — b) Saeculo IX **Godescalcus**, mona-

¹ Faustus Reiensis alique adversarii Lucidi non erant liberi ab erroribus semipelagianis. Posteriores quidam Pelagiani doctrinam S. Augustini tecte impugnaverunt fingendo aliquem extremum Praedestinatianismum (v. Hans von Schubert, *Der*

chus fuldensis, postea orbacensis (*Orbais* in Gallia), docuit: « Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos tantum, qui salvantur; Christum non venisse, ut omnes salvos faceret, nec passum esse pro omnibus, sed solum pro iis, qui passionis eius salvantur mysterio¹. — c) Saeculo XIV **Thomas Bradwardine** († 1349, modo archiepiscopus cantuariensis factus), *De causa Dei adversus Pelagium*, impugnando Semipelagianismum nonnullorum Occamistarum, extremum Augustinismum docuit cum erroribus de praedestinatione et humana libertate (v. *Sebastian Hahn, Thomas Bradw. und seine Lehre von der menschlichen Willensfreiheit*, BB V 2 [Münster 1905]). — Eius doctrinas recepit et excoluit Ioannes **Wicleff**, a quo multos errores transsumpsit Ioannes **Hus**. — d) Multi **Protestantes** (v. *Karl Müller, Prädestination*: REprTh 15, 597 ss). **Luther** saepe omnia divinae praedestinationi attribuit humana libertate penitus negata². — **Zwingli** importunum Praedesti-

sogen. Praedestinatus, TU NF IX 4 [1903]; ML 53, 583—672). Hinc difficulter diiudicatur, quo sensu saeculo V de haeretica secta Praedestinatianorum possit esse sermo. Iacobus Sirmondus S. J., primus editor libri « Praedestinatus », eidem libro fidens scripsit suam *Historiam praedestinatianam* (Paris 1648; apud Zaccaria, *Thesaur. theol.* II p. 1 controv. 3 opusc. 1, pag. 199—219); contra eum dirigitur opus Natalis Alexandri O. P., *De praedestiniana haeresi* (ibid. p. 220—235).

¹ Ipsius adversarii omnia eius effata in malam partem exponebant; quare non est indubium eum revera fuisse haeticum; v. *Heinr. Schrörs, Hinkmar Erzbischof von Reims* (Freiburg i. Br. 1884) 5.—7. Kap. (p. 88—150); Anhang II. War die Lehre Gottschalks häretisch? (p. 480—490). In magna controversia per Godescalcum excitata etiam quidam catholici negabant Christum pro omnibus mortuum esse et omnibus offerri gratias sufficientes. Sic S. Prudentius, episcopus tricassinus (*Troyes*), Deum solos electos velle salvare contendit, atque ipsa Synodus Valentina (*Valence*) a. 855 ab adversariis Hincmari convocata, impugnans Synodum Carisiacensem (*Chiersy*) a. 853 habitam, can. 4 (Dz 323) vocat « nimium errorem » eam sententiam, quae docet Christi sanguinem effusum esse etiam pro iis, qui tempore mortis eius iam damnati erant. — Scripta saeculi IX de praedestinatione et gratia cum tendentia iansenistica edidit Gilb. Mauguin (Paris 1650); v. etiam ML 112—125.

² Eius doctrina in Confessione Augustana et in Formula Concordiae multum mitigata est. Sic in Solida Declaratione 11, 28 (*Müller, Symb. Bücher* p. 709) legitur: « Firmissime et constanter illud retinendum est, quod non tantum praedictio poenitentiae, verum etiam promissio evangelii sit universalis, h. e. ad omnes homines pertineat. » Quare Particularismo Lutheri et Calvinii a multis posterioribus dogmaticis lutheranis opponitur Universalismus (*Heilspartikularismus, Heilsuniversalismus*); cf. *Chr. E. Luthardt, Die Lehre vom freien Willen* p. 240 ss.

natianismum professus est. — Apud **Calvinum** doctrina praedestinationis est principale fundamentum totius systematis¹. — e) **Iansenius** circa angelos et protoparentes voluntatem salvificam universalem, condicionatam et antecedentem admittit, ex qua omnes habuerunt *adiutorium sine quo non*, quod in isto ordine supralapsario erat vere sufficiens. Sed pro natura lapsa istud auxilium minime sufficit. Deus nunc pro suo beneplacito e massa damnata paucos eligit, quos *adiutorio quo infallibiliter et irresistibiliter salvet*; omnes alios in eadem massa relinquit in iustam peccati originalis poenam. Gratiae parvae, quas reprobis dat, non ex seria voluntate salvifica proveniunt neque ad actus salutares sufficiunt. Si eos aliquando ad fidem et iustitiam temporariam efficaciter vocat, ne hoc quidem ex voluntate salvifica erga ipsos procedit, sed fit propter electos, ut viso eorum casu salutariter sibi timeant. Gratiae ad perseverandum vere sufficientes non conceduntur nisi praedestinatis. Christus non est mortuus pro omnibus hominibus (cf. n. 83 541). Fuisse probare conatur Iansenius peccatores *induratos* carere omni gratia sufficiente, qua moveantur ad bonum (*De grat. Chr.* l. 3 cap. 10).

¹ Instit. relig. christ. l. 3 cap. 21 «De electione aeterna, qua Deus alios ad salutem, alios ad interitum praedestinaverit»; ibid. n. 5: «Praedestinationem vocamus aeternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes; sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praedestinatum dicimus.» — n. 7: «Dicimus aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere;... quos vero damnationi addicit, his iusto... ipsius iudicio vitae aditum praeccludi... Reprobos vel a notitia sui nominis vel a Spiritus sui sanctificatione excludendo, quale maneat eos iudicium, istis veluti notis aperit» (CR 30, 683 686). — cap. 23 n. 8 reicit distinctionem voluntatis (positivae) et permissionis in Deo: «Perire impios... cur permittere [Deum] dicemus, nisi quia ita vult?» ib. 705). — Calvinus supralapsarie docuerat; v. g. *Instit.* 3, 23, 8 (ib. 705): «Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat... Cadit igitur homo, Dei providentia sic ordinante.» Sed quia de hac quaestione non semper satis clare locutus erat, ortae sunt notae controversiae inter Supralapsarios et Infra-lapsarios. Neque Synodus Dordracena (a. 1618 s) hanc quaestionem dirimere voluit (v. P II n. 409—411); sed Universalismum Arminii reiecit (v. g. cap. 1 can. 15; reiect. err. 8 [Müller, *Bekennn.* p. 845 848]). — Paulatim etiam inter Calvinistas praevaluerunt mitiores sententiae, praesertim in Anglia, ubi de probatione positiva non multum disserere solebant. — Pietistae et Methodistae doctrinam praedestinationis omiserunt (cf. A. Lang, *Zwei Calvin-Vorträge* p. 29 ss [BzFchrTh 15, 6; Gütersloh 1911]).

670. B. Catholici, qui thesim non sine restrictionibus admittunt. — a) **Nonnulli veteres Scholastici**, inter quos Hervaeus, Durandus, Biel (v. *De San* II p. 3) nolunt concedere Deum habere *proprie dictam* sive *beneplaciti* voluntatem circa reprobatorum salutem; malunt eam vocare voluntatem *metaphorice dictam* sive *signi*. Rem illustrant praecepto divino immolandi Isaac. Deus iubens non proprie voluit immolationem, sed Abraham ex signo talis praecepti debuit autumare Deum eandem serio velle (cf. *Thom.*, *S. th.* 1 q. 19 a. 11 s). Simili modo ex eo, quod Deus omnibus media salutis vere sufficientia confert, nos debemus concludere eum velle illos actus bonos, qui ope auxiliorum datorum fieri possunt, licet non fiant, velleque salutem eorum, qui pereunt. Sed haec est voluntas divina *signi* tantum, non *beneplaciti*¹. — b) Alvarez (*De aux. grat.* disp. 113 n. 5; apud *Ber.* n. 411), Gonet (*Clypeus Theologiae Thomisticae* t. 1 tract. 4 disp. 4 art. 1 § 1) et **sat multi Thomistae** istius temporis sic distinguunt: Deus omnium salutem vult antecedenter, i. e. quamdiu angelos hominesque tamquam *singulos* respicit; consequenter vero ad *exigentias ordinis universi* sive ubi primum eos iam non singulariter, sed tamquam partem universi considerat, iam non vult omnium salutem. Pars enim bono et perfectioni totius inservire debet; pulchritudo autem universi exigit, ut sint omnia entia a summis usque ad infima atque ut mundus creandus omnia attributa divina manifestet et glorificet. Consequenter igitur ad hanc considerationem Deus iam vult, ut sint damnati, qui suam iustitiam vindicativam glorificent; et ut tales habeantur, in praedestinandis angelis et hominibus multos «omittit» (reprobatio negativa antecedens; cf. n. 648). — c) Quoad induratos omnes quidem catholici admittunt Deum cunctis hominibus praeparare sive in communi proponere et offerre gratias sufficientes; sed **multi Thomistae** negaverunt Deum omnibus

¹ Hi theologi, cum auxilia vere sufficientia omnibus concedi admittant, non adeo in re, quam in modo loquendi minus apto a nobis recedunt. Cum S. Augustino verentur dicere «aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri factumque non esse» (*Enchir.* c. 105 [ML 40, 281]). — Alios modos loquendi haud bonos v. Piccirilli n. 274. — Gregorius Arim. et Driedo (De concordia liberi arbitrii et praedestinationis) verbis saltem negant voluntatem salvificam universalem in ordine infralapsario. — Iuxta Bañez et Estium Deus salutem omnium vult *eminenter*, non *formaliter*. — Cardinali Toletio S. J. (*In* 1 q. 19 a. 6) «magis placet, quod non sit talis velleitas vel voluntas condicionata in Deo... Voluntas igitur antecedens solum dicit in Deo esse volitionem faciendi, quod ex se est.» Addit autem: «Potest oppositum dici; fere enim nulla est differentia.»

haec auxilia eo sensu dare, ut homines reapse ea percipiant. Sic Bannez, Alvarez, Gonet, Zumel, Ioannes a S. Thoma, Ledesma, Lemos, Contenson etc.¹ Ergo secundum hos Thomistas, a quibus tamen hodierni satis communiter recedunt, aliqui peccatores in poenam peccatorum iam prorsus destituuntur iis auxiliis, quae ad salutarem poenitentiam ipsis necessaria sunt (cf. *Ber.* n. 411—413). — d) **Idem Thomistae** quoad infideles negativos suis utuntur distinctionibus: Deus omnibus gratiam fidei offert, quatenus media generalia et per se sufficientia omnibus providit. At non omnibus eadem media salutis confert; nam *per accidens* in particulari interdum non possunt applicari, neque debet Deus deficientiae causarum secundarum miraculose remedium apponere (quod de parvulis recte dicitur, ad adultos extendunt; cf. n. 661 s)².

671. 4. Qualificatio. *Aliqua vera voluntas salvifica universalis* videtur esse de fide divina (1 Tim 2, 4) vel saltem doctrina fidei proxima. — Deum omnibus peccatoribus et infidelibus saltem in communi *offerre* auxilia sufficientia, ad minimum dici debet, ut ista voluntas salvifica aliquem sensum habeat. — *Nullum induratum* in statu viae *ab hac oblatione excipi* propter consensum theologorum est theologice certum. — *Conferri etiam infidelibus* auxilia, quae vero sensu sunt gratiae Christi, ex damnatis Iansenistarum propositionibus est theologice certum. — *Omnibus induratis et infidelibus etiam conferri* gratias Christi remote sufficientes, ut per gratias infallibiliter subsequentes ad iustificationem pervenire possint, est doctrina hodiè communissima et moraliter certa (cf. *Ber.* n. 416 436).

¹ Bañez, *In 1 q. 23 a. 3 sent. 10*: «Deus ab aeterno statuit voluntate vel absoluta vel consequenti non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet eis, qui revera non erunt recepturi.» Assentit Alvarez, *De aux. grat.* disp. 112. Gonet, *Clyp. Theol. Thom.* t. 2 tr. 5 (De praedest. et reprob.) disp. 5 a. 5 § 2: «Si ly dare sumatur, prout est correlativum ad recipere et prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, Deus non dat omnibus reprobis media seu auxilia ad salutem sufficientia, sed plures illis privantur in poenam peccati mortalis, actualis vel originalis.»

² Quidam theologi potius plus postulant quam nostra thesis, scil. omnibus aliquando conferri gratiam stricte theologiam interioris illustrationis et inspirationis (Salmanticenses tr. 14 disp. 3 dub. 8 n. 199; cf. supra n. 232 245; porro Ripalda, Kilber, Schifflini; Thom. Pègues O. P., *Commentaire français littéral de la Somme théol. de s. Th. d'Aq.* IX [Toulouse 1929] 549 s).

672. Prob. I. Ecclesia. Lucidus in libello subiectionis cum concilio **Arelatensi** (c. a. 475) inter alia haec damnavit (Dz 3026): « Quod Christus Dominus et Salvator noster mortem non pro omnium salute suscepit; . . . quod praescientia Dei hominem violenter impellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt; . . . alios deputatos ad mortem, alios ad vitam praedestinos. » Asserit inter alia: « Eum, qui perit, potuisse salvari. Christum etiam Deum et Salvatorem, quantum pertinet ad divitias bonitatis suae, pretium mortis omnibus obtulisse, et quia nullum perire velit, qui est salvator omnium, maxime fidelium. . . Libens fateor Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solum, qui videntur esse salvati, immensae divitias bonitatis ac beneficia divina concludi. » — Godescalcus damnatus est a. 848 Moguntiae a *Rabano Mauro* archiepiscopo, et iterum a. 849 duce *Hincmaro* archiepiscopo remensi a concilio **Carisiacensi**, quod cap. 1 (Dz 316) « unam Dei praedestinationem tantummodo » statuit; cap. 3 docet: « Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur »; cap. 4: « Nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit [Christus], licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. » — Falsus Praedestinatianismus damnatur insuper a concilio Arausicano (clausula [Dz 200]), ab Hadriano I (Dz 300), a concilio Valentino (maxime can. 2 et 3; quod concilium nihilominus in can. 3 *contra concilium Carisiacense* « geminam praedestinationem » defendit [Dz 321 s]), a concilio Constantiensi (errores *Wicleff* et *Hus* [Dz 606 s 627 ss]). — Lateranense IV cap. *Firmiter* (Dz 430 fin.) docet non solum virgines et continentes, verum etiam coniugatos ad aeternam beatitudinem pervenire posse. — Tridentinum s. 6 cap. 2 (Dz 794): Pater Filium misit, ut omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem pro peccatis nostris et totius mundi; — cap. 3 (Dz 795): Christus pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt.

673. Innocentius X damnavit Iansenii prop. 5 (Dz 1096): « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. » Quae propositio declaratur « *falsa, temeraria, scandalosa*, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, *impia . . . et haeretica* ». Hoc ultimum clare ostendit propositionem non tantum damnari propter *factum*.

historicum, quod falso asserit, sive propter *censuram*, quam adversariis iniuste dat («semipelagianum est»); nam haec non esset *haeresis*. Damnatur potius ipsa doctrina Iansenii. Si intellegit Christum *pro solis praedestinatiis* mortuum esse, eius propositio est *haeretica*. A pari: Si intellegit Christum *non pro omnibus omnino hominibus* mortuum esse, eius sententia est *falsa, temeraria, scandalosa*. — Alexander VIII a. 1690 damnavit prop. **Iansenistarum** 4 (Dz 1294): «Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.» Hinc saltem etiam *pro nonnullis infidelibus*, et obvium est dicere; pro *omnibus* omnino hominibus; — prop. 5: «Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.» Ergo Deus non solum omnibus offert salutem, sed voluntas eius salvifica etiam erga has classes hominum est tam actiosa, ut propter merita Christi aliquam gratiam (saltem remote sufficientem et entitative naturalem) iis conferat. — Clemens XI reiecit **Quesnelli** prop. 12 (Dz 1362): «Quando Deus vult salvare animam..., effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei»; similes sunt prop. 13 et 30 (Dz 1363 1380). Quare praeter voluntatem salvificam absolutam et infallibilem admittenda est altera non infallibilis, quae ultra eos, qui salvi fiunt, se extendit. Secundum damnationem prop. 6—8 (Dz 1356 ss) non potest statui illud discrimen inter utrumque Testamentum, quod in Vetere non dabatur gratia vere sufficiens, in Novo datur gratia efficax; — prop. 32 s (Dz 1382 s): Christus non pro solis electis in mortem se tradidit; — prop. 26 27 29 (Dz 1376 ss): Agnosci debent gratiae, quae ante fidem et extra Ecclesiam dantur. — Cf. quae Pius IX et Leo XIII de iis dicunt, qui in ignorantia invincibili verae religionis versantur (Dz 1647 1677; Acta S. Sedis 31 [1898—99] 778 s: Leo XIII d. 22 Ian. 1899 ad card. *Gibbons* de Americanismo).

674. Ecclesia igitur sat clare aliquam veram voluntatem Dei salvificam universalem docet. Ex qua voluntate omnibus omnino sine ulla exceptione etiam conferri gratias remote saltem sufficientes, *expresse* quidem *non dicit*; sed reiecit errorem *Iansenistarum*, qui asserunt statum infidelitatis vel aliorum peccatorum esse generale impedimentum collationis ullius gratiae. Ergo sine urgente omnino ratione non debet dici esse aliquos adultos, qui propter suam obdurationem vel infidelitatem gratias sufficientes non accipient.

Praxis Ecclesiae: Omnibus hominibus Ecclesia *Evangelium praedicat* obligationemque suscipiendi fidem denuntiat. Fideles omnes de Filio Dei profiteri iubet: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. » Omnes catholicos ad *sacramenta singulis annis digne suscipienda* obligat. Atqui haec praxis ostendit Ecclesiam supponere omnes habere sufficientes ad conversionem gratias.

675. II. Scriptura. 1 Tim 2, 3: τοῦτο καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, **4:** ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν.

Contextus (cf. Knabenbauer, *Comment.* in hunc textum, et Pasaglia, *De partitione divinae voluntatis* n. 279 ss). Apostolus monet v. 1, ut orationes fiant universaliter « pro omnibus hominibus »; v. 2: specialiter autem pro iis, a quibus tranquilla fidelium vita maxime dependet; v. 3: « Hoc bonum est... », ut ex v. 4 apparet, non refertur ad tranquillam vitam agendam, sed ad orationes pro omnibus fundendas. Id dicitur « bonum et acceptum coram salvatore nostro Deo ». Deus, qui est salvator, vult, ut pro salute hominum oretur, et quidem pro salute omnium; nam v. 4: « omnes homines vult salvari », omnibus vult salutem supernaturalem procurare, et consequenter vult eis aperiri viam, quae ad hanc salutem ducat: vult eos ad perfectam cognitionem (ἐπίγνωσιν) veritatis (revelatae) venire. Duae dein v. 5s afferuntur rationes (γὰρ), quae hanc universalem voluntatem salvificam probent: a) « Unus enim Deus », qui est omnium dominus et creator; si plures essent dii, fortasse non unus omnium curam gereret. — b) « Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus », qui naturam omnibus hominibus communem assumpsit et consequenter « dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus », ἵπέρ: in utilitatem omnium; ἀντι-λυτρον: loco captivorum redimendorum).

676. Argumentum. Asseritur Dei voluntas a) salvifica: Deus est salvator (v. 3), vult homines salvari et veritatem, quae ad salutem ducat, bene perspicere (4). Agitur de illa salute, cuius mediator est Christus per opus redemptionis, i. e. de salute animarum supernaturali (5s); — b) proprie dicta, seria et operosa. Vi huius voluntatis Deus vult, ut preces pro omnibus hominibus fiant (1), et ipse misit Filium suum, ut fieret pretium redemptionis (6). Ergo non agitur de mera velleitate sive complacentia ex parte Dei, neque de aliqua voluntate signi tantum, qua Deus nihil aliud vellet, nisi ut nos vellemus omnium salutem et putaremus ipsum idem velle; — c) universalis, quae refertur ad omnes omnino homines

saltem adultos (de parvulis in thesi abstrahimus). Hoc *a*) aperte dicitur v. 4, ubi sermo est de omnibus hominibus, iis inclusis, qui ad cognitionem veritatis nondum pervenerunt; — *β*) deducitur ex versibus praecedentibus, ubi voluntas salvifica indicatur ratio, cur Deo acceptum sit, ut pro omnibus orationes fiant. Sensus v. 1 clare est, ut *pro omnibus prorsus hominibus* nemine excepto oretur. Atqui «omnes homines» in v. 4 sunt *iidem* ac in v. 1; — *γ*) confirmatur ex sequentibus versibus 5 et 6: Deus omnium eorum vult salutem, quorum ipse est Deus, quorum mediator et redemptor est Christus. — Quare textui minime satisfaciunt explicationes, quibus voluntas salvifica ad solos *electos* vel *fideles* vel *aliquos ex omnibus hominum classibus* restringitur. — *d*) Eadem voluntas quoad plurima quidem est consequens, i. e. plurimis iam praesuppositis adhuc perseverat. Apostolus loquitur de hominibus, prout de facto existunt. Ergo supponit peccatum originale et enormia peccata personalia, de quibus v. g. Rom 1 loquitur. A fortiori haec voluntas salvifica manet post consideratas exigentias pulchritudinis universi. — *e*) Tamen non est prorsus absoluta, sed condicionata sive antecedens, i. e. tandiu permanens, donec constet de ea condicione non impleta, quae ex natura rei intellegitur: Quoniam Deus homines non vult salvare contra ipsorum voluntatem, si quis per totam vitam et in ipso fine vitae salutem oblatam reicit, post impenitentiam finalem a Deo praevisam, iam non amplius perseverat voluntas salvifica, sed consequitur absoluta voluntas damnandi talem peccatorem; econtra in iis, qui ante finem vitae debitam poenitentiam agunt, hanc impletam condicionem praevisam absoluta voluntas salvandi consequitur.

677. Eandem doctrinam universalisticam exhibet S. Paulus 1 Tim 1, 15: «Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere» (universaliter sine omni restrictione *ἀμαρτωλούς*). — 4, 10: Deus vivus «est salvator omnium hominum, maxime fidelium»; ergo etiam aliquo vero sensu, licet minus perfecto, infidelium. — 2 Cor 5, 14 s bis dicitur: Christus *ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν*. — 5, 19: «Deus erat in Christo mundum (*κόσμον*) reconcilians sibi.» — 1 Cor 8, 11 fieri posse supponitur, ut aliquis «frater, propter quem Christus mortuus est», pereat. — Cf. Rom 5, 15; 10, 12; 11, 32. — Eadem est doctrina S. Petri 2 Petr 3, 9: Dominus, nondum ad *παρουσίαν* veniens, «patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti». Ergo voluntas salvifica uni-

versalis saltem quoad omnes fideles exprimitur. Probabilius autem vox aliquos (τινας) non restringitur ad coetum fidelium (aliquos ex vobis), sed patientia sive longanimitas, quam Deus fidelibus exhibet, ab Apostolo derivatur ex voluntate Dei *omni- no universali*: Deus non vult ullos homines perire.

678. Doctrina Evangeliorum pariter est universalistica. Mt 11, 28: Christus omnes laborantes et oneratos ad se invitat iisque refectorem promittit. — Mt 28, 19 et Mc 16, 15: Apostoli doceant omnes gentes, praedicent evangelium omni creaturae. — Lc 5, 31: Christus venit vocare peccatores (ἁματωλοῦς) ad poenitentiam. — 19, 10: venit quaerere et salvare, quod perierat. — 15: Parabolae ovis, drachmae perditae, filii prodigi. — Io 1, 9: Ὁ Λόγος, vera lux, illuminat omnem hominem venientem (vel: veniens) in mundum. — 1, 29: Agnus Dei tollit τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. — 3, 16s: «Sic enim Deus dilexit mundum (τὸν κόσμον) ut Filium suum unigenitum daret, . . . ut salvetur mundus per ipsum.» — 4, 42: Samaritani dicunt: «Scimus, quia hic est vere Salvator mundi.» — 8, 12: «Ego sum lux mundi.» — Iudas et Iudaei, quamvis pessime obdurati, frequenter denuo vocantur ad agendam poenitentiam. — 1 Io 2, 2: Christus «est propitiatio (ἱλασμός) pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi». — Ex V^o T^o cf. Ezech 18, 23; 33, 11 14—16; Is 1, 18; Ier 35, 15; Sap. 11, 24—12, 18; Prov 1, 20 ss.

679. III. Patres. Pesch II n. 342 haec principia Patrum affert: a) Voluntas *salvifica* est ex sola Dei bonitate; voluntas *dammandi* provocatur solis peccatis hominum (Ioannes Dam. et Chrysostomus; supra n. 666). — b) Deus vult *omnes* salvos esse, quos creavit (Ambrosius, *In Ps 39* n. 20 [ML 14, 1066]). — c) Salus est «*generale beneficium*», «commune ius indulgentiae» (Gregorius Naz., *Orat. 33* n. 5 [MG 56, 226]). — d) Non omnes salvantur, quia *non omnes volunt* (Ambrosiaster in 1 Tim 2, 4 [R 1343]: «Non enim sic vult, ut nolentes salventur; sed vult illos salvari, si et ipsi velint»; Prosper, *Ad capitula Gallorum* sent. super 8 [R 2030]) — Obduratos non excludi v. Cyrillum Alex., *In Is 4, 2* (R 2097); — Caesarium Arel., *Serm. 22, 2* (R 2232). — De infidelibus v. Clementem Rom., *Ep. 1 ad Cor. 7, 4* (R 12); — Arnobium, *Adv. nat. 2, 64* (R 622); — Chrysostomum, *In Io hom. 8, 1* (R 1158); — Ambrosium, *In Ps 118, 8, 57* (R 1313).

Plura v. apud Car. Passaglia S. I., *De partitione divinae voluntatis in primam et secundam deque universali reparationi ordinis amplitudine* (Romae 1851), qui explicata ista distinctione plurimis testimoniis ostendit in omnibus et singulis antiquae Ecclesiae regionibus viguisse fidem voluntatis salvificae universalis et 1 Tim 2, 4 aliosque textus fuse exponit. — L. Capéran, *Le problème du salut des infidèles, Essai historique* (Paris 1912), hanc doctrinam inde a Vetere Testamento usque ad nostra tempora persequitur. — Cf. etiam R ser. 125: Deus vult omnes homines salvos fieri; ser. 346: Peccatoribus omnibus, etiam obduratis, datur sufficiens gratia, ut converti possint, si velint; ser. 347: Nemini, neque infidelibus, Deus denegat gratiam sufficientem ad fidem et ad salutem.

680. De S. Augustino haec videntur dicenda: a) *Ante Quaest. ad Simplicianum* voluntatem salvificam universalem admittit. — b) Postea saltem in operibus *practicis* saepius retinuit modum loquendi universalisticum; v. g. a. 400 *De catech. rudibus* n. 52 (ML 40, 345): «... Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici et non resistant misericordiae creatoris sui, misit unigenitum Filium suum»; — a. 416—417 *In Io tr.* 12, 12 (ML 35, 1490): «Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit... Salvari non vis ab ipso? Ex te iudicaberis.»¹ — c) *Theoretice* a. 412, *De spir. et litt.* 33 s, 57—60 adhuc universalistice explicat 1 Tim 2, 4 (v. n. 547). — d) Iam a. 396—397, *Ad Simpl.*, ita de massa damnata et vasis irae disseruerat, ut seria voluntas salvifica universalis cum eiusmodi effatis logice stare vix possit. — e) Circiter inde ab anno 418 (*Epist. 194 ad Sixtum*) tam exclusive de voluntate salvifica absoluta, quam Deus quoad praedestinos habet, cogitat, ut varias explicationes textus 1 Tim 2, 4 sine dubio tortas et falsas quaerat, quae voluntati absolutae et particulari consonent, atque valde veretur, ne dicat Deum aliquid velle illudque non fieri (cf. R ser. 126; P II 346).

681. Plerumque Augustinus senior exponit 1 Tim 2, 4 hoc modo: «Deus omnes vult salvare» est idem ac: «nemo salvatur nisi per Dei voluntatem»; sicut de unico in aliqua civitate magistro litterarum recte dicitur: «Omnes iste litteras docet», intellege: «omnes, qui ibidem litteras discunt» (v. *Enchir.* 103; *C. Iul.* 4, 8, 42; *Epist. 217 ad Vitalem* 6, 19; *De praed. Sanct.* 8, 14). Aliae explicationes leguntur *Enchir.* 103; *De corr. et grat.* 14, 44: Omnes, i. e. omnes praedestinati, qui colliguntur ex omnibus generibus et clas-

¹ At non desunt in iisdem tractatibus textus particularistici; v. g. *In Io tr.* 87, 2—4 (ML 35, 1853 s), ubi exponendo verba, quae Christum dicunt propitiatorem totius mundi, distinguit inter mundum redemptionis et perditionis; cf. tr. 110, 2 (ML 35, 1921) et *Serm.* 219 (ML 38, 1088).

sibus hominum. — *De civ. Dei* 22, 3; *De corr. et grat.* 15, 47: Deus vult, i. e. nos facit velle. — *Epist.* 217 l. c. addit suae expositioni: «et si quo alio modo illa verba apostolica intellegi possunt, ut tamen huic apertissimae veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, sed Deo nolente, salvos non fieri, contraria esse non possint» (hic proxime loquitur de parvulis). — Alibi Mt 23, 37 «Quoties volui colligere filios tuos... et noluisti» contra manifestum sensum textus particularistice explicat: «Illa quidem [urbs Ierusalem] filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios eius collegit ipse, quos voluit» (*Enchir.* 97). Secundum hanc expositionem Christus diceret: «Saepe aliquos de tuis filiis colligere volui, et, quamquam tu noluisti, revera collegi.» — De praedestinatione dicit a. 419—420 (*De anima et eius orig.* 4, 11, 16): Quosdam Deus «praedestinavit ad aeternam vitam misericordissimus gratiae largitor, qui est et illis, quos praedestinavit ad aeternam mortem, iustissimus supplicii retributor, non solum propter illa, quae volentes adiciunt, verum etiam, si infantes nihil adiciant, propter originale peccatum. Haec est in illa quaestione definitio mea, ut occulta opera Dei habeant suum secretum salva fide mea.»

682. Possunt quidem aliquae distinctiones excogitari, quibus adhibitis eiusmodi verba integram relinquunt voluntatem salvificam universalem (v. g. *De San* II n. 24—30; similiter *Faure*, *Palmieri*, *Franzelin*, *Pesch*). Praesertim distinguitur divina voluntas spectata prae tota amplitudine auxiliorum, quae divinae omnipotentiae praesto sunt, et eadem voluntas spectata prae auxiliis, quae actu singulis dantur (P II 320 et alii). Sed S. Augustinum tales distinctiones subintellexisse nimis dubium est. Si universalitatem voluntatis salvificae antecedentis, quam sane a. 412 (*De spir. et litt.*) adhuc cum quibusdam cautionibus proposuerat, usque ad finem vitae retinisset, prorsus non intellegeretur, cur textus Scripturae sensu obvio clare universalisticos non de hac voluntate antecedente explicaverit, sed iisdem valde violenter sensum particularisticum supponere conatus sit. Ergo rectius conceditur Augustinum seniore studio vindicandi omnimodam gratuitatem gratiae et praedestinationis eo devenisse, ut universalitatem seriae voluntatis salvificae negaret. — De ipsius sententia v. *Odilo Rottmanner* O. S. B., *Der Augustinismus*; *Otto Pfülf* S. J., *Zur Prädestinationslehre des hl. Aug.* (*ZkTh* 17 [1893] 483—495); *Ph. Huppert*, *Der Augustinismus* (*Kath.* 1893 I, 162—172); *P. Schanz* (*ThQS* 75 [1893] 698—703); *M. Jacquin* O. P., *La question de la prédestination aux 5^{me} et 6^{me} siècles*: S. Augustin (*Rev. d'hist. ecclés.* 5 [1904] 265—283 725—754); *A. d'Alès*. *Prédestination* (*Dict. Apolog.* 4, 205—216.)

683. S. Fulgentius sine dubio S. Augustinum seniore sequitur; v. *Fr. Wörter*, *Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus* (*Kirchengeschichtliche Studien* V 2 [Münster 1899]) III. Die Lehre des Fulgentius von Ruspe. — S. Prosper mitius loquitur, sed quoad rem non adeo multum a rigidiore Augustinismo recedere videtur; v. g. *Pro Aug. resp. ad capit.*

Gall. I 4; II 4 (ML 51, 159 171); cf. *Iacquin* l. c. S. Prosper (7 [1906] 269—300). — De vocatione omn. gent. (ML 17, 1073 ss vel 51, 647 ss) l. 1 omnem Semipelagianismum reicit; l. 2 docet Deum velle omnes homines salvos fieri (c. 2) et Christum pro omnibus impiis mortem subiisse (c. 16). Distinguit *benignitatem generalem*, quam Deus omnibus impendit, et *misericordiam specialem*, quam occulto consilio non omnibus exhibet (c. 19 25 31). Sic nemo perit, qui perire non debet, et omnes electi salvi fiunt (c. 33). Pereuntibus non est excusatio iusta, nec iis, qui salvantur, de sua iustitia gloriatio. — Si benignitate generali designatur gratia vere salutaris vereque sufficiens, hic liber docet Universalismum (cf. *Wörter* l. c. I. Der Lehrinhalt der Schrift De vocatione omnium gentium). — Posteriores semper cum Indiculo agnoverunt has difficiliore quaeſtiones non necessario ad mentem S. Augustini solvendas esse (cf. n. 111—116 et A. Koch ibidem laud.). — Saeculo IX rigidus Augustinismus particularisticus et Universalismus, qui periculum Semipelagianismi non satis vitabat, inter se pugnarunt (cf. concilia Carisiacense et Valentinum, supra n. 669 b cum nota).

684. IV. Theologi. Iam veteres Scholastici moraliter omnes professi sunt Universalismum, exceptis forte quibusdam *Augustinensibus*; v. g. Alexander Halensis, *S. th.* 1 q. 36 membr. 2 (in nova editione Ad Claras Aquas [Quaracchi] 1924: pars 1 inquis. 1 tract. 6 q. 3 tit. 2 membr. 1 [I p. 372 ss n. 273]); Albertus M., *In 1*, dist. 46 a. 1; Bonaventura, *In 1*, dist. 46 a. 1 q. 1 (v. Scholion [in ed. Ad Claras Aquas 1882] I 821 s). Restrictiones, quas aliqui adhibent, potius sunt de modo loquendi quam de ipsa re (cf. n. 670). Excolunt Scholastici doctrinas de sacramento naturae, de voto sacramenti, de fide implicita, ut ostendant, quomodo etiam iis satis provisum sit, quibus doctrina et sacramenta Ecclesiae non sunt praesto (cf. *Capéran* l. c. p. 169 ss). S. Thomas iunior seriam voluntatem salvificam universalem clarissime docet; senior habet quaedam, quae Thomistis saeculi XVI et XVII ansam dederunt earum explicationum, quibus seria voluntas potius negatur. Hodierni autem Thomistae cum Salmanticensibus (v. n. 245) ad doctrinam vere universalisticam reverterunt¹.

¹ Ed. Hugon, *Tract. dogm.* II⁵ p. 227: «Peccatoribus omnibus, etiam obcaecatis et obduratis, dantur pro loco et tempore gratiae proxime vel remote sufficientes, quibus possint tum a peccatis commissis resipiscere tum nova peccata praecavere. — Prima pars,

685. S. Thomas¹ In I d. 46 q. 1 a. 1 cum S. Ioanne Damasceno distinguit voluntatem antecedentem, qua Deus omnium salutem vult, et consequentem, qua nolentes et resistentes non vult salvare. — a. 3 ad 6: «Quaedam vero mala sunt, quae si non essent, universum perfectius esset... Unde si nullus hominum peccasset, universum genus humanum melius foret.» — De ver. q. 23 a. 2 iterum distinguit voluntatem divinam in antecedentem et consequentem: «Cuius distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit» (et manifesto universalistice adhibuit). — a. 3: «Invenitur in Deo proprie ratio voluntatis, ... et haec est voluntas beneplaciti, quae per voluntatem antecedentem et consequentem distinguitur, ut dictum est» (ergo etiam voluntas antecedens et conditionata est vera voluntas beneplaciti). — S. th. 1 q. 19 a. 6: Voluntas Dei semper impletur. «Quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium, sicut peccator..., dum per eius iustitiam punitur» (est idea S. Augustini, *De spir. et litt.* 33, 58). — ad 1: 1 Tim 2, 4 ab Augustino dupliciter explicatur. «Secundum Damascenum intellegitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente.» Hanc distinctionem Aquinas fusius explicat, et quidem iterum sic, ut terminus antecedentiae et consequentiae sit *mala voluntas hominum* (non consideratio pulchritudinis universi vel aliud quid), uti exemplum homicidae ostendit, quem iustus iudex *consequenter* vult suspendi, quamvis *antecedenter* omnem hominem velit vivere. Addit hic voluntatem consequentem esse voluntatem *simpliciter* dictam, antecedentem esse voluntatem *secundum quid*. «Unde magis potest dici velleitas quam absoluta voluntas» (*magis* et comparata ad voluntatem consequentem potest dici velleitas; porro quatenus supponitur praevisa frustratio conditionis, contraria voluntas evadit absoluta ac proinde voluntas antecedens salvandi mutatur in velleitatem irreallem; sed non negatur haec voluntas, quatenus ut antecedens abstrahit a verificatione conditionis, esse vera aliqua voluntas; cf. *Mannens* l. c. p. 18s). — Saepius loquitur S. Thomas de pulchritudine universi a Deo provitore universalis respicienda: S. th. 1 q. 19 a. 9; q. 22 a. 2 et, qui textus inter omnes maxime fayet *Alvarez*, q. 23 a. 5 ad 3:

de peccatoribus communibus, est certa; altera vero de obcaecatis et obduratis, licet fuerit controversa, est hodie communis et tenenda. — p. 228: «Infidelibus omnibus etiam negativis dantur pro tempore et loco gratiae proxime vel remote sufficientes. Licet multi olim theologi contradixerint, conclusio illa est hodie fere communis.» — Diekamp, *Dogm.* II³ 455 s, statuit theses: «Gott gibt sogar den verstockten und verblendeten Sündern die gratia proxime vel remote sufficiens zur Bekehrung. Sententia nunc communis»; «Jeder Ungläubige empfängt die gratia sufficiens zum Glauben. Sententia certa.» — *Marín-Sola* (*La Ciencia Tomista* 33 [1926 I] 357): «la doctrina hoy casi común entre los teólogos católicos».

¹ P. Mannens, *Disquisitio in doctrinam S. Thomae de voluntate salvifica et de praedestinatione* (Lovanii 1883) p. 12—83 fuse ostendit, secundum doctrinam Aquinatis Deum, etiam supposito peccato originali, voluntate beneplaciti et operosa, antecedente praevisionem actuum liberorum hominum, velle omnium salutem.

Et praedestinatio et reprobatio a divina bonitate derivatur. «Necesse est autem, quod divina bonitas... *multiformiter repraesentetur* in rebus... Et inde est, quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quaedam altum et quaedam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediuntur.» Hoc applicatur ad totum genus humanum: «Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per modum misericordiae parcendo, et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiae puniendo. Et haec est ratio, quare Deus *quosdam* eligit et *quosdam* reprobat... Sed quare *hos* elegit in gloriam et *illos* reprobat, non habet rationem nisi divinam voluntatem.» — Tamen S. Thomas non dicit Deum, si voluerit creare, *debuisset* eligere ordinem, in quo futuri sint damnati; sed tantum affirmat rationem, cur talem ordinem *reapse* praelegerit, esse, quia in eodem etiam iustitia vindicativa tamquam quaedam ratio bonitatis divinae ad extra manifestetur (v. etiam explicationem huius textus apud *Mannens* l. c. p. 185—192).

686. Quoad *induratos* mentem S. Thomae ex hisce textibus cognoscere licet: **De ver.** q. 24 a. 11 docet liberum arbitrium in statu viae non posse esse perfecte obstinatum, sicut contingit in daemonibus; in imperfecte obstinatis non surgere motus ad bonum nisi *debiles*, quibus arbitrium non de facili cooperari possit. «Quia tamen *aliqui* surgunt, ex eis datur via, ut praeparetur ad gratiam.» — **S. th.** 2, 2 q. 20 a. 3: Desperatio peccatum est non quidem gravissimum, sed periculosissimum. — 3 q. 86 a. 1: De peccato poenitere non possunt daemones et damnati, quorum affectus sunt confirmati in malo. «Tale autem non potest esse aliquid peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum.» Per gratiam «moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad poenitendum». Poenitentia potest delere quodcumque peccatum; «vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet». «Unde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac vita per poenitentiam veram deleri potest.» — S. Thomae de *infidelibus* doctrina n. 238—240 iam aliquo modo est examinata. Praeterea cf. **De ver.** q. 14 a. 11 ad 1: «Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter [in silvis vel inter bruta animalia] nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorum ad eum dirigeret.» — In **scriptis posterioribus** tenet hominem initio usus rationis sub gravi obligari, ut, quam cito possit, ad Deum se convertat, neque posse fieri hanc conversionem absque praeveniente gratia (**S. th.** 1, 2 q. 89 a. 6; q. 109 a. 6; *In Rom* 10 lect. 3; cf. n. 223 239). *Salmanticenses* aliique student eum hoc modo explicare, ut gratiam vere sufficientem omnibus in primo isto instante praesto esse doceat. Sed saltem **S. th.** 2, 2 q. 2 a. 5 ad 1 innuit hanc gratiam

nonnullis in poenam peccati originalis denegari (cf. n. 240; *Mannens* [l. c. p. 20] censet S. Thomam afferendo verba S. Augustini non accurate examinare, utrum auxilium necessarium propter solum peccatum originale aliquibus negetur; quare istud additum non esse nimis urgendum). — Cf. etiam *Capéran* l. c. p. 186—199 et contra ipsum *J. Bittremieux*, Die Lehre des h. Thomas über das Heil der Ungläubigen (Theol. und Glaube 6 [1914] 375—388. — *Jos. de Guibert S. J.*, Quelle a été la pensée définitive de S. Thomas sur le salut des infidèles? (Bulletin de Littérature ecclés. IV 5 [Toulouse 1913] 337—355) censet: Aquinas senior non amplius tanta confidentia ausus est affirmare Deum omnibus infidelibus providere de necessariis ad salutem, et ratio probabilis huius haesitationis in eo invenitur, quod praecise hisce annis et missionarii et mercatores ex interiore Asia reduces notitiam plurimorum maximorumque populorum attulerunt, quibus evangelium prorsus ignotum erat.

687. V. Ratio theologica. 1. Universalem voluntatem salvificam antecedentem non terminari per peccatum originale praevisum neque per certam quantitatem sive qualitatem peccatorum personalium neque per quidquam aliud praeter praevisam impenitentiam finalem, ex variis, quae revelatione divina nobis constant, certo deducimus: a) Deus vult, ut pro omnibus viatoribus oremus, idque, quantum fructus orationis ab ipso dependet, cum certa spe; atqui hoc rationabiliter velle non posset, si quibusdam omnem denegaret gratiam. — b) Deus vult, ut quilibet viator veniam peccatorum speret atque cum spe veniae preces fundat. — c) Deus vult, ut omnibus praedicetur evangelium et ut omnes peccatores ad poenitentiam invitentur. — d) Deus obligat omnes peccatores ad conversionem; atqui impossibilia non iubet. — e) Ecclesia omnes baptizatos obligat, ut singulis annis sacramenta poenitentiae et eucharistiae recipiant; atqui ad sacrilegia obligare nequit.

2. Explicatur voluntas salvifica circa infideles. Seria voluntas salvifica erga infideles adultos non habetur ex hoc solo, quod Deus in causis universalibus (Ecclesia, sacramentis) media salutis omnibus obiective paravit; sed singulis personis veram possibilitatem sibi haec media applicandi concedere debet, idque ita, ut, si ad salutem non perveniant, ex ipsorum personali culpa id profluat. Nam maxima in hac re est inter adultos et parvulos differentia. Parvuli personali conatu ad salutem se praeparare non possunt neque exidentes a salute bona naturaliter sibi debita amittunt. Hinc permittere potest Deus, ut sine culpa personali a salute excludantur. Adulti vero propria cooperatione salutem sibi comparare

debent atque ea amissa in summam ruunt miseriam. Ergo Dei providentia curare debet, hoc malum ne accidat sine gravi culpa personali, et consequenter omnibus adultis sufficientia praebere debet auxilia, interim remote saltem sufficientia, quibus si bene usi fuerint, ad salutem tandem perveniant aeternam. (Quaestionem analogam tractavimus n. 158—161.)

688. Scholium 1. Quomodo infidelibus negativis sufficienter provisum sit.

Franz Schmid, Die ausserordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit (Brixen 1899); de hoc libro v. *H. Hurter* in *ZkTh* 24 (1900), 534—541; *St. v. Dunin-Borkowski* in *StML* 58 (1900) 313—315; *P. Schanz* in *ThQS* 83 (1901) 138—140. — *Jos. Mausbach*, Die ausserordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit und der Begriff des Glaubens (Kath. 80 [1900 I] 251—271 306—325 401—425); de qua commentatione v. *Hurter* in *ZkTh* 25 (1901) 132—135. — *A. Castelein S. J.*, Le Rigorisme, 2^{me} éd., Paris 1899. — *J. Laxenaire*, Les Elus dans l'Eglise et hors de l'Eglise (Paris 1903). — *Ant. Seitz*, Die Heilsnotwendigkeit der Kirche nach der altchristlichen Literatur bis Augustin (Freiburg 1903). — *Capistran Romeis O. F. M.*, Das Heil des Christen ausserhalb der wahren Kirche nach der Lehre des h. Augustinus (Ehrhard-Kirsch, Forschungen VIII 4 [1908]). — *Chr. Pesch*, Theol. Zeitfragen V (Freiburg 1908) Kap. 2. — *Louis Capéran*, Le probleme du salut des infidèles, Essai historique; item: Essai théologique (Paris 1912); de quibus operibus v. *Le Bachelet* in *Etudes* 136 (1913 III) 721 ss et 137 (1913 IV) 37 ss. — *J. V. Bainvel S. J.*, « Hors de l'Eglise pas de salut » (Paris 1913). — *L. Billot S. J.*, La providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale du salut. Les infidèles, adultes d'âge, non de raison et de conscience (Etudes 164 [1920 III] ss). — *P. Claeys-Bouuaert S. J.*, Tous les athées sont-ils coupables? (Nouv. Rev. théol. [Louvain] 48 [1921] 169—185). — *Ant. Straub S. J.*, De analysi fidei (Oeniponte 1922) Corollarium p. 385—418. — *Paul R. Pies*, Die Heilsfrage der Heiden (Aachen 1925). — *A. d'Alès S. J.*, Salut des infidèles: Dict. Apolog. 4, 1156—1182. — *E. Harent S. J.*, Infidèles (Salut des): *DdTh* 7, 1726—1930.

689. Ordinaria salutis via est *Ecclesia catholica* a Christo mediis gratiae instructa. Iis autem, qui *citra suam culpam* in hanc Ecclesiam non intrant, voluntas Dei salvifica extraordinarias paravit vias salutis. De quibus vix quidquam nobis revelatum est, neque ope rationis multa ex revelatis certo deducere possumus. Sed quoniam praesertim nostris diebus magna difficultas apologetica in hac re sentitur, quantum fieri potest, quaestio proposita est solvenda¹.

¹ Billot l. c. *Etudes* 164, 389: « la partie la plus épineuse, et, si je l'osais dire, la plus tourmentée de l'apologétique chrétienne ». — Schmid l. c. p. 187: « Wo ist der gläubige Christ, der am göttli-

690. Historiam huius quaestionis, a *Capéran* fuse expositam Le Bachelet l. c. breviter contraxit. — Iam **Patribus** eadem difficultas a gentilibus obieciatur. Sic *Deogratias* presbyter carthaginensis S. Augustino transmisit sex quaestiones sibi ab infideli propositas, quarum secunda haec fuit: « Si Christus salutis viam dicit... , quid egerunt tot saeculorum homines ante Christum?... Quare Salvator, qui dictus est, sese tot saeculis subduxit?... Quid igitur actum de romanis animabus vel latinis, quae gratia nondum advenientis Christi viduatae sunt usque in Caesarum tempus? » (*Epist.* 102 q. 2 n. 8). — Tempora christiana Patribus non facescebant tantam difficultatem; opinabantur enim evangelium brevissimo tempore ab apostolis per totum orbem terrarum divulgatum esse¹. — Ante incarnationem ex Patrum sententia δ *Λόγος* omnes homines, etiam extra religionem revelatam, illuminavit. Porro gentes habuerunt *Sibyllas*, sicut Iudaei prophetas². — *Clemens Alex.*, *Origenes*, *Gregorius Naz.*, nonnulli alii *Patres graeci* putaverunt Christum, cum descendisset ad inferos, spiritibus mortuorum praedicasse salutem (cf. 1 Petr 3, 19) eosque, qui tunc fidem suscepissent, esse salvatos. Hanc opinionem *Chrysostomus* reiecit, eidem *Cyrillus Alex.* et *Maximus Conf.* favebant. *Anastasius Sinaita*, *Ps-Damascenus*, *Oecumenius* eam quoad meliores saltem gentiles admiserunt. In occidente *Hilarius* et *Ambrosiaster* similia sentiebant. *Philastrius Brixianensis* autem istam opinionem inter haereses recenset. *Augustinus* et *Gregorius M.* eam prorsus explodunt. Iam diu ab omnibus Catholicis derelicta est. Hodierni Protestantes eam interdum proponunt. — Secundum *Chrysostomum* iis, qui Christum invincibi-

chen Ratschluss der allgemeinen Erlösung des Menschengeschlechts unverbrüchlich festhält und dabei mit dem Gedanken sich zu befreunden vermag: Jene Millionen und Millionen Menschen, die der Offenbarung äusserlich immer fern geblieben und so als Heiden gestorben sind, befinden sich jetzt ausnahmslos in den Flammen der Hölle?» — Schanz l. c.: « Es ist in der Tat für die Apologetik unumgänglich notwendig, den Kreis der Geretteten weit auszudehnen und Millionen ausserhalb des Christentums darin einzubeziehen. »

¹ S. Augustinus *Hesychium* episcopum salonitanum id affirmantem a. 419 dedocuit innumerabiles esse in Africa barbaras gentes, quibus nondum praedicatum sit evangelium; v. *Epist.* 197 ad 199; maxime *Epist.* 199 (De fine saeculi) 12, 46. A. 415 de hac quaestione aliter senserat: « Non desunt adhuc ultimae gentes, licet, ut perhibetur, paucissimae, quibus hoc nondum fuerit praedicatum » (*De nat. et gr.* 2, 2 [ML 44, 249]).

² Quid Patres et Scholastici de Sibyllis senserint, v. *Karl Prumm* (Scholastik IV [1929] 54 ss 221 ss).

liter ignorant, sufficit fides unius veri Dei. — Semipelagiani sortem eorum, quibus opportunitas credendi deest, ex eorum credulitate aut incredulitate condicionate praevisa explicabant (cf. n. 59). — S. Augustinus ipse inde a *Quaest. ad Simpl.* sibi persuaserat sufficientem solutionem dari per dogma peccati originalis: Deus ex massa damnata et iuste peritura aliquos ex pura misericordia eripit ad salutem (*Ad Simpl.* 1, 2, 16; postea persaepe, v. g. *Epist.* 186, 12; 194, 10; *Op. imperf.* 1, 48; 1, 127). Sed cum hanc duram solutionem quaerenti illi pagano proponere non auderet, «brevitatis gratia» solum dixit: «tunc voluisse hominibus apparere Christum et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri» (*Epist.* 102, 14). «Ita salus religionis huius... nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit» (ib. n. 15). Cum Semipelagiani ad haec verba provocarent (*Epist.* 226, 3), ea retractavit (*Retr.* 2, 31, 57; *De praed. Sanct.* 9, 17 s; *De dono persev.* 9, 23 s)¹. — Liber *De voc. omn. gent.* distinguit beneficia generalia et specialia (supra n. 683).

691. Scholastici distinguendo fidem *explicitam* et *implicitam* atque quoad obligationem explicite credendi fideles *minores* et *maiores*, quaestionem minus difficilem reddiderunt. *Hugo Vict.* et *S. Bernardus* adversus Abaelardum urgent baptismum in casu necessitatis suppleri eius *voto*. Plerique supponebant evangelium iam diu in toto orbe praedicatum esse²; quare eos casus, ubi Deus «*nutrito in silvis*», facienti, quod in se est, notitiam revelationis extraordinario modo providere teneretur, *exceptiones* habent sat raro occurrentes. Nonnulli quoque illud «facere, quod in se est» ita explicaverunt, ut practice inter infideles vix occurreret (cf. n. 238 ss). — Plurimis nationibus a revelatione christiana remotissimis in novo mundo detectis, sat multi **Humanistae**, studio atque amore classicae antiquitatis flagrantes, quibus iam Dante modo potius poetico praeierat, locum inter caelum et gehennam medium etiam adultis infidelibus paratum statuerunt. Sic v. g. Trithemius abbas, Maximiliano I imperatori respondens, et Claudius de Seyssel, archiepiscopus taurinensis (*De divina providentia* [Paris. 1520]). — Erasmus Roterodam. Socratem, Ciceronem, Plutarchum etc. sanctos declaravit caelestes: «Parum abest, ut

¹ Cf. K. Kolb, *Menschliche Freiheit und göttliches Vorwissen nach Aug.* p. 85 ss.

² De hac re cf. etiam *Fr. X. Jansen S. J.*, *Baius et le Baianisme* (Louvain 1927) 107 s.

dicam: Sancte Socrates, ora pro me» (v. *Ant. Fischer*, De salute infidelium p. 41); quare a Sorbona censuratus est. — Franc. Collius (*De animabus paganorum* [Mediolani 1622 s]) reiecto loco medio de singulis fere illustribus viris et feminis antiquitatis iudicium instituit atque plurimos gehennae, paucos caelo addidit¹. — **Protestantes** veteres, qui voluntatem salvificam universalem negabant, omnes in Christum non credentes gehennae devoverunt; sed Zwingli *contra Lutherum* defendit quosdam illustres paganos revera habuisse fidem Christi atque hoc modo esse salvatos.

692. Patres tridentini de hac quaestione sane non sentiebant angustius (*Hefner*, Entstehungsgeschichte p. 138 not. 2). Vega et Dom. Soto absolutam necessitatem fidei supernaturalis satis servasse non videntur. — Ab hisce fere temporibus theologi coeperunt accuratius examinare, quaenam veritates revelatae *de necessitate mediï sint explicite credendae*, et sententia mitior, quae solas *duas veritates* Hebr 11, 6 commemoratas exigit, post Suarez paulatim invaluit. — Ripalda *fidem late dictam* in casu necessitatis sufficere posse dubitanter proposuit; sed Innocentius XI *Laxissimum* hac in re reiecit (pr. 21—23 [Dz 1171 ss]). Ex altera parte *Rigorismus* Iansenistarum damnatus est (cf. n. 673). — Augustinenses et multi Thomistae saec. XVI-XVIII voluntatem salvificam nimis restrinxerunt (n. 670). — La Mothe le Vayer (*De la vertu des payens*, 1642) censuit, ubi evangelium non est praedicatum, salutem obtineri posse fide implicita in Christum. — Opus postumum cardinalis Sfondrati, *Nodus praedestinationis dissolutus* (Romae 1696), quamvis *Bossuet* aliique episcopi galli damnationem quarundam propositionum nimiae latitudinis postularent, Romae damnatum non est. Scripta quorundam Iesuitarum (*Le Comte*, *Le Gobien*), quia virtutes et salutem *Sinensium* infidelium nimis extulerunt, a Sorbona a. 1700 censurata sunt. Liber Is. Jos. Berruyer S. J., *Histoire du peuple de Dieu* (Paris 1728 1753 1758) propter suum Latitudinarismum etiam Romae saepius damnatus est. — Philosophi sic dictae Illuminationis, praesertim J.-J. Rousseau

¹ Johann von Paltz in sua *Coelifodina*: « Quia igitur multi possunt esse in purgatorio et forte sunt, qui non fuerunt de foro Ecclesiae militantis, dum viverent, sed immediate eos Deus salvos fecit per suam gratiam, quam sacramentis Ecclesiae non alligavit, . . . quantum ad tales . . . communicatio indulgentiae non habet locum » (apud *W. Köhler*, Dokumente zum Ablassstreit von 1517 [Tübingen 1902] p. 75).

(*Emile*) in quavis religione salutem pariter obtineri posse docuerunt. Etiam apologetae, sui temporis erroribus infecti, satis frequenter adultis infidelibus statum medium inter caelum et gehennam ad instar limbi parvulorum assignabant; sic caute et condicionate *Bergier* et *Feller*, audacius *De Malleville* et *De Partz de Pressy*, episcopus bononiensis (*Boulogne*); item episcopi *De la Luzerne*, *Duvoisin*, *Frayssinous*¹.

693. Nostris diebus Ant. Fischer, *De salute infidelium* (Essendiae 1886) et Gutberlet in Heinrich-Gutberlet, *Dogm. Theol.* VIII (Mainz 1897) p. 493 ss, iterum recurrunt ad fidem late dictam, cautius tamen explicatam. Quae solutio ab aliis theologis communiter reicitur (v. P VIII 438 ss). Neque placere videtur multis modificatio huius sententiae ab Ant. Straub S. J., *De analysi fidei* (Oeniponte 1922) correspondentem ad suam novam analysim fidei proposita, ubi loco fidei late dictae occurrit actus virtualis fidei stricte dictae, qui sine notitia revelationis ope gratiae supernaturalis fiat (cf. P Comp. III² n. 404). — *Pesch* vero et multi alii theologi non satis ostendere videntur, quomodo viae extraordinariae salutis maiori quoque infidelium *multitudini* patere possint. Potest quidem dici: Fere omnes infideles non diu faciunt, quod in ipsis est, atque ita iure a Deo deseruntur. Sed hoc responsum a modernis hominibus haud facile toleratur. — Quare *Franc. Schmid* aliique conati sunt invenire viam extraordinariam, qua plurimi gentiles salvari possint. Ipse Schmid cum aliis existimat rudimenta revelationis primitivae apud omnes populos satis conservata esse, ut ope gratiae internae sine nova revelatione privata actus fidei stricte dictae et post ipsum alii actus ad iustificationem disponentes elici possint. Revera moderni ethnographi ducibus *Andrew Lang*, *The making of religion* (London 1898) et *Wilh. Schmidt* S. V. D., *Der Ursprung der Gottesidee I*² (Münster 1926); *Die Uroffenbarung als Anfang der Offenbarungen Gottes* (*Esser-Mausbach*, *Religion-Christentum-Kirche I*⁵ [Münster 1923] 539—697) invenerunt etiam apud tribus infimas, ordinarie sub secreto solis pueris pubescentibus commisso, conservari dignum conceptum summi Dei, custodis ordinis moralis, qui progenitoribus sese revelaverit². Ex alia

¹ Capéran p. 434: « Au commencement du XIX^{me} siècle, les apologistes enseignèrent couramment que les infidèles vertueux vont partager outre-tombe le bonheur naturel des enfants non baptisés. »

² V. *Jos. Huby*, *La croyance à l'être suprême chez les non-civilisés* (*RechScRel* 1917, 327—352); *Jak. Gemmel*, *Die Stammes-*

parte difficultas huius solutionis ex eo crevit, quod hodiernae explorationes ostendunt *genus humanum non esse tam recentis originis*, quam plerique theologi hucusque opinati sunt. Alia difficultas est in hoc, quod *feminae* a beneficio istius revelationis primitivae excludi solent. — Alii theologi censent revelationes internas satis frequenter fieri. Si in hora exitus conferri dicuntur, id neque probari neque refutari potest; quare aliis salutis tramitibus oclusis hoc ultimum refugium semper remanet. Capéran, *Essai théol.* p. 101—104, ostendere conatur, qua ratione eiusmodi revelatio fieri possit, quin indolem eventus prorsus insoliti habeat. Ponamus hominem, qui sive ex ratione sive ex sua religione pagana sufficientem conceptum Dei habet, naturaliter beatitudinem desiderat, conflictationem inter bonum honestum et delectabile in se saepe sensit atque experientia doctus suam infirmitatem moralem bene novit. Si talis homo in aliqua vehementi tentatione validam *gratiam sanantem*, i. e. subitam claritatem et confortationem internam, experitur, potest sibi recte dicere: «Hoc non a me processit, sed accepi *revelationem supernaturalem* Dei tamquam mei salvatoris, auxiliatoris, remuneratoris.» Sic, dummodo interna gratia elevante adjuvetur, salutare actus fidei etc. elicere potest. — Certe non caret difficultate probare eiusmodi experientiam internam, licet origo eius divina cognoscatur, esse *locutionem proprie dictam*, quae tamen ad fidem proprie dictam praerequiratur.

694. Alii denique iterum tentant maiorem numerum aetate aduultorum hac in re parvulis aequiperare. Gottfried [Nogglér] a Graun O. M. Cap., *Institut. theol. dogm. spec. R. P. Alberti [Knoll] a Bulsano recognitae* (Oeniponte 1896) tom. 3 p. 996 s: In terra glorificata «infantes, qui absque baptismo inde migrarunt, et omnes ex gentilibus probi ac iusti laeti ac beati vivent». — Cautius Gutberlet ex hac parte difficultatem problematis minuere studet¹. — Billot l. c. nostrum problema hoc modo satis solvi existimat: Peccatum phi-

weihe der Naturvölker, ein Rätsel der Religionsgeschichte, *Stdz* 88 (1914 s) 522—533. E protestantibus inter alios *Nathan Söderblom* et *Friedr. Heiler* sententiae Lang assenserunt.

¹ L. c. p. 317 s: «Solcher Unzurechnungsfähigen [in sittlicher Beziehung] wird es unter den Heiden, welche mit dem Christentum noch in gar keine Berührung gekommen sind, verhältnismässig viele geben; ja man möchte wünschen, dass ihre Zahl sehr gross sei; denn wenn sie auch nicht die ewige Seligkeit erlangen können, so können sie doch auch nicht zur Hölle verdammt werden; ihr Los ist das der Kinder, welche ohne Taufe sterben.» — Idem senserat

losophicum ab Ecclesia reicitur (Dz 1290). Ad peccatum mortale requiritur plena advertentia; quare peccans bene perspicere debet se suo actu violare praeceptum et incurrere iram *unius veri Dei*, a quo ut a suo creatore et ultimo fine absolute dependeat. Quae cognitio docente Scriptura et Ecclesia omnibus quidem hominibus facilis est et accommodata; sed secundum *S. Thomam, De ver.* q. 11 a. 1, duplex modus acquirendi scientiam distinguendus est, *inventio* scil. et *disciplina*. Prior solis ingeniis sublimioribus patet. Gregariis hominibus natura intendit institutionem per parentes aliosque faciendam. Si igitur conceptus unius veri Dei legislatoris et vindicis ordinis moralis nulla institutione traditur et totum systema sociale stultam potius idololatriam ab omni moralitate penitus seiunctam educandis exhibet, plurimi sane homines per totam vitam *in ignorantia invincibili veri Dei* versabuntur sive non habebunt conceptum Dei tam distinctum et determinatum, ut *bonitatem vel malitiam moralem* ullo actu contrahere possint. Hisce « *adultis aetate, non ratione et conscientia* » voluntas Dei salvifica eodem modo providit ac *parvulis*. Quare si in tali statu moriuntur, *gaudiorum limbi* participes erunt. Censet Billot inter eas nationes, quae sine contactu religionis revelatae fuerunt et sunt, licet in rebus temporalibus sint cultissimae, ingentem plebis multitudinem in tali condicione versari; non ob stare huic solutioni, sed potius eam innuere Sap 13 et Rom 1; a Traditione autem hucusque nostram quaestionem non satis esse discussam. — Hanc theoriam theologi passim reiciunt; cf. P II⁵ n. 24; *R.-M. Martin* O. P. (RevScPhTh 11 [1922] 701—704); *Ed. Hugon* O. P. (RevThom 27 [1922] 278—282; *M. Larrivé* O. P. (RevThom 28 [1923] 43—73). — *Claeys-Bouuaert* l. c. ex parte approbat Billot, monet tamen, ne exceptiones statuatur ut regula; tenet ideam absolutae obligationis et moralitatis haberi posse sine explicita idea Dei, sed implicitum Dei conceptum, qui in istis ideis lateat, normaliter brevi tempore in explicitum evolutum iri.

695. Solutio problematis adeo est difficilis, quod **quattuor veritates certae** intactae servandae et inter se conciliandae sunt (v. *Hurter* l. c.): 1. Deus serio vult omnium salutem supernaturalem. — 2. Nulla salus supernaturalis sine fide super-

Balmes: « Und wirklich hat Balmes sich dafür ausgesprochen, dass unter den »Wilden« viele das Los der ungetauften Kinder teilen werden, jedenfalls beeinflusst durch die in Spanien tendenziös verbreiteten Schilderungen über angebliche stumpfsinnige Vertiertheit der Indios » (*Pies, Heilsfrage* 95).

naturali stricte dicta. — 3. Salutem in sola hac vita operari necesse est. — 4. Nullus datur locus medius pro adultis sive usum rationis adeptis.

1. Prima harum veritatum post Augustinum a theologis sat multis neglecta est; sed *hodie omnes* eam servare volunt. Ut servetur eo modo, qui *bonitate divina dignus* sit, moderni theologi ostendere satagunt viis extraordinariis, i. e. extra visibilem Ecclesiam, non solum theoreticam quandam possibilitatem salutis haberi, sed eam, quae *sine nimia difficultate* in actum reduci possit. — 2. Fidem stricte dictam et consequenter etiam revelationem stricte dictam esse de necessitate medii absoluta *omnino tenendum* est. Sed *condiciones* ad hanc fidem necessariae *non debent exaggerari*, neque quoad numerum veritatum explicite credendarum neque quoad certitudinem, qua motiva credibilitatis cognoscantur. Si cum *Thomistis* explicita in Trinitatem et Incarnationem fides asseritur esse de necessitate medii absoluta, vel si cum nonnullis theologis postulatur, ut motiva credibilitatis *absolute valida* cum certitudine cognoscantur, res est desperata. — 3. Iam diu omnes catholici prorsus *consentiunt* morte finiri statum viae omnium viatorum. — 4. *Certum* est omnes, qui in statu viae actus perfecte humanos exercent, aut ad beatitudinem supernaturalem aut ad poenas gehennae perventuros esse. Potest tamen cum *Gutberlet* admitti *inter gentes valde degeneratas* inveniri non paucos adultos, quorum ratio adeo non sit evoluta, ut peccati mortalis capaces non sint atque ideo *parvulis comparandi*.

Nonnulli igitur infideles *in quaestionem non veniunt*, quia iis sicut parvulis aeterni cruciatus non imminet. Reliqui per fidem Dei remuneratoris aliosque actus salutare iustificari possunt, sive hanc fidem hauriunt *ex revelatione primitiva* sive *ex revelatione privata* modo non adeo miraculoso facta, sive ex divina illuminatione *in hora mortis*, sive *alia via extraordinaria* nobis velata, sed Deo nota. Non opus est, ut perspiciamus, *quomodo singuli* salvari possint. Satis est, ut sciamus Deum omnium salutem serio velle et viam salutis ordinariam omnibusque divinitus praescriptam non eo sensu a fontibus revelationis doceri unicam («extra Ecclesiam nulla salus»), ut Deo denegetur potestas eos, qui inculpabiliter hanc viam ignorant, aliis modis salvandi. — Ecclesia hac in re reicit tam *Rigorismum* (cf. etiam Dz 1647 1677) quam *Laxismum* (cf. etiam Syllabum Pii IX pr. 15—18 [Dz 1715—1718]). Ceterum «quid cum singulis agatur, Deus, qui agit, atque ipsi, cum quibus agitur, sciunt» (August., *De vera relig.* 25, 46 [ML 34, 142]).

696. *Scholium 2. De inaequali gratiarum distributione.*

P 305. — Palm. th. 62. — Ber. 446—448 (cf. supra n. 483).

Ad distributionem gratiarum quod attinet, in multis Deus ipse libere se ligavit, promittendo: Facienti, quod in se est, se non denegaturum gratiam; omnibus se daturum gratias remote saltem sufficientes; debitis sub condicionibus infallibiliter preces se exauditurum; propter dispositiones, merita, opus operatum se daturum gratiam eiusque augmentum. His omnibus, de quibus suis locis egimus vel agemus (maxime th. 8 11 26), minime tollitur gratiae gratuitas; nam Deus *liberrime* totum ordinem supernaturalem *instituit* perditumque *reparavit*. — Sed etiam *consequenter* ad statutas gratiae distribuendae leges, quas fidelissime servat, ipsi Deo permagna libertas in distributione gratiarum remanet. Quare inaequalitas gratiae non a sola diversa dispositione et cooperatione hominum, sed multo magis *ex divino beneplacito* provenit. Inaequali distributione gratiarum Deus *non fit acceptor personarum*; non enim agitur de materia *iustitiae*, sed de puris *beneficiis*, de quibus valet Mt 20, 10: « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? » (cf. *Thom.*, S. th. 2, 2 q. 63 a. 1 ad 3).

Supremam suam in gratiis distribuendis libertatem Deus demonstrat quoad adultos et parvulos (cf. n. 661 s), Vetus et Novum Testamentum (n. 663), fideles et infideles (th. 25 et schol. 1), gregarios christianos et electos sanctos (n. 486 b), specialiter indignos aliquando subito convertendo (n. 213 233 641), maxime autem libere discernendo inter gratias efficaces et pure sufficientes (th. 21 et n. 642 s). — Itaque quamquam Deus, ut in ordine naturae, sic etiam in ordine gratiae omnia « in mensura et numero et pondere » sapienter disposuit (Sap 11, 21), tamen « Spiritus ubi vult spirat » (Io 3, 8), « dividens singulis, prout vult » (1 Cor 12, 11), non solum gratias gratis datas, sed etiam gratum facientes, gratias tam externas quam internas. — Inaequalitatem gratiarum et libertatem Dei eas distribuendis Scriptura et Patres saepe docent; v. g. Mt 25, 14 ss: parabola talentorum; Lc 19, 12 ss: parabola mnarum; Mt 20, 1 s: operarii in vinea; Mt 11, 20 ss et Lc 10, 13 ss: Corozain et Bethsaida, Tyrus et Sidon; Rom 9—11: Israelitae et gentes; 1 Cor 12; Rom 12, 3 ss; Eph 4, 7: charismata. — R ser. 343 textus *Augustini, Prosperi, Fulgentii*. — Doctrinam Tridentini v. n. 483.

SECTIO SEPTIMA

DE MERITO

PRAENOTANDA

697. Fructus gratiae sunt actus salutares, ad quos operandos gratia non solum *moraliter* movet, sed etiam vires *physicas* confert (n. 186—189). Hoc sensu actus salutares qua supernaturales sunt fructus physici gratiae sanctificantis, virtutum infusarum, auxiliorum actualium (cf. th. 10 et 19). De hac re nihil addendum est. Sed praedictis actibus praecise ex eo, quod gratia animam et actus eius supernaturaliter elevat, competit etiam aliqua causalitas moralis in ordine supernaturali; valent enim in hoc ordine impetrare, satisfacere et mereri. Quare *impetratio, satisfactio, meritum* supernaturale sunt fructus gratiae morales. De oratione dona supernaturalia impetrante agitur in tractatu de virtute religionis (cf. P IX pr. 19), de satisfactione in tractatu de poenitentia (P VII pr. 16 ss); cf. etiam doctrinam de satisfactione et meritis Christi (P IV pr. 33—36). Nunc nihil deest, nisi ut de merito agamus. — Ipsum dogma existentiae veri meriti in ordine salutis semper fuit *in explicita professione* Ecclesiae et inde a saeculo XVI *contra Protestantés* defendendum erat. Multae quaestiones adnexae de *natura* huius meriti atque de eiusdem *obiectis et condicionibus* a theologis discutiuntur. — Historia doctrinae de merito fuse exhibetur a *J. Rivière, Mérite* (DdTh 10, 574—785).

Thesis 26. Homo iustus bonis operibus vere meretur apud Deum augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et gloriae caelestis augmentum.

698. P pr. 33 34 37; Comp. pr. 39. — Mazz. n. 1116—1142. — Lah. 356 s 365—372. — Schiff. 344—363. — Ber. 972—983 1015—1027. — *J. Rivière* l. c. — *H. Quilliet*, De congruo, De condigno (DdTh 3, 1138—1152).

St. qu. 1. Nexus. Fructus gratiae (v. praenotanda). Ipsa *thesis* enuntiat dogma de existentia et quaedam communiter admissa quoad naturam, condiciones et obiecta meriti; reliquae quaestiones ad *scholia* transmittuntur.

699. 2. **Sensus.** De conceptu meriti eiusque ab *impetratione* et *dispositione* differentia v. th. 7 et 8 (maxime n. 196 b c 211). — Distinguitur: a) Meritum *concrete* et *abstracte* sumptum (opus meritorium et ratio meritorii in hoc opere). — b) Meritum *bonum* et *malum* (demeritum). — c) M. *apud Deum* (theologicum) et *apud homines* (humanum). — d) M. *physicum* (*der Verdienst*), minus proprie dictum, in quo ad solam physicam operis utilitatem mercede materiali recompensandam attenditur, et m. *morale* (*das Verdienst*), stricte dictum, quando respiciuntur rationes morales obsequii praestiti, honoris exhibiti etc. — e) M. *naturale* et *supernaturale*. — f) M. *excellen-tiae* in Christo, quod fundatur in unione hypostatica, et m. *commune* personae creatae gratia adiutae. — g) M. *de condigno* et *de congruo*. — h) M. *in actu primo* sive aptitudinale et *in actu secundo* sive actuale. — i) M. *antecedens* sive *in re*, quod est tempore sive natura prius praemio et movet ad praemian-dum, quia iam exsistit, et m. *consequens* sive *in spe*, m. improprie dictum, quod praevium in antecessum movet, ut praemium conferatur.

Impetratio movet ad modum supplicis *petitionis*, satisfactio ad modum *compensationis* pro offensa alteri illata, meritum ad modum *obsequii* alteri praestiti. Impetratio respicit donum sive favorem liberalis benefactoris, satisfactio placationem personae offensae, meritum retributionem ad modum praemii. Quoniam meritum rationem obsequii importat, potius *inferior penes superiore* meretur quam vice versa. *Deus* non meretur apud homines nisi sensu *improprio*, scil. meretur gratitudinem eiusque significationem. — Correlatum meriti est merces sive praemium. In lingua germanica ipsa merces saepe metonymice vocatur *Verdienst* (praesertim *der Verdienst* fere idem est ac *der Lohn*: «*Der Verdienst wurde ihm ausbezahlt*»).

700. Maxime nunc distinguere oportet meritum de condigno et de congruo¹. Vi vocis meritum **de condigno** dicit *aequalitatem valoris cum praemio*. Opus igitur de condigno meritorium tanti est valoris, ut *connaturaliter* hoc praemium exigat et accedente *promissione* eius, in cuius obsequium praestatur, aliquo modo ex iustitia sibi istud vindicet. Ad *rigorem* quidem iustitiae *commutativae* requiritur aequalitas arithmetica sive quantitatis, quae solam absolutam quantitatem valoris in opere praestito et in praemio retribuendo respicit;

¹ De historia horum terminorum v. *Rivière* l. c. 685—688 et *Bulletin de Littérature Ecclésiastique* (1927) 75—89. — *S. Bonaventura* inter meritum congrui et condigni ponit meritum *digni*, quo iustus alteri gratiam promeretur (*In 1 d. 41 a. 1 q. 1; Rivière 688*).

quare suum habet locum in merito *physico* operarii, quod quadamtenus comparari potest cum valore rei *vendendae*, pro qua pretium aequalis valoris solvendum est. Sed potest etiam haberi vera quaedam condignitas in aequalitate geometrica sive proportionis, quae praeter rerum etiam personarum habet rationem. Haec adest, quando respectu personae praemiantis dare tale praemium non censetur maius sive difficilius quid, quam respectu personae merentis praestare tale obsequium. Sic a rege potentissimo iure expectatur maior obsequii retributio quam a viro inferioris condicionis. Aequalitas geometrica ad condignitatem meriti *moralis* sufficit. — In merito **de congruo** omnis aequalitas operis et praemii deest. Hinc nulla intercedit iustitia, sed sola decentia et benevola aequitas, atque, si *promissio* retributionis accedit, pura fidelitas. — Miles, qui strenue pugnavit, *de condigno* meruit pactum stipendium, *de congruo* aliquam honoris distinctionem. — Apud Deum meritum de congruo est infallibile, si ipse praemium promisit; v. g. peccatori actum caritatis perfectae elicienti Deus promisit iustificationem. Deficiente promissione divina meritum de congruo est fallibile. Ratio meriti in solo merito de condigno *plene* verificatur, in merito de congruo nonnisi *analogice* invenitur.

Cum meritum de condigno aliquam rationem iustitiae importet, existentia huius meriti supponit inter Deum et creaturas posse intercedere eiusmodi rationem iustitiae, et quidem non solum iustitiae sive rectitudinis universalis, sed etiam istius particularis virtutis, quae suum cuique dat et in *legalem, distributivam, commutativam* dividitur, *gratitudinem* vero, *fidelitatem* etc. partes habet adnexas. Hinc oritur quaestio, ex quam iustitia Deus praemia pro meritis de condigno largiatur. Censemus id fieri non ex sola gratitudine et fidelitate, ut *Vazquez* tenet (*In 1, 2 disp. 213 c. 5 n. 24—29*), sed ex vera iustitia, quae praeter rationes iustitiae legalis et distributivae (cf. *Thom., In 2 d. 27 q. 1 a. 3*) probabilius etiam aliquid de iustitia commutativa contineat, licet ad istius rigorem minime accedat.

701. His praemissis sensus theseos facile patet: Homo, in statu *viae*, quod est tempus merendi; — iustus, insuper in statu *gratiae*, ornatus gratia sanctificante et virtutibus infusis; — bonis operibus, moraliter bonis, non malis vel indifferentibus; ad moralitatem requiritur, ut sint actus vere humani,

i. e. *liberi*; interim sufficit, si *quibusdam* bonis operibus mereatur; nam utrum *omnia* bona iustorum opera ita ex gratia procedant, ut meritoria sint, in scholio 2 discutiendum erit; — vere meretur, quae sunt verba concilii *Tridentini*; ostendemus autem in ipsa thesi verum hoc meritum nihil aliud esse nisi meritum *de condigno*; — apud Deum, quia bona opera sunt obsequium Deo praestitum, cuius retributionem Deus promisit; — augmentum gratiae sanctificantis; *prima* enim gratiae sanctificantis collatio obiectum meriti de condigno esse nequit, quoniam *gratis* iustificamur, et nostra *dispositio* primam iustificationem ad summum *de congruo* mereri potest; sed postquam iustitia gratis accepta est, augmentum gratiae sanctificantis (et virtutum infusarum, cf. n. 484—486) evadit obiectum meriti stricte dicti; — vitam aeternam, quae quidem homini iusto iam titulo hereditatis debetur, sed propter bona opera insuper titulo meriti conferenda est (cf. n. 704 et 714); — et gloriae caelestis, etiam essentialis, augmentum.

702. 3. **Adversarii** imprimis sunt **Protestantes**. Si natura peccato originali penitus corrupta est et fide iustificante non interne sanatur (v. n. 324 348), sequitur, ut opera iustificati, licet propter merita Christi fide fiduciali apprehensa a Deo non imputentur in peccata, revera influxu permanentis peccati originalis sive concupiscentiae inficiantur et sint peccata, saltem venialia. Quare Luther, pr. a Leone X damn. 31: «In omni opere bono iustus peccat»; 32: «Opus bonum optime factum est veniale peccatum» (Dz 771 s)¹. — Sicut alias rigidiores

¹ «All unsere Werke sind nichts anders dann eitel Läuse in einem alten unreinen Pelze, da weder Haut noch Haar mehr gut ist» (Op. Erlangen 20, 159). — «Von Anfang der Welt ist immer mit eingelaufen die Hauptketzerei, die man heisst der Pelagianer, vom freien Willen und Verdienst der Werke, welche sich hat allezeit neben eingeflochten und angeklebt, wie der Kot am Rade» (ibid. 19, 184). — Haec haeretica doctrina originem sumpsit ex Lutheri adversus pharisaicam iustitiam operum («*Selbstgerechtigkeit*», «*Werkheiligkeit*») oppositione (cf. *Grisar* I p. 50 ss; *Denifle* I² p. 430 ss). — Non satis suo systemati constans Luther nihilominus saepe ad bona opera hortatur et pulchre de iis disserit. «Wo der Glaube ist, da sollen auch der Liebe Werk folgen. Das sind die guten rechtschaffenen Werk» (Erl. 49, 193). «Sicut sol necessario lucet, si est sol, ... sic iustus, creatura nova, facit opera necessitate immutabili» (ibid. 58, 350 s). «Fides est semper efficax vel non est fides, ... quae est sol istorum radiorum inevitabiliter» (ibid. 352). — Anno 1520 scripsit libellum *Von den guten Werken* (Erl. 16, 121—220). — Plura v. apud Karl Thieme, *Die stillliche Triebkraft des Glaubens*, eine Untersuchung zu Luthers Theologie

Lutheri sententias hanc quoque emollivit Melanchthon¹. — Calvinus quoque catholicam de meritis doctrinam impugnat². — Saepe Protestantes admittunt *mercedem*, negant *meritum*³. — Hodierni adhuc in catholicum *terminum* meriti invehere solent, sed quoad *rem* non adeo longe distant a catholica doctrina⁴. — Condignitatem meriti certe *omnes Protestantes*

(Leipzig 1895), praesertim p. 68 ss. Ibidem p. 195—213 ostenditur, quomodo Luther *practice* omnino adhibuerit motiva timoris poenarum et spei praemiorum, ut homines ad bona opera excitet, licet *theoretice* tam saepe catholicis timorem gehennae et cupiditatem mercedis probro dederit. — Considerat itaque bona opera ut signum et necessarium fructum fidei, sed valorem vere meritum iis denegat.

¹ *Apolog. Confess. August.* a. 3 n. 68: «Sunt enim facienda opera propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confessionem et gratiarum actionem;... quae quamquam fiunt in carne nondum prorsus renovata, quae retardat motus Spiritus Sancti et adspersit aliquid de sua immunditie, tamen propter fidem sunt opera sancta, divina.» — n. 73: «Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiae aut iustificationis (haec enim tantum fide consequimur), sed aliorum praemiorum corporalium et spiritualium in hac vita et post hanc vitam.» — n. 74: «Erunt igitur dissimilia praemia propter dissimiles labores» (Müller, Symb. B. p. 120).

² *Instit.* l. 3 cap. 15: «Quae de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in conferenda iustitia quam salutis certitudinem evertere.» — n. 2: «Primum de meriti nomine id mihi praefari necesse est: quicumque primus illud operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptavit, eum fidei sinceritati pessime consulisse.» — n. 3: «Quid promereantur omnia opera nostra, Scriptura ostendit, cum Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditiae sint plena... Dominus tamen, quae in nos contulit bona opera, et nostra appellat et non tantum accepta sibi esse testatur, sed remunerationem etiam habitura... Bonorum... operum laudem non (ut sophistae faciunt) inter Deum et hominem partimur, sed totam integram ac illibatam Domino servamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa, quae bona erant, sua impuritate polluit et contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum» (CR 30, 570 ss 579 ss).

³ Confessio helvetica posterior (zwingliana) a. 1562, cap. 16 in fine: «Deus retribuit operibus nostris *mercedem*.» «*Merita* hominum nulla sunt» (Müller, Bekenntn. 194 s). — «Von dem ewigen Leben als Lohn kann nur deshalb die Rede sein, weil Gott in seiner Gnade das ewige Leben vorher verheissen hat; »Lohn« bedeutet hier nicht die Auszahlung von etwas Verdientem, sondern die Entrichtung von etwas Versprochenem» (W. Walther, Lehrbuch der Symbolik p. 423).

⁴ Cf. Krogh-Tonning (n. 315) et Aug. Dieckmann, *Die chr. Lehre von der Gnade* II 7. «Gnade und Lohn; Gnade und Segen; Gnade und Verdienst» (p. 91 ss). «Der absolute Verzicht auf Ehre und Verdienst in jedem Sinne entspricht durchaus nicht dem wahrhaft christlichen Gefühl» (p. 94). — De doctrina Protestantium, maxime veterum, multa affert Rivière (l. c. 710 ad 728 761—769).

reiciunt. Eandem noluerunt admittere Alanus ab Insulis (*De art. cath. fidei* 2, 5 [ML 210, 608]), Guilelmus Alvernus (*Opera* fol. 231) et quidam alii ex primis Scholasticis, e posterioribus Durandus, qui negat «meritum de condigno stricte et proprie sumptum, videlicet pro actione voluntaria, propter quam debetur merces ex iustitia sic, quod si non reddatur, ille, ad quem pertinet reddere, iniuste faciat» (*In 2 d. 27 q. 2*; cf. *Rivière* 690 692).

4. **Qualificatio.** *Thesis*, ut iacet, est de fide definita. — Hoc verum meritum esse *de condigno* est theologice certum. — *Ulteriores explicationes* sunt liberae.

703. Prob. I. Ecclesia in Tridentino s. 6 cap. 16 et can. 32 (Dz 809 s 842) sollemniter definivit thesim. — **Cap. 16:** Docte Scriptura bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus vita aeterna est *et gratia* misericorditer promissa *et merces* ex Dei promissione bonis ipsorum operibus *et meritis* fideliter reddenda. Haec est corona iustitiae, de qua Apostolus 2 Tim 4, 7s. Virtus, quam Christus tamquam caput in membra et vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter influit, bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur. Sine qua virtute opera nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. Sed ea accedente «nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse et vitam aeternam, suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam vere promeruisse censeantur». Nihilominus nostra merita simul sunt ipsius Domini dona. — **In can. 32** obiectum veri meriti accuratius indicatur: «S. q. d. hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, non vere mereri *augmentum gratiae, vitam aeternam* et ipsius *vitae aeternae* (si tamen in gratia decesserit) *consecutionem*, atque etiam *gloriae augmentum*: A. S.»

704. Explicatio. 1. Concilium vitavit terminum scholasticum «*de condigno*» dixitque «*vere mereri*». Tamen ex ipsa concilii doctrina deducitur intellegendum esse **meritum de condigno**: a) «*Vere*» importat aliquod meritum *proprie et stricte* dictum; atqui meritum de congruo non est eiusmodi. —

b) Tridentinum cap. 8 (Dz 801) negat quidquam eorum, quae iustificationem praecedunt, ipsam *iustificationis gratiam promereri*. Sane non vult damnare communiorem sententiam, quae actibus dispositivis rationem meriti *de congruo* attribuit (cf. n. 716). Hinc *promereri* simpliciter dictum in terminologia concilii est meritum *de condigno* (vel saltem aliquid *plus quam vel infallibile meritum de congruo*, quod secundum plurimos theologos actui peccatorem proxime disponenti convenit). A fortiori igitur termini *vere promeruisse* et *vere mereri*, qui in cap. 16 et can. 32 ponuntur, ex mente concilii significant meritum de condigno. — Canon inter obiecta huius veri meriti enuntiat *augmentum gratiae*, sed nequaquam *primam* gratiam sanctificantem. — c) Termini a concilio adhibiti sensu obvio retributionem *ex iustitia* sonant. Cap. 16: «a iusto iudice sibi reddendam»; can. 26 (Dz 836): Iusti expectent et sperent aeternam retributionem a Deo. — d) Complures praelati et theologo asseruerunt meritum de condigno aliis non reclamantibus¹. — 2. **Obiecta meriti**, quae in thesi asserimus, expresse in canone enuntiantur: a) *Pro hac vita* habetur «augmentum gratiae», quod debet intellegi et ab omnibus theologis intellegitur de gratia *sanctificante*; nam certissime noluit concilium definire gratias actuales esse obiectum meriti de condigno (cf. schol. 1 n. 714, 3). — Alia obiecta conferuntur *post mortem*. Imprimis effertur b) «vita aeterna». Etiam *Melanchthon* concessit bona opera esse meritoria quorundam praemiorum in hac vita et post hanc vitam (supra n. 702 n.); quare cardinalis *Contarini* putabat Protestantes tamquam obiectum meriti admissuros esse augmentum felicitatis caelestis, sed non ipsammet vitam aeternam. Sic in «Formula ratisbonensi» (cf. n. 359 ss), ut ipse *Contarini* scribit ad cardinalem *Farnese*, «caute etiam devitatum est, ne diceretur opera nostra esse meritoria vitae aeternae», idque «ne videamur ingrati dicere, quod vita aeterna nobis non fuerit prius debita ratione doni, sed tantum debeatur nostris bonis operibus» (cf. *Rivière* 734 s). — Tridentinum autem S. Scripturae innixum decla-

¹ *Ehses* V 280, 42 ss: «Et maior pars theologorum dixit, quod opera disponantia ad iustificationem sunt meritoria iustificationis *de congruo*, opera vero post iustificationem sunt meritoria vitae aeternae *de condigno*.» — 381, 29 s ex «Summa responsionis Patrum»: «Quae [bona opera], cum in gratia Dei sint facta, non solum conservant et augent iustitiam, sed merentur *de condigno* vitam aeternam.» — Concilium, licet terminum scholasticum vitaverit, quoad rem docere meritum de condigno elucet ex tota historia decreti, quam *Rivière* (l. c. 735—761) diligenter ex actis eruit.

rat c. 16: Ipsa vita aeterna est *et gratia et merces*; iustificati operibus in Deo factis ipsam vitam aeternam vere promerentur. — c) Additur in can. 32: «vitalae aeternae consecutio». In prioribus decretis formis obiectum meriti indicabatur simpliciter «vita aeterna». Tandem d. 14 Dec. 1546 proponebatur distinctio variorum obiectorum. Ut indoles interim hypothetica iuris, quod merita conferunt, clare appareret, in capite ad «aeternam vitam» addebantur verba: «suo tempore, nisi a gratia ceciderint, consequendam», quae paululum mutata recepta sunt; canon autem dicto die propositus est ad verbum eo tenore, quo d. 13 Ian. 1547 definitus est. Censuerunt quidem nonnulli distinctionem inter «vitam aeternam» et «vitalae aeternae consecutionem» esse superfluum; tamen parti maiori placuit. — Potest dici: Haec duo *non sunt praemia omnino distincta*, sed se habent ut merces et eius solutio. Vita enim aeterna non ita cadit sub merito, ut ilico debeat conferri, neque ut omnis, qui eam aliquando meruerit, infallibiliter eam consequatur. Iustus meretur vitam aeternam *suo tempore conferendam*, idque non absolute, sed *sub condicione*: «si tamen in gratia decesserit». — d) Tandem «gloriae augmentum» assignatur obiectum meriti. Nam secundum fidem catholicam diversi sunt gradus gloriae etiam essentialis, i. e. visionis Dei, pro meritorum diversitate (concilium *Florentinum*, Decretum pro Graecis [Dz 693]). Quoniam Tridentinum absolute et simpliciter enuntiat augmentum gloriae, imprimis cogitandum est de gloria *essentia* augenda, non de gaudiis accidentalibus addendis. — Alia de merito et cognato conceptu satisfactionis inveniuntur Trid. s. 6 cap. 10 (Dz 803); can. 24 26 30 (Dz 834 ss); s. 14 cap. 8 (Dz 904 fin.).

705. Alibi eadem doctrina supponitur vel innuitur. Indiculus cap. 12 (Dz 141) docet *nostra merita esse Dei dona*, quae verba Tridentinum cap. 16 repetit. — Arausicanum can. 18 (Dz 191): «Debetur *merces* bonis operibus, si fiant.» — Lateranense IV, cap. «*Firmiter*» (Dz 430 fin.): Etiam *coniugati* recte credentes et bene operantes «ad aeternam merentur beatitudinem pervenire». — Ekardi errores 17—19 (Dz 517 ad 519): Etiam *actus externi* sunt proprie boni, afferunt fructus, a Deo amantur. — Florentinum, *Decr. pro Iacobitis* (Dz 714): Solum *in vera Ecclesia* manentibus ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae *praemia aeterna* parturiunt. — Baii erronea de merito doctrina (v. n. 73 76) ita reicitur, ut *existentia meriti supponatur*: pr. 1—18

(Dz 1001—1018); *ibid.* pr. 12 13 15 17 docetur *necessitas gratiae sanctificantis* ad meritum supernaturale¹. — Cf. Iansenii pr. 3 (Dz 1094) et De Molinos pr. 40 (Dz 1260).

706. II. Scriptura. Verba meritum, mereri (*ἀξία, ἀξιοῦσθαι*) raro in Scriptura inveniuntur neque significant nostrum prae-cise conceptum. Plerumque habent sensum *demerendi*, merendi scil. iram, poenam etc. (v. *Zorell*). Ipsa res sub aliis terminis *clarissime docetur*.

a) Merces (*μοῖρος*). Mt 5, 12: «Beati estis, cum... persecuti vos fuerint... propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.» — Mt 20, 1 ss: Conducuntur *operarii* in vineam. V. 4: «quod *iustum* fuerit, dabo vobis». — 8: «redde illis *mercedem*»². — 1 Cor 3, 8: «Unusquisque autem *propriam mercedem* accipiet secundum suum laborem.» — Sap 5, 16: «Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est *merces* eorum.» — Cf. Apc 22, 12 (v. infra sub g); Prov 11, 18; Eccli 18, 22; Is 40, 10.

b) Bravium (*βραβεῖον*) et corona (*στέφανος*). Phil 3, 14: «Ad destinatum prosequor, ad *bravium* supernae vocationis Dei in Christo Iesu.» — 1 Cor 9, 24 s: «Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit *bravium*. Sic currite, ut comprehendatis;... illi quidem, ut corruptibilem *coronam* accipiant, nos autem incorruptam.» — 2 Tim 2, 3 5: «Labora sicut bonus *miles* Christi Iesu... Nam et qui certat *in agone*, non *coronatur*, nisi legitime certaverit.» — 4, 7 s: «Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem [probabilius: munus meae fidelitati commissum; v. *Zor.*] servavi. In reliquo reposita est mihi *corona* iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die *iustus iudex*; non solum autem mihi, sed

¹ Prop. 14 non damnatur, ut condignitas meriti negetur; ad summum rigor iustitiae reicitur. Temerarius est, qui apodictice negat Deum supra meritum praemiare. Imprimis vero haec propositio damnatur, *prout cum aliis nequitur* et ex tota Bani de causa meriti doctrina pullulat; v. Le Bachelet in DdTh II 80.

² Secundum Knabenbauer hac parabola docemur dignitatem et meritum operum non reputari et aestimari ex sola *diuturnitate laboris*, sed maxime ex eo, quod a sola *liberalitate Dei* donatur, scil. ex *gratia* maiore vel minore, qua labores nobilitantur. Eodem modo exponitur parabola a L. Fönck, *Die Parabeln des Herrn* (4. Aufl., Innsbruck 1927) 355 ss et multis alijs. Aliam explanationem praebet K. Weiss, *Die Frohbotschaft Jesu über Lohn und Vollkommenheit* (Ntl. Abh. XII 4—5; Münster i. W. 1927), quae explicatio iure impugnatur ab U. Holzmeister (ZkTh 52 [1928] 407—412).

et iis, qui diligunt adventum eius.» Ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος secundum *Knabenbauer* est corona, qua coronatur iustitia (*universalis*, i. e. status Deo placens, cumulus omnium virtutum), non significat coronam ex iustitia debitam. Tamen hoc textu corona asseritur ex iustitia debita per verba: ἀποδώσει . . . ὁ δίκαιος κροῖτης. — Iac 1, 12: «Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitam, quam repromisit Deus diligentibus se.» — Apc 2, 10: «Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae»; cf. 3, 11.

c) Retributio (*ἀνταπόδοσις*), remuneratio (*μισθαποδοσία*). Col 3, 23 s: «Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hereditatis.» *Κληρονομία* sensu suo generaliore (v. n. 426) non obest rationi meriti, et *ἀνταπόδοσις*, i. e. plena compensatio pro (*ἀντι*) eo, quod ipsi praestiterunt, meritum supponit. Apostolus in hoc contextu exhortatur *servos* christianos, qui adoptionem filiorum divinitus acceperunt et qua tales bona filiis propria mereri possunt. — Hebr 10, 35: Confidentia (*παρρησία*) magnam habet remuneracionem (*μισθαποδοσίαν*). — 11, 6: «Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit» (rectius «fit»: *μισθαποδότης γίνεται*). — 11, 26: «Aspiciebat enim [Moyses] in remuneracionem» (*μισθαποδοσίαν*). — 2 Cor 6, 13: «Eandem autem habentes remuneracionem (*ἀντιμισθίαν*), tamquam filiis dico: dilatamini et vos.»

d) Digni (*ἀξιοί*) sunt iusti vita aeterna propter sua opera. Sap 3, 5: «Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.» — 2 Thess 1, 5: Tribulationes sustinetis, «ut digni habeamini (in) regno Dei, pro quo et patimini» (*εις τὸ καταξιοθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ*). — Cf. Lc 20, 35; Apc 3, 4. — Ἄξια et ἀξιοῦσθαι sunt ea verba, quibus Graeci exprimunt conceptum meriti et merendi.

e) Ius apud Deum bonis operibus acquisitum praeter 2 Tim 4, 8 (v. sub b) etiam indicatur Hebr 6, 10: «Non enim iniustus (*ἀδίκος*) Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis.» — Cf. Prov 19, 17: «Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.»

f) Particulis et verbis exprimitur nexus causalis inter opera et praemium. Mt 25, 34 ss: «Venite, benedicti Patris mei . . .; esurivi enim (*γάλο*) et dedistis mihi manducare» etc. — Apc 7, 14 s: «Hi sunt, qui venerunt de tribulatione mag-

na...; *ideo* (διὰ τοῦτο) sunt ante thronum Dei.» — 2 Cor 4, 17: «Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis (κατεργάζεται ἡμῖν).» — Phil 2, 12: «vestram salutem operamini (κατεργάζεσθε).»

g) Praemium redditur secundum mensuram et proportionem (κατὰ) operum et laboris. Mt 16, 27: Filius hominis venturus ἀποδώσει ἐκάστῳ κατὰ τὴν πράξιν αὐτοῦ. — 1 Cor 3, 8: Ἐκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήμψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. — 2 Cor 9, 6: «Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.» — Apc 22, 12: «Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua (ἀποδοῦναι ἐκάστῳ ὡς τὸ ἔργον ἐστὶν αὐτοῦ).» — Cf. Rom 2, 6 (v. sub h); Gal 6, 8; Ps 61, 13.

h) Meritum bonum iustorum aequiperatur merito malo peccatorum. Ergo eodem vero sensu ex iustitia debetur. Mt 25, 34 ss eodem modo dicitur: «Venite, benedicti...; esurivi enim et dedistis...» atque: «Discedite a me, maledicti...; esurivi enim et non dedistis...» 46: «Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.» — Io 5, 29: «Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.» — Rom 2, 6 ss: «... qui reddet unicuique secundum opera eius, iis quidem... vitam aeternam; iis autem... ira et indignatio.» — 2 Cor 5, 10: «Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.»

707. Ex allatis textibus eruitur haec doctrina: 1. Bona iustorum opera veram rationem **meriti de condigno** habent. Convenit enim iis α) valor meritorius in actu primo, uti probant causalitas (f), dignitas (d), merces (a), paritas cum indignitate et poena (h). — Accedit β) promissio divina. Mt 20, 2: *conventio* cum operariis (a); Iac 1, 12: «repromisit Deus» (b); Hebr 6, 12: «hereditabunt promissiones», i. e. bona promissa. — Sic habetur γ) titulus veri iuris ad praemium: 2 Tim 4, 8 (b); Hebr 6, 10 (e); operarii (a); bravium (b); retributio (c). Promissio enim non est pure gratiosa, sed onerosa; quare condicione impleta ex iustitia solvenda est. — Tamen δ) praemium aliquo modo superexcedit opus praestitum: 2 Cor 4, 17 (f); cf. Rom 8, 18. — 2. **Obiectum** huius meriti, quod expresse indicatur, est vita aeterna, regnum caelorum. Pluribus

autem et melioribus operibus respondet *maior merces*: 1 Cor 3, 8 (a et g); Lc 19, 16 ss: Qui decem mnas lucratus est, super decem civitates constituitur, qui quinque, super quinque. Ergo etiam augmentum gloriae est obiectum meriti. — Augmentum quoque gratiae esse obiectum meriti ex eo habemus, quod *α*) ex mente Scripturae vita aeterna, regnum caelorum, salus animae iam in hac vita inchoatur (n. 270); — *β*) Scriptura saepe docet *iustitiam augeri* posse et per bona opera augeri, quod *Traditio explicat* de augmento intensivo inhaerentis iustitiae habitualis (n. 485); — *γ*) *aliunde scimus* gradum gloriae olim conferendae correspondere gradui gratiae sanctificantis in terra acquisitae.

708. III. Patres (v. P 390; R ser. 366—368; *Rivière* l. c. 612—661). Ignatius, *Ad Polyc.* 6, 2 (R 68): Christiani sunt milites Christi; ab ipso accipiunt τὰ ὄψωνα. Τὰ δεπύσιτα ὕμῶν τὰ ἔργα ὕμῶν, ἵνα τὰ ἀκνεπτα ὕμῶν ἀξία κομισήσθε. — Iustinus, *Apol.* 1, 43 (R 123): Per prophetas edocti sumus poenas et supplicia et bonas remunerationes κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἐκάστον ἀποδίδουσαι. — Theophilus Ant., *Ad Autolyicum* 1, 7 (R 173): τότε ὄψει κατ' ἀξίαν τὸν θεόν. — 1, 14 (R 176): Deus «excutiet omnia et iustum feret iudicium, suam cuique pro meritis mercedem tribuens». — Irenaeus, *Adv. haer.* 4, 37 (MG 7, 1104): Corona, «quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior». — Tertullianus iurista in iusta retributione valde insistit. *De poenit.* 2 (R 311): «Bonum factum Deum habet debitorem, sicuti et malum, quia iudex omnis remunerator est causae.» — Cyprianus, *De opere et eleemosynis* 14 (R 564): «Unge oculos tuos... , ut pervenire ad videndum Deum possis, dum Deum et moribus et operibus promerueris.» — *Epist.* 76, 4 (R 599): Deus «vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternae remunerans in nobis, quidquid ipse praestitit, et honorans, quod ipse perfecit.»¹ — Cyrillus Hieros., *Catech.* 18, 1 (R 836): «Radix totius bonae operationis est spes resurrectionis; namque mercedis expectatio animam roborat ad bona opera suscipienda. Etenim ad

¹ Karl Herm. Wirth, *Der Verdienstbegriff in der christlichen Kirche nach seiner geschichtlichen Entwicklung dargestellt I. bei Tertullian* (Leipzig 1892); *II. bei Cyprian* (Leipzig 1901); *ibid.* II 183: «So unevangelisch immer uns Cyprian mit seiner auf Leistung des Menschen vor Gott basierenden Verdienstlehre anmuten muss...»; cf. H. Schultz, *Der christliche Begriff des Verdienstes und seine Anwendung auf das Verständnis des Werkes Christi* (Theol. Stud. u. Krit. 1894) aliaque scripta a Wirth et Rivière laudata.

labores perferendos operarius quisque paratus est, si laborum praemium prospexerit; iis vero, qui nulla proposita mercede laborant, animus una cum corpore ante concidit.» — Basilius, *Hom.* 7, 8 (R 966): «Ostende opera et repose remunerationem.» — Ambrosius, *Epist.* 2, 16 (R 1247): «Pendet singulis nostrorum statera meritorum, atque exiguis vel boni operis vel degeneris flagitii momentis huc atque illuc saepe inclinatur.» — Hieronymus, *Adv. Iovin.*, 2, 32 (R 1383): «Iam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare.» — Cyrilli Alex. doctrinam v. Weigl, *Heilslehre* p. 266 ss: Habet terminos *μισθός, ἀντιμισθία, ἀντιδοσίς*. Obiecta assignat augmentum gratiae et vitam aeternam. Rigorosa iustitiam excludit, cum Deus liberaliter promiserit et supra debitum conferat mercedem.

709. S. Augustini clara doctrina est haec: Iustificatio est gratuita, licet homines per fidem divinitus gratis donatam aliquatenus eam mereantur. Iustificatus autem per bona opera, licet ipsa sint dona Dei, vere meretur vitam aeternam augmentumque iustitiae. — *In Ps* 83, 16 (R 1477): «Indulgentiam donavit, coronam reddet; donator est indulgentiae, debitor coronae. Unde debitor? Accepit aliquid?... Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.» — *Serm.* 87, 4, 6 (R 1502): «Erimus ergo in illa mercede omnes aequales...; quia denarius ille vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit omnibus.» — *De grat. et lib. arb.* 6, 14 (R 1937): «Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors pater?» — *Epist.* 194 ad Sixtum 3, 6 (R 1449): «Nullane igitur sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.» — *ibid.* 5, 20 (R 1453): «Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiae tamquam stipendium vita aeterna.» — Cf. R 1452 1498 1575 1807. — Innuit aliquo modo diversitatem meriti fidei mortuae (de congruo) et fidei vivae (de condigno). *Ad Simpl.* 1, 2, 2: Catechumeni credunt; Cornelius credebat Deo, cum elemosynis et orationibus dignum se praeberet, cui angelus mitteretur. Sed in his, antequam sacramentorum participatione incorporarentur Ecclesiae, «tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum caelorum». Hae inchoationes fidei sunt «conceptionibus similes»; «sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perve-

niatur aeternam ». — Si dicit fidem *mereri* iustificationem, hoc ipsi idem est ac fidem *impetrare* iustificationem (textus v. n. 339, 1). — Post Augustinum v. g. De vocat. omn. gent. 1, 24 (R 2045): « Demonstratum est fidem . . . nullis meritis praecedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum. » — Gregorius M., *Mor.* 33, 21, 40 (R 2316): « Bonum, quod agimus, et Dei est et nostrum . . . Si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? » — *In Ezech.* hom. 1, 9, 2 (R 2326): « Praeveniente ergo gratia et bona voluntate subsequente, hoc, quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. »

710. Augmentum gloriae continetur in iis textibus, quibus opera dicuntur esse praemii *mensura*: Ignatius, Theophilus, Hieronymus, Augustinus (R 1502). — Augmentum gratiae docetur ab Augustino, *Epist.* 186, 3, 10 (R 1446): « Ipsa gratia meretur augeri [gratia fidei impetrat iustificationem], ut aucta mereatur et *perfici* » (in iustificato). — Prosper, *Ad capit. Gall.* 6 (R 2027): « Iustificatus itaque homo . . . accipit donum, quo dono acquirat et meritum; ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, numquam remoto adiutorio Dei. » — Gregorius M., *In Ezech.* hom. 2, 3, 4 (R 2328): « Unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. » — Ex modo loquendi Patrum (stipendium, corona, iustus iudex etc.) satis elucet meritum concipi praemio condignum. Nec mirum, quod operibus iustorum tantum tribuunt valorem; docent enim per gratiam *hominem deificari ad opera deiformia* facienda (cf. n. 273 ss 300).

711. IV. Theologi varias meriti species explicite distinguunt atque moraliter omnes, praesertim post Tridentinum, bonis operibus iustorum rationem meriti *de condigno* attribuunt idque quoad *objecta* in thesi indicata¹. — **Thomas**, *S. th.* 1, 2 q. 114 « De merito, quod est effectus gratiae cooperantis. » — a. 1: Homo potest aliquid mereri a Deo. Recompensare mercedem operis vel laboris est actus *iustitiae*, similiter sicut reddere iustum pretium pro re empti. Quoniam iustitia dicit quandam *aequalitatem*, simpliciter invenitur inter eos, inter quos est simpliciter aequalitas. Quare inter Deum et creaturas non est

¹ S. Bonaventura relate ad augmentum gratiae non vult admittere plenum meritum de condigno (*In 2 d. 27 a. 2 q. 2*).

simpliciter iustitia, sed «*quidam iustitiae modus*»; hinc nec simpliciter *meritum*, sed «*secundum quid*, in quantum salvari ibi iustitiae ratio; sic enim et filius meretur aliquid a patre et servus a domino». (Veteres cum Aristotele in relationibus patris ad filios et heri ad servos noluerunt iustitiam simpliciter commutativam admittere. Nos certe hac in re difficultatem non habemus.) Ista iustitia non est «*secundum absolutam aequalitatem*» (arithmeticam), sed «*secundum proportionem quandam*» (geometricam). Deus homini deputavit virtutem operandi. Quia tamen homo se ipsum movet ad agendum *per liberum arbitrium*, eius actio habet rationem meriti. — ad 2: Meremur non afferendo Deo utilitatem, sed operando propter eius gloriam. — a. 3: Homo in gratia constitutus potest mereri vitam aeternam ex condigno; non quatenus opus meritorium consideratur qua naturale («*secundum substantiam*») vel ut procedens a libero arbitrio; sic enim propter maximam inaequalitatem non habetur nisi congruitas quaedam (cf. n. 206); sed si consideratur, prout procedit *ex gratia* Spiritus Sancti, «*sic est meritorium vitae aeternae ex condigno*»; nam sic valor attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti et secundum dignitatem gratiae. Est enim opus hominis in filium Dei adoptati, cui ex ipso iure adoptionis iam debetur hereditas. — ad 3: Gratia Spiritus Sancti est *aequalis* gloriae non in actu, sed *in virtute*, sicut in semine est virtus ad totam arborem. — a. 8: Homo potest sibi de condigno mereri augmentum gratiae vel caritatis. — ad 1: Non quasi hoc sit totum praemium, sed manet insuper ultimus terminus meriti, scil. vita aeterna. — ad 3: Sicut vita aeterna non statim redditur, sic neque gratia statim augetur, sed nonnisi post sufficientem ad hoc augmentum dispositionem. (In hoc ultimo recentiores communius ab Aequitate recedunt; v. n. 486 d cum nota.)

Scriptores ascetici et mystici aliquotiens verbis exaggeratis de vilitate omnium operum nostrorum locuti sunt, sed valorem meritorium serio negare minime voluerunt (v. *Rivière* 707 s). — *Contra Protestantibus* meritum negantes statim surrexerunt theologi catholici, v. g. Eck, Cochlaeus, Wimpina (ibid. 728 ss); soli Colonienses et cardinalis Contarini (cf. n. 359 ss 704) etiam in hac quaestione impossibilem cum Novatoribus tentaverunt compositionem, atque in *Formula ratisbonensi* vocabulum meriti omissum est (*Rivière* 731 ss). — Post Tridentinum B. Bellarminus (*De iustif.* l. 5) alique controversistae catholicam de merito doctrinam strenue defenderunt (*Rivière* 771 s), Suarez (*De grat.* l. 12), Ripalda (*De ente supernat.* l. 4) et alii theologi scholastici multas quaestiones de natura, condicionibus, obiectis meriti fuse tractaverunt (*Rivière* 772s).

712. V. Ratio (P 392—396). 1. Ex comparatione cum ordine naturali exspectandum est Deum ordinem supernaturalem ita instituisse, ut finis ultimus adultis sit obiectum meriti. Naturaliter enim habemus *liberum arbitrium*, quo Deo aliquid *de nostro* praestare possumus, quod etiam recusare valemus, scil. obsequium, oboedientiam, glorificationem. Tales igitur actus sunt laude et praemio digni, non solum quando sunt supererogatorii, sed etiam quando ex obligatione ponendi sunt. Quare ethica recte docet: Si Deus ordinem naturalem instituisset, homines operibus naturaliter bonis mererentur beatitudinem naturalem. — In regno etiam temporali *legislatores* proponunt praemia et poenas. — 2. Possibilitas meriti supernaturalis in nostro ordine revera habetur; nam per gratiam tam *persona* operans quam ipsa *opera* salutaria *elevantur* ad perfectionem eius generis, cuius est ultimus finis huius ordinis supernaturalis (cf. th. 9 10 14). Neque obstat, quod iustus iam per gratuitam iustificationem et adoptionem habet ius ad vitam aeternam; potest enim augmentum gratiae et gloriae mereri et primam gloriam saltem novo titulô meriti exigere (v. n. 714). — 3. Hoc meritum supernaturale vere est de condigno. Certissime non deest acceptatio ex parte Dei; nam revelatio abundat promissionibus divinis, quibus bonis iustorum operibus praemia vitae aeternae proponuntur. Erit igitur meritum de condigno, si haec opera valorem vita aeterna condignum habent. Quoad *quantitatem absolutam* valoris opera sane minora sunt praemio; sed ad condignitatem sufficit *aequalitas proportionis*, quae hisce operibus revera competit. Nam: a) Eo quod Christus virtutem supernaturalem iugiter influit, actus animae superioris evadunt *entitative et simpliciter supernaturales*, i. e. eiusdem *ordinis divini*, cuius est *visio beatifica*, quam in germine continent, sicut arbor in semine continetur (v. th. 9 10 et supra n. 711 a. 3 ad 3). — b) Accedit correspondens dignitas personae operantis, collata per *gratiam sanctificantem*, qua homo fit consors divinae naturae, amicus et filius Dei possidetque Spiritum Sanctum inhabitantem (th. 14—16). Si talis *persona deificata opera deiformia peragit*, haec opera revera sunt tantae dignitatis, ut aequalitas proportionis ad praemium vitae aeternae adsit. — c) In ordine naturae reparatae condignitas meritorum eo manifestius elucet, quod omnia nostra merita fundantur in meritis Christi (cf. P 418), qui nobis omnes gratias meruit, quibus nos meritorie agere possumus. Christi autem meritum *simpliciter est*

infinite, est de rigore iustitiae condignum vita aeterna atque infinite *superabundat* supra praemium, quod non est nisi secundum quid infinitum (cf. P IV pr. 34—36).

Tantum abest, ut catholica de merito doctrina meritis Christi quidquam derogat, ut eadem insigniter exaltet, eo scilicet quod iis tribuit *potestatem elevandi nostra opera* ad supernaturalem et condignum valorem meritorium; cf. Tridentinum s. 6 cap. 16 (Dz 809 s); s. 14 cap. 8 (Dz 904 fin.). — Tota igitur condignitas operum ad praemium supernaturale exigendum ex gratia Christi est; ex nudo libero arbitrio *ne congruitas quidem* habetur neque ullus positivus influxus (th. 7 s). Sic ex nobis sumus servi inutiles (Lc 17, 10), omnisque gloriatio nostra exclusa est per legem fidei (Rom 3, 27; cf. 1 Cor 4, 7). Gratia autem Christi, indignis prorsus gratuito collata, est in nobis « semen Dei » (1 Io 3, 9) et « fons aquae salientis in vitam aeternam » (Io 4, 14).

713. 4. Suppositis valore operum supernaturali et divina acceptatione sive promissione iam quaeritur, quo titulo Deus teneatur ad retribuendum. Omnes dicunt collationem praemii non esse opus merae *potentiae* vel *sapientiae divinae*, sed revera ex aliqua iustitia procedere, ex iustitia nempe particulari sive ex eo attributo Dei, quod merae *liberalitati* et *miseri-cordiae* opponi solet. — Si Vazquez, *iustitiam formalem Deo denegans*, ipsum docet retribuere ex virtute *gratitudinis*, quae est inter partes potentiales iustitiae, et accedente promissione etiam ex *fidelitate*, sane displicet, quod *gratitudinem* Deo formaliter tribuit, quamvis fontes hoc numquam faciant et gratitudo rationem *accepti beneficii* sive *commodi* insinuare videatur, deinde quod *iustitiam* non vult esse in Deo secundum formalem suam rationem, licet hoc attributum in fontibus tam frequenter Deo adscribatur. — Quare potius cum Suarez (*De grat.* l. 12 cap. 30; *In 3 t.* 1 disp. 4; *Opusc.* 6, *De iustitia* [Vivès t. 11, 514 ss]), Mazz. (n. 1178—1198), Ber. (n. 979—983) et aliis dicimus: a) Sine divina promissione retributio iam fieret ex aliqua iustitia legali, quae unicuique tribuit, quod ei debitum et proportionatum est ad bonum commune; nam reddere praemia pro meritis est actus, quem *bonum commune* a gubernatore exigit, sicut infligere poenas pro male factis. — b) Accedit iustitia distributiva, quatenus Deus pro inaequalitate operum et dignitatis personarum praemia distribuit, ita scilicet ut inter diversos remunerandos *debita proportio praemii* servetur. — c) Quatenus opus habet valorem praemio *condignum* et sub *promissione* divina dandi tale praemium pro tali opere peragitur, etiam quaedam iustitiae commutativae ratio invenitur. De facto Deus remunerat *secundum accuratam operum*

mensuram, i. e. quanto maioris opera sunt valoris, tanto maius Deus confert praemium. Atque hac in re non solum bonum commune, sed omnino etiam *bonum privatum* singulorum intenditur, prout secus in iustitia commutativa moris est. Promissio tandem praemii facta est *sub condicione onerosa*; quare aequivalet pacto: «Dabo, si feceris.» Tale pactum ex iustitia commutativa servandum est. Ergo operans acquirit *ius proprie dictum* in praemium, quod sine laesione iustitiae commutativae ei denegari non potest¹. — d) Omnes concedunt rigorem iustitiae multiplici ex capite deesse: *α*) Deus *nihil utilitatis* ex nostris operibus percipit. — *β*) Homines Deo *non perfecte de suo* dant; nam ut mereri possint, multa praesupponuntur gratis a Deo data: existentia, libertas, concursus, merita Christi, iustificatio, gratia praeveniens. Sic Deus revera sua in nobis dona coronat. — *γ*) Opera Deo iam *ex aliis titulis debentur*. Deus qua summus dominus postulare posset, ut sine tali praemio ipsi serviremus. — *δ*) *Deest aequalitas arithmetica*. Praemium Dei liberalissimi absolutum operum valorem excedit. — Ex dictis apparet *rationem*, dummodo titulus iustitiae caute explicetur et omnes imperfectiones diligenter a Deo arceantur, nihil contra hunc titulum posse arguere, sed potius eum suadere. Hinc standum est *proprietați verborum Scripturae, Patrum, Tridentini*, quibus meritum de condigno eo modo exprimitur, ut *verum ac strictum ius ad praemium* asserti videatur.

714. *Scholium 1. De obiectis meriti.*

P pr. 37—40. — Mazz. 1199—1214. — Lah. 358—364. — Ber. 1028—1052.

I. Obiecta meriti de condigno (praeter ea, de quibus thesis agit).

1. **Prima gloria** sitne obiectum meriti, disputant. Plurimi dicunt saltem eum adultum, qui ante susceptionem sacramenti actu contritionis perfectae iustificetur, eam hoc actu de condigno mereri. Adversantur *De Lugo* (De incarn. d. 6 s. 3 n. 59), *Ripalda* (De ente supernat. l. 4 disp. 89 s. 1), *Vega* (De iustif. q. 6 ad 9) et alii. — Si ultimus actus dispositivus iam *efficienter procederet* ex gratia habituali, ad quam disponit (cf. n. 343 ad

¹ Magna saltem ex parte est lis de verbo, utrum iustitia proprie dicta et commutativa inter Deum et creaturas esse possit. Secundum B. Bellarminum (*De iustif.* 5, 14) *substantia* divini iudicii est secundum iustitiam distributivam, *modus* secundum commutativam.

346), facilius intellexeretur, quomodo hic actus de condigno mereretur primam gloriam. Sed istam sententiam reiecit. Actus igitur ultimo disponens superveniente gratia habituali dignificatur; haec vero dignificatio est posterior natura, quam illud exercitium libertatis, quo meritum ipsius actus comparandum esset (cf. similem quaestionem n. 528 b δ). Quare difficulter explicatur, qua ratione actus, ab eo, qui adhuc est inimicus Dei, procedens et proinde iustificationis non meritorius de condigno, quatenus eodem momento per gratiam supervenientem fit actus amici Dei, iam mereatur de condigno vitam aeternam. Nihilominus plurimi theologi, etiam ii, qui sententiam thomisticam reiciunt, hoc fieri posse et propter modum loquendi fontium asserendum esse existimant. Sic cum Suarez (l. 12 cap. 28), Vazquez, Viva, Tepe, Pesch (422), alii etiam Beraza (1028 fin.), qui tamen notat: « Haec ultima assertio... probabilitatis limites non excedit », et L. Lercher S. J., (Instit. Theol. Dogm. III [Oeniponte 1925] n. 659), cui secundum mentem concilii Tridentini id assumendum esse videtur, quare per instans iustificationis virtualiter duplex rem explicare conatur. — Fortasse melius omittitur subtilis explicatio, qua ostendatur, quo pacto prima gloria in instanti iustificationis obiectum meriti de condigno evadere possit; nam fontes recte intellecti id non insinuant. Primus titulus ad gloriam videtur semper gratuito vel ob meritum de congruo tantum dari. Actus boni iustorum merentur augmentum huius primae gloriae, sed simul ad titulum hereditatis addunt novum titulum meriti de condigno quoad vitam aeternam in genere sumptam (sicut in fontibus exhibetur) et consequenter etiam quoad primam gloriam. Haec est sententia B. Bellarmini (De iustif. l. 5 cap. 20). — G. van Noort, De grat. ed. 2 (Amstelodami 1911) n. 218, censet sustineri posse explicationem: « Prima gloria primario datur titulo hereditatis, sed adultis, qui post iustificationem bene egerunt, secundo debetur titulo mercedis. »

Quod speciatim ad doctrinam Tridentini attinet, falso diceretur in can. 32 vitam aeternam ab augmento gloriae eo consilio distingui, ut etiam prima gloria in sensu istius controversiae exhiberetur obiectum meriti. Ex actis elucet canonem paulatim formam definitivam accepisse et varia obiecta meriti nonnisi sero in eodem canone enumerata esse (v. n. 704); sed nullum in actis apparet vestigium intentionis primam gloriam qua obiectum speciale alicuius actus meritorii declarandi; cf. Eheses V 389, 18 s (can. 15); 427, 47 ss (can. 21); 509, 42; 517, 16 ss (can. 30 s); 641, 40 ss (can. 30); 647, 12 ss; 684, 45; 716, 27 ss (can. 32); 717, 19 s 32; 719, 45 s; 720, 4; 723, 38 ss; 753, 17 ss. — Concilium universaliter loquitur de omnibus operibus meritoriis omnium iustorum; sed certe is, qui parvulus

baptismo iustificatus gratiam sanctificantem numquam amisit, primam gloriam, prout secundae opponitur, non meruit nisi *secundo titulo* ad titulum gratiosae donationis addito. Ergo Tridentinum nihil aliud de «prima gloria» docere vult (cf. *Ripalda, De ente supernat.* l. 4 disp. 89 n. 9s; *Ber.* n. 1016).

2. **Gloria accidentalis**, quatenus in hoc ordine ex institutione et promissione divina necessario *cum gloria essentiali coniungitur*, rationem meriti de condigno participat. Eiusmodi sunt glorificatio corporis, amicitia beatorum, societas angelorum, aureola martyrum, doctorum, virginum. — Alia gaudia accidentalialia fortasse a Deo ex liberalitate adduntur sine merito de condigno (cf. *Ber.* 1030).

3. **Gratiae actuales**, saltem quatenus *necessariae* sunt ad *potestatem perseverandi*, sicut infallibiliter orando impetrari, sic probabiliter etiam titulo meriti de condigno comparari possunt; *connaturaliter* enim augmentum gratiae sequuntur (*Suarez* l. 12 disp. 26 n. 27; adversatur *Ripalda* l. 4 disp. 93 sect. 1 n. 3).

715. II. Excluduntur a ratione meriti de condigno:

1. **Quaecumque peccator facit** ad dona supernaturalia et imprimis ad iustificationem obtinendam (P 419; *Ber.* 1037s). Hoc quoad gratiam iustificationis est *de fide*: Tridentinum s. 6 cap. 8 (Dz 801): «Nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.» Verbum «promeretur», uti ex actis concilii elucet, exprimit meritum *de condigno* (v. *Rivière* 751 754). Cf. *Baui* pr. 12 17 18 (Dz 1012ss). — S. Paulus saepissime docet peccatorem non ex operibus, sed gratis ex fide iustificari; v. g. Rom 4, 4s: Operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; non operanti, credenti autem in Deum iustificantem reputatur fides ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei (cf. Rom 3, 24; 9, 30ss; 11, 6; Eph 2, 8s). — Augustinus (R 1446 1449). — De primis Scholasticis v. A. *Landgraf* in *ZkTh* 51 (1927) 172 f. — Thom., *S. th.* 1, 2 q. 114 a. 5. — Ratio: Cum ad meritum de condigno etiam debita *dignitas personae* requiratur, *servus* et a fortiori *rebellis* de condigno mereri nequit adoptionem et bona filiis exclusive propria. Valore operis in actu primo propter indignitatem personae deficiente, sola Dei promissio hominem perfecte contritum iustificandi non potest creare meritum de condigno. *Merita iustificationem consequentia* a Deo

praevisa sane peccatori nullum veri nominis ius ad iustitiam dare possunt. Neque apte dici potest primam gratiam habitua-lem, primitus gratis collatam, iam propter bona opera iustificati deinceps etiam *novo titulo* meriti de condigno possideri. Nam prima gratia, cum sit omnis meriti de condigno *principium*, simul eiusdem *terminus* qua praemium esse non potest (Thom. 1. c. corp. et ad 3).

2. **Quaecumque iustus pro aliis facit**, ut iis bona supernaturalia obtineat (Ber. 1099). Fontes, ubi de merito de condigno sermo est, docent Christum quidem omnibus omnes gratias *de condigno* meruisse, quae merita Christi, ut nostra evadant, indigent *applicatione* (P IV pr. 36), de cetero autem Deum reddere unicuique secundum propria ipsius opera. — Cf. Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 114 a. 6: « Patet, quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam nisi solus Christus », qui qua caput Ecclesiae et auctor salutis sic movebatur per gratiam, « non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam ut alios in eam adduceret ».

3. Quae **iustus pro se ipso** facit, non merentur de condigno: a) **Gratiam efficacem** ut talem. Est *sententia communis et certa* (Ber. 1036). Argumentum 1. Ad gratiam efficacem de condigno merendam bona opera *neque ordinantur intrinsecus* per suam naturam, cum gratia efficax ad novum opus bonum sit auxilium speciale omnino extrinsecum merito praecedenti; *neque extrinsecus* ex ordinatione et promissione divina, cum Scriptura et Traditio nihil de hac re habeant. — Argumentum 2. Eiusmodi meritum non competit: a) *cuiilibet actui meritorio*; nam secus iustus post primum actum meritorium statim confirmatus esset in gratia, quia quemlibet actum meritorium sequeretur gratia efficax et quamlibet gratiam efficacem sequitur actus meritorius; — β) *neque actui alicui speciali*, v. g. *heroico*. Praemium enim condignum cuiuslibet actus exhauritur augmento gratiae et gloriae et iis, quae intrinsecus et connaturaliter cum hoc connectuntur; sed nova gratia efficax ad sequentem actum est donum prorsus novum et distinctum. Deest quoque divina huius praemii promissio; — γ) *neque collectioni cuidam actuum*, de qua idem valet ac de actu heroico. — b) **Donum perseverantiae**. Est *doctrina saltem theologice certa* (Suarez l. 12 cap. 26; Ripalda l. 4 disp. 94 sect. 1). Tridentinum s. 6 cap. 13 et can. 16 (Dz 806 826) hoc donum ita describit, ut illud manifesto non consideret tamquam praemium ex iustitia debitum: « munus », « magnum donum », de quo « nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur »;

quare «cum timore ac tremore salutem suam operentur», formidantes de pugna, quae superest etc.; porro eo, quod can. 32 (Dz 842) vitae aeternae consecutioni tamquam obiecto meriti *condicionem* «si tamen in gratia decesserit» expresse addit, satis innuit hoc donum, quo collato consecutio gloriae absolute certa evadit, ad obiecta meriti de condigno non pertinere. — S. Augustinus maxime in libris *De corr. et grat. et De dono persev.* fuse probat hoc donum «non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius [Dei] secretissimam, eandemque iustissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem» (*De dono persev.* 13, 33); cf. R ser. 320. — Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 114 a. 9. — Ratio. Iustus nequit de condigno mereri *primam gratiam efficacem*, quia opus, quo eam mereatur, iam requireret priorem aliquam gratiam efficacem; neque ullas *sequentes gratias efficaces* (supra sub a); hinc neque *totam illam seriem gratiarum efficacium*, qua componitur donum perseverantiae ex parte sui elementi activi (cf. n. 571 d); neque *opportunitatem mortis* (ibid. c), quoniam semper est in potestate summi Domini vitae necisque, ut pro suo beneplacito statui viae suarum creaturarum finem imponat, neque ullus necessarius nexus, sive internus ex natura rei, sive externus ex divina ordinatione, habetur inter bona opera et tempus mortis. Saepe monet Christus venturum esse Filium hominis, qua hora non expectetur. — Iustus suis meritis acquisivit ius ad gloriam *condionate* conferendam, ea scil. condicione, ut ius suum servet usque ad mortem. Sed ipsa haec conservatio iuris non cadit sub merito de condigno; speciali enim Dei beneficio debetur. — Simili modo iustus conservationem eius gratiae sanctificantis, quam tamquam augmentum titulo meriti de condigno sibi acquisivit, meretur sub condicione, ne mortali peccato gratiam destruat. Quod destructio gratiae *vitari possit*, probabiliter sub meritum cadit (supra n. 714, 3); quod de facto *vitetur*, debetur speciali Dei beneficio, quod absque merito de condigno conceditur (cf. *Ber.* 1044). — c) **Reparatio post lapsam** secundum *communem et certam sententiam* (*Ber.* 1039) non est obiectum meriti de condigno. Fontes enim omnem iustificationem peccatoris ut insigne opus gratiae, minime vero ut mercedem operum exhibent. Ergo non debet dici praemium operibus in priore aliquo statu gratiae patris ex iustitia debitum. — Ez 18, 24: «Si autem averterit se iustus a iustitia sua..., omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur.» — Ratio. Si reparationem, etiam quasdam gratias efficaces iustus de condigno mereri posset, quod est contra a. — Iustus peccato mor-

tali commissio fit eo ipso reus poenae aeternae, qua poena sine ulla iniustitia statim a Deo puniri posset. Ergo nequit titulum iustitiae habere, ut vita ipsi prorogetur, donec convertatur. — Cf. Thom., *S. th.* 1, 2 q. 114 a. 7.

716. III. Obiecta meriti de congruo.

1. **Peccator** de congruo mereri potest: a) **Ulteriores gratias actuales**, quibus ad iustificationem propinquius se disponere possit. Ratio. a) Postquam Deus conferendo primam gratiam actualem opus conversionis coepit et peccator eadem gratia bene usus est, *decet, ut a Deo amplius iuvetur* gratiis ad iustificationem conducentibus. Omnes theologi admittunt notum adagium hoc sensu: *Facienti, quod est in se, cum auxilio prioris gratiae*, Deus non denegat *ulteriorem* gratiam (cf. n. 237 ss). — β) Quae *suppliciter impetrari* possunt, generatim etiam sunt obiectum alicuius meriti de congruo. — γ) *Opera salutaria*, quae peccator gratia adiutus facit, magnum habent *valorem supernaturalem*, atque eorum condignitas per solam *personae operantis indignitatem* impeditur. Ergo saltem *congruitas* asserenda est. — Hoc meritum de congruo est infallibile, quia *Deus promisit* gratias vere sufficientes ad iustificationem. Hinc qui bene utitur gratiis remotius sufficientibus, infallibiliter accipiet propinquius et proxime sufficientes. Sed *modum et tempus* conferendi has ultiores gratias Deus sibi reservavit. — b) Ipsam **iustificationem**. Qui actum contritionis elicit vel cum attritione suscipit sacramentum, infallibiliter accipit gratiam sanctificantem. Actus peccatoris iustificandi saltem influit per modum *dispositionis* et *impetrationis*. Multi Thomistae eidem actui negant rationem *meriti de congruo*, prout hoc a dispositione et impetratione distinguitur (cf. n. 196 241)¹. Sed communius et rectius hoc meritum affirmatur; nam actus disponens non solum praeparat subiectum Deique misericordiam appellat, sed est etiam aliquod *obsequium* Deo praestitum idque valoris supernaturalis. — Scriptura meritum de condigno excludit (v. n. 745, 4). Nihilominus fidei

¹ Thomistae in hac quaestione divisi sunt; cf. *Martin-Sola* (*La Ciencia Tomista* 33 [1926 I] 62). *Billuart* (*De gratia* diss. 3 a. 7 in fine) dicit: «Item omnis gratia post primam actualem datur secundum meritum nostrum saltem de congruo.» Tamen quia tot boni theologi adversantur, *J. M. Hervé, Manuale Theol. dogm.* III (Paris. 1927) n. 268, exaggerare videtur, asserens meritum de congruo actuum disponentium et speciatim actus contritionis esse *theologicè certum*.

iustificanti *magnum valorem moralem* attribuit (n. 202, 2 b; 333), quem recte concipimus tamquam meritum de congruo. — Patres in hac materia passim utuntur termino *merendi*: Cyprianus, *De lapsis* 36 (CV 3 a, 264; ML 4, 494): Vere poenitens «Dei veniam merebitur». — Hieronymus, *Adv. Pel.* 2, 11 (ML 23, 546): «Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.» — Ambrosius, *In Lc* 10, 22, 90 (ML 15, 1856): «Si tu veniam vis mereri, dilue lacrimis culpam tuam.» — Augustinus (v. n. 339 et 709). — Bonaventura *In 4 d.* 15 p. I q. 5: «Peccator autem apud Deum nihil meretur de condigno, sed tamen *mereri potest de congruo*... Illud autem meritum comparatum merito caritatis est *improportionale*, sicut linea latitudini et superficiei» (aliis verbis: conceptus meriti de condigno et de congruo est analogus). — Tridentinum omnino favet. Historia decreti ostendit multum laboratum esse ad inveniendam formulam, qua ab actibus dispositivis sola ratio meriti de condigno excluderetur¹. — c) **Gratias efficaces**. Si enim non aegre et remisse, sed fervide et quantum potest, priori gratiae consentit, congruum est, ut Deus det eam ulteriorem gratiam, qua novum opus salutare revera efficiatur. Hoc tamen est congruum fallibile.

717. 2. Iustus pro se de congruo mereri potest: a) **Gratias efficaces** eadem et potiore ratione quam peccator. — b) **Perseverantiam finalem**. Hoc tamen, ut monet *Suarez* (l. 12 cap. 38 n. 14), non fit «per unum actum vel per plures in certo tempore vel usque ad certum instans vitae factos», sed potius «suc-

¹ In formula 3 decreti (d. 5 Nov. 1546) hi actus negabantur esse «merita, quibus gratia debeatur» (*Ehses* V 636, 24). D. 10 Dec. proponebatur, ut diceretur: «*proprie* merita...» (696, 14). Cum d. 22 Dec. nova redactione formulae simpliciter negaretur: «... fides vel opera ipsam iustificationis gratiam merentur» (737, 20 s), generales O. Min. Conv. et S. Aug. censuerunt: «Placet, si non destruitur meritum de congruo» (737, 28 s). D. 8 Ian. interrogatum est, an addendum sit: «gratiam *secundum debitum reddendam*» (763, 34 s). Id superfluum visum est. «Et conclusum, quod nihil addatur, cum satis intellegatur meritum de congruo, ibi *promerentur* sc. de condigno» (764, 21 s). Hanc notam secretarii *Ehses* in calce explicat: «Id est: *cum satis intellegatur non destrui meritum de congruo*, prout innuerant d. 22 Dec. generales Conv. et S. Aug.» — Rivière, qui fuse (740—751) de origine huius phrasid c. 8 (Dz 801) tractat, tandem dicit: «... le verbe *promeretur*, qui, dans le langage de l'Ecole rappelé encore au cours des débats, ... répond au mérite strict ou *de condigno*, est intentionnellement choisi pour marquer discrètement qu'on n'entend pas exclure un mérite de degré inférieur... Ainsi, tout en évitant le terme technique «*merite de congruo*», qui soulevait des contestations, le concile en consacre manifestement l'idée» (754).

cessive per totum vitae tempus quasi per partes»¹. Hoc sensu aliquod meritum de congruo fallibile communius conceditur. — Pontes imprimis loquuntur de possibilitate perseverantiam *suppliciter impetrandi*; cf. P IX pr. 19: «Oratio est infallibilis efficaciae, dummodo sit vestita debitis condicionibus», quae thesis maxime valet de dono perseverantiae impetrando. Notum est verbum S. Augustini, *De dono persev.* 16, 39 (R 2004): «Constat alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam².» — Ratio *meriti* de congruo suadetur ex 2 Petr 1, 10: «Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.» Verba «per bona opera» critice quidem sunt dubia, sed sensum apostoli in hoc contextu (cf. v. 5—8) recte explicant. S. Augustinus quoad hoc donum etiam adhibet terminum «suppliciter emereri» (*De dono persev.* 6, 10). — c) Probabiliter **reparationem post lapsum**. Multi quidem cum S. Thoma (*S. th.* 1, 2 q. 114 a. 7) tenent subsequens peccatum impedire omnem efficientiam priorum meritorum³. Sed alii cum Bonaventura, Scoto, Bellarmino, Suarez, Ripalda hoc meritum admittunt. Congruum enim est, ut Deus misereatur eius, qui antea multa bona opera fecit, praesertim si potius ex infirmitate quam ex malitia peccando gratiam amisit. Status peccati non est impossibilis cum merito de congruo actuum salutarium in hoc statu eliciendorum; ergo a fortiori conservari potest meritum de congruo actibus antea in statu gratiae elicitis comparatum. Est tamen meritum fallibile, cum promissio divina non exstet. — d) **Bona temporalia**, in quantum ad vitam aeternam conducunt. Hoc Deus aliquatenus promisit Mt 6, 32: «Quaerite primum regnum Dei . . . , et haec omnia adicientur vobis» (cf. P 430; *Thom.* 1. c. a. 10).

718. 3. Iustus pro aliis de congruo mereri potest: a) **Quidquid pro se ipso** sive de condigno sive de congruo meretur;

¹ Extraordinarie fortasse aliquando propter quaedam insignia opera sanctitatis conceditur perseverantia atque adeo confirmatio in gratia (cf. n. 572 fin.).

² Recta oratio debet esse perseverans. Gratiam sufficientem recte et perseveranter orandi omnis iustus habet; sed non orabit hoc modo, nisi gratiam efficacem ad id accipiat. Quare non obstante infallibili nexu inter rectam orationem et donum perseverantiae prorsus servatur ea gratuititas eaque ratio specialis beneficii huius doni, de qua th. 21 egimus.

³ In *Epist. ad Hebr.* (qui commentarius saltem quoad priora 10 capita probabilissime est opus genuinum S. Thomae) c. 6 lect. 3 in expositione v. 10 admittitur meritum congrui (v. P 429; *Rivière* 698 s.).

non tamen directe *augmentum gratiae habitualis et gloriae*; indirecte autem hoc aliis meretur eo, quod iis acquirit *gratias actuales*, quarum bono usu gratia sanctificans augetur. — b) Insuper **primam gratiam supernaturalem**, atque etiam primam gratiam **efficacem**. — Ratio. Haec doctrina fluit ex generaliore de *communione Sanctorum*. Unus pro aliis potest impetrare, satisfacere, mereri de congruo. Sed omnia haec sunt fallibilia, praesertim ex eo, quod Deus generatim conditionem alicuius *bonae voluntatis* ex parte alterius exigit; non facienti, quod est in se, non infallibiliter confert gratiam (n. 213 231 234).

719. Quidam theologi omne meritum de congruo reiciunt. Secundum Dom. de Soto O. P., *De nat. et grat.* 2, 4, in terminis pugnat, cum meritum ius importet, congruum id neget. Becanus S. J., *S. th. schol.* pars 2 in fine: «*Nihil certi* de eo affirmare possumus. Sicut enim videri potest nobis congruum et conveniens, ut Deus hoc vel illud praestet huic aut illi homini, ita e contrario non desunt Deo rationes congruentes, cur id nolit praestare, quod alicui apparet congruum, ut praestet.» — Concedi potest cum Schiffini (n. 383) notionem meriti de congruo esse «*multum admodum vagam*». Sed, ut idem auctor recte notat, nihil prohibet, quominus ratio meriti, quae dicit opus praemio dignum et in solo merito de condigno perfecte invenitur, modo aliquo *imperfecto et analogo* in quibusdam aliis operibus participetur (cf. n. 716 fin. similitudinem *S. Bonaventurae* de linea et superficie). — Haec disputatio *practici* momenti non est. Bona enim illa, quae secundum nos ex titulo meriti de congruo obtineri possunt, i. e. appellando ad decentiam et aequitatem, sine dubio aliis viis, scil. impetratione vel dispositione possunt acquiri; immo *quaedam* ex his bonis Deus debitis sub circumstantiis *infallibiliter*, sicut promisit, dabit. Ergo vix quidquam pendet a quaestione, an operibus salutaribus peccatoris propter *obsequium* Deo praestitum aliqualis *decentia* retributionis attribuenda sit; sed valida eam negandi ratio deesse videtur; nam meritum hoc analogum non importat ius, sed rationem decentiae essentialiter imperfectiorem quam verum ius.

720. IV. Omni ratione meriti ex parte accipientis carent haec obiecta: 1. **Prima gratia supernaturalis** (th. 7 et n. 290). — 2. **Prima gratia efficax**, cui ex conceptu nullus actus salutaris praecedit, quippe qui iam exegisset aliquam priorem gratiam efficacem. — 3. **Praedestinatio complete sumpta**, quae ex absoluto Dei decreto efficiendi hunc determinatum ordinem gratiarum eo ipso habetur (cf. n. 642 644 654). Ante hoc decretum nulla merita *absolute* futura praevidentur, et merita *conditionate* futura non possunt esse ratio, cur hic ordo prae alio a Deo eligatur (v. n. 649).

721. Scholium 2. De condicionibus meriti.

P pr. 35 s. — Mazz. 1143—1177. — Lah. 340—352. — Ber. 984—1014.

Protestantes, ut existentiam meriti eo facilius negarent, *impossibiles exegerunt condiciones* ad opus, quod a iusto Dei iudicio agnosceretur meritorium; scil. ut opus sit a) *omnino perfectum* et a quavis imperfectione liberum; b) *nullo titulo debitum*; c) *totaliter nostrum*, i. e. sine ope doni gratuiti peractum. Has condiciones non requiri ex thesi sufficienter constat (plura v. *Lah.* th. 52).

1 Cor 9, 16—18 non negat operibus praeceptis rationem meriti, sed rhetorice effert excellens praemium operi supererogatorio tribuendum; secus apostolus sibi contradiceret, quia 2 Tim 4, 7 s expectat mercedem a iusto iudice pro hoc, quod commissum sibi divinitus munus fideliter servaverit (sic Zor. explicat τὴν πίστιν τετήρηκα), ubi agitur de stricta obligatione. Oboedientia praeceptis patris vel domini praestita sane est opus praemio dignum (cf. P 411 s; Ber. 990). — Neque obstat parabola servi Lc 17, 7—10, qua Dominus superbiam humanam reprimere et sensum humilitatis excitare intendit. Monet, ut nos erga Deum consideremus tamquam servos inutiles, qui solum id fecerint, ad quod obstricti sint; atque id fieri potest eo maiore iure, quia omnia nostra bona opera revera sunt dona Dei neque sunt supernaturaliter meritoria nisi ex eo, quod Deus gratis superaddidit (cf. *Knabenbauer*).

722. Condiciones ad meritum de condigno requisitae. I. Ex parte Dei requiritur **promissio** acceptandi (vel saltem *acceptatio subsequens*). Secus condignitas in actu primo non efficeret meritum in actu secundo, quod a Deo ex iustitia exigere posset praemium. Nemo enim tenetur ex iustitia, ut alteri sua bona cedat, ex hoc solo, quod alter sive pretium sive obsequium aequivalens offert.

723. II. Ex parte personae merentis exigitur: 1. Ut sit **viator** (P V pr. 36 I; IX pr. 33). Ex doctrina Scripturae (v. g. 2 Tim 4, 7 s; 2 Cor 5, 10; Gal 6, 7—10) et Tridentini (s. 6 cap. 10 16 [Dz 803 809]) colligitur tempus merendi durare usque ad mortem. Leo X damnavit Lutheri pr. 38 (Dz 778), qua negabatur probatum esse animas purgatorii esse extra statum merendi vel augendae caritatis. — 2. Ut sit **iustus** (P pr. 36 II). Excluditur peccator a merito de condigno (v. n. 715, 1). Fontes positive derivant possibilitatem merendi e statu gratiae: Tridentinum s. 6 cap. 16 (Dz 809). — Baii pr. 13 15 17 (Dz 1013 ss). — Io 15 parabola vitis. — Augustinus, *Epist.* 194 ad Sixtum 3, 6 (R 1449): «Nullane igitur sunt merita iusto-

rum? Sunt plane, *quia iusti sunt.*» — Ratio. Gratia sanctificans delendo statum peccati *removet impedimentum* merendi, i. e. positivam indignitatem vitae aeternae, confertque eam *personae dignitatem*, adoptionem scil. sive deificationem, qua aequalitas proportionis inter valorem operis et praemii possibilis redditur¹. — 3. Ut mereatur **sibi** (v. n. 715, 2).

724. III. Ex parte operis requiritur (P pr. 35; *Ber.* 984 ss):
 1. Ut sit **actus positivus** (adversatur *Ripalda* l. 3 disp. 70). Thomas, *S. th.* 1, 2 q. 71 a. 5 ad 1: Ad malum sufficit pura ommissio, sed non ad bonum. — 2, 2 q. 79 a. 1 ad 2: Declinare a malo, si est meritorium, importat motum voluntatis repudiantis malum (*Ber.* 985; cf. P III pr. 59). — 2. Actus **honestus**. Secus non est obsequium Deo praestitum. Actus malus meretur poenam, indifferens, si in individuo detur, neque praemium neque poenam. Argumenta thesis 26 semper agunt de actibus bonis. — 3. Actus **liber** a necessitate, idque *etiam quoad suam moralitatem*. Fontes: Iansenii pr. 3 (Dz 1094). — Eccli 31, 10. — Mt 19, 17 21. — Augustinus, *De grat. et lib. arb.* 2, 2. — Hieronymus, *C. Iovin.* 2, 3 (R 1380): «Ubi necessitas, nec corona est.» — Bernardus, *De gr. et lib. arb.* 1, 2 (ML 182, 1001): «Tolle liberum arbitrium: non erit quod salvetur.» — Ratio. Meritum supponit merentem aliquid *de suo* dare. Atqui homo non potest Deo aliquid de suo dare, nisi in quantum per libertatem arbitrii est dominus suorum actuum et tribuit Deo id, quod denegare penes ipsum est (cf. Thom., *De ver.* q. 29 a. 6). — Sufficit libertas *exercitii* et ea libertas *specificationis*, quae eligit inter actum bonum et meliorem; non requiritur necessario libertas *contrarietatis* eligendi inter bonum et malum sive possibilitas *peccandi*. Sed non sufficeret mera libertas physica specificationis eligendi inter varios actus bonos *aequalis bonitatis moralis*, e quibus unus necessario, sine libertate ab omnibus actibus abstinendi, eliciendus esset. Nam necesse est ad meritum, ut saltem aliquis *excessus* bonitatis moralis *libere* appetatur; secus deest libertas in genere moris (P 399). — Ad merendum praemium *essentiale* requiri videtur libertas et deliberatio non minor, quam *ad mortaliter peccandum* necessaria est. Libertas, quae ad *venialiter peccandum* sufficit, etiam satis est ad merenda quaedam acci-

¹ Hinc ceteris paribus quo maior est gratia sanctificans, eo maius est meritum alicuius actus. Id Vazquez et nonnulli alii sine ratione negant (cf. P 417; *Ber.* 1003s).

dentalia (*Lah.* 348). — 4. Actus **ordinatus in obsequium Dei**; secus a Deo nequit exigi praemium. Haec vero ordinatio *in omni actu honesto* et quoad moralitatem libero videtur *eo ipso* haberi. Actus enim liber, qui nullo modo refertur ad finem ultimum, saltem naturalem (cf. n. 129 s), non est honestus neque ordinabilis ad finem ultimum supernaturalem¹. — Mt 6, 1: «Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est.» — 6, 2: «receperunt mercedem suam». — 5. Actus **supernaturalis**, i. e. ipse actus liber voluntatis (vel actus intellectus a voluntate imperatus, v. g. actus fidei) debet esse *entitative et simpliciter* supernaturalis; actus externus debet a tali actu voluntatis imperari. Nam actus meritorius est actus *salutaris* et eiusdem ordinis ac praemium visionis beatificae (v. th. 10). — 6. Actus **ex gratia effective procedens**. Sola enim *dignificatio personae* merentis per gratiam sanctificantem fontibus non satisfacit (n. 300 b). Christus iustis iugiter *virtutem influit* ad operanda merita (*Trid.* s. 6 cap. 16; Io 15). Quare actus meritorios *ex principio supernaturali* (gratia sanctificante, virtute infusa, gratia actuali) procedere necesse est. — Quaeritur, quando haec principia supernaturalia in efficiendum actum influant. Hoc loco occurrit maxime illa quaestio practica sive moralis **de necessitate motivi supernaturalis**, quam n. 304 transmisi-mus. — Deus condiciones meriti supernaturalis libere statuere potuit. Ergo potuit etiam hanc legem ferre, ut principia gratiae elevantis non influant in actum bonum et consequenter non efficiatur actus entitative supernaturalis et praemio supernaturali dignus, nisi iste actus procedat ex motivo supernaturali, ex motivo, ut dicunt, fidei, i. e. ex revelatione hausto, vel insuper ex motivo caritatis theologicae. De quaestione, an Deus rem de facto ita instituerit et quid sentiat hac in re S. Thomas, ultimis decenniis acriter disputatum est.

725. Theologi ultimorum saeculorum generatim necessitatem motivi fidei et caritatis sive bonae intentionis in opus aliquo modo influentis asserebant. Controversiam in Germania excitavit Iul. Müllendorff S. J., qui *ZkTh* 9 (1885) 1—46 209—240 423—471 de ordinatione operum in Deum eorumque merito secun-

¹ Sententias Scholasticorum v. apud Art. Landgraf, *Das Wesen der lässlichen Sünde in der Scholastik bis Thomas v. Aquin* (Bamberg 1923) I. Teil § 3. Die notwendige Hinordnung aller Akte auf Gott (p. 35—126).

dum mentem S. Thomae disseruit¹. Sicut Müllendorff etiam Franz Schmid negavit necessitatem motivi fidei². Iterum Müllendorff, ZkTh 17 (1893) 42—78 499—520 561—563, doctrinam S. Thomae, Patrum, maxime S. Augustini, recentiorum theologorum exposuit. Dein Emil Lingens S. J., ZkTh 18 (1894) primo p. 293—335 *quaestionem metaphysicam* obiecti formalis supernaturalis tractavit ostenditque solutionem a Suarez datam a plerisque theologis iure derelictam esse. Posthac, p. 593—626, statuit tres theses: 1. Actus est supernaturalis, si subiectivum principium, ex quo physice fluit, per gratiam est supernaturale. — 2. Haec subiectiva virtus gratiae a Deo datur in omni casu, ubi subiectum agens, quantum de se est, gressum ad finem supernaturalem exercite saltem facit vel facere incipit. — 3. Haec in finem supernaturalem tendentia habetur in omni et solo casu, ubi homo actum bonum eliciens sive elicere incipiens finem ultimum supernaturalem actu fidei iam antea sibi proposuit vel praecise nunc in eo est, ut sibi eundem proponat (aliis verbis: Actus entitative supernaturales incipiunt, quando eliciuntur ii actus, qui assensum fidei proxime praeparant; actu autem fidei semel posito omnes sequentes actus honesti sine ulteriore bona intentione sunt supernaturales et in iustus de condigno meritorii). — Iterum Schmid, *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, Theol.-prakt. Quartalschrift (Linz) 51 (1898) 772—782, varias Moralistarum et Dogmaticorum sententias recenset. — Dr. Joh. Ernst, *Die Notwendigkeit der guten Meinung*, Theol.-prakt. Monatsschrift (Passau) 10 (1900) 768 ss ex rationibus positivis, maxime ex doctrina S. Augustini et concilii Arausicani, necessitatem motivi fidei et caritatis ad omnem actum supernaturalem derivat; sed hoc motivum in omnibus honestis iustorum actibus *sine ulla speciali intentione* haberi contendit, cum in omni actu honesto implicite contineatur amor Dei et in omni actu honesto iusti includatur caritas theologica. — Quare Müllendorff, *Die wirkliche Notwendigkeit der guten Meinung*, ibid. 11 (1901) 481—491, dicit Dr. Ernst suae commentationi rectius dare titulum: «Ueber die Nicht-Notwendigkeit der guten Meinung».

¹ Summa explicationis fere est haec: «Der Mensch richtet sich durch den höchsten Akt, dessen er in dieser Welt fähig ist, den Akt der Liebe, auf Gott als auf sein letztes Ziel... Ist dieser Akt zum wenigsten so oft, als die Verpflichtung dazu eintrat, erreicht und nicht retraktiert worden, so bleibt in allem, was der Mensch in geregelter Weise anstrebt, die Richtung auf das letzte Ziel für ihn bestehen, da (objektiv) jeder geregelte Zweck dem höchsten untergeordnet ist, und (subjektiv) dieser Mensch Gott zu seinem letzten Ziele gemacht hat» (p. 228). Similiter sentit O. Marchetti S. J., *La sfera di attività della carità* (Gregorianum 2 [1921] 13—41).

² Die Uebernatürlichkeit der menschlichen Heilsakte, ZkTh 12 (1888) 263—289 419—459. «Ferner ist weder durchaus unzulässig noch unwahrscheinlich, dass im Menschen auch nach Erlangung des übernatürlichen Glaubens mitunter heilsverdienstliche und wahrhaft übernatürliche Akte zustande kommen, ohne dass dabei der Glaube unmittelbar tätig eingreift» (p. 458).

Etiam Schmid scripsit contra Ernst, Th.-pr. Quartalschrift (Linz) 54 (1901) 562—572. — Dein Ernst suam sententiam fusius evolvit in libro *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*, Strassb. Th. Stud. VII 2 3 (1905); cf. eiusdem auctoris commentationes: *Die dogmatische Geltung der Beschlüsse des 2. Konzils von Orange*, ZkTh 30 (1906) 650—670; *Gottesliebe und Sittlichkeit*, ThQS 90 (1908) 34—88. — Nonnulli Ernst assenserunt. C. Guttherlet, Pastor bonus 18 (1905—06) 133 ss, eius sententiam probabilem habet; cf. eundem: Kath. 86 (1908 II) p. 68. — *Contra Ernst* scripserunt A. Lehmkuhl S. J.: Th.-pr. Quartalschrift (Linz) 61 (1908) 843 s, et Müllendorff: Pastor Bonus 21 (1908—09) 223; cf. etiam Pesch VIII n. 648. — Tandem Ernst, *Die Gottesliebe als Prinzip der Sittlichkeit*, Kath. 90 (1910 II) 241—256 329—350, et recensendo librum *Em. David* (cf. n. 304): Kath. 96 (1913 II) 255—271. In quaestione metaphysica Ernst consentit David obiectum formale supernaturale neganti; sed circa praesentem quaestionem moralem aestimat nullatenus teneri posse sententiam a Schmid, *Lingens, Müllendorff* propugnatam, secundum quam ad opus vitae aeternae de congruo vel de condigno meritorium non requiritur, ut homo ducatur motivo, quod ipsi via supernaturali atque imprimis per fidem innoverit, sed sufficit honestas operis naturalis et subiectiva eius per gratiam elevato. Hanc sententiam hodie a multis defensam Ernst pugnare contendit cum doctrina S. Augustini, qui opera bona non agnoscat nisi ex fide profluentia, quam sententiam ait totam istius temporis *Ecclesiam* et *Bonifacium II* confirmando Arausicanum suam fecisse. — Artur Landgraf, *Das Wesen der lässl. Sünde* (Bamberg 1923) II. Teil Cap. 2, Die Hinordnung der guten Werke auf das Ziel der Gottesliebe nach dem h. Thomas (p. 179 ad 197), neque Müllendorff neque Ernst mentem Aquinatis perfecte assecutum esse censet¹.

726. Crisis. Historice et speculative nostra quaestio difficulter solvitur. Necessitatem alicuius *motivi fidei* plerique theologi affirmant. Multa quoque Patrum testimonia id postulare videntur (cf. P 406). Sed disputari potest, quando fides in opera satis influat. Certe non requiritur intentio *actualis et explicita*, sufficit *virtualis et implicita*. Talem homo christianus practice dicendus est habere, *quoties ex motivo honesto agit* (P 408—410; Ber. 1000). *Viator* si ab initio itineris determinatum finem fir-

¹ Ipse eam sic explicat: « Wenn der Mensch einmal sich durch die Liebe auf Gott hingeordnet hat, genügt es für ihn, alle anderen Dinge (z. B. Speise und Trank) auf seine eigene Person zu ordnen als Mittel zu seinem eigenen wahren Guten, d. h. als Mittel im Streben zu Gott. . . Führt der Gerechte eine solche Ordnung durch, dann geschieht es mit Notwendigkeit aus Gottesliebe » (p. 182). Provocat maxime ad *De malo* q. 2 a. 5 obi. 11. Postquam homo actualiter se ad finem supernaturalem per caritatem ordinavit, quamdiu haec habitualis ordinatio manet, i. e. quamdiu non retrahatur actu contrario, secundum principium Philosophi: « Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei », caritas in omnia opera honesta virtualiter influit eademque meritoria reddit (187 s).

miter sibi proposuit, vi huius propositi tamdiu singulis gressibus versus finem procedit, quamdiu actum contrarium non elicerit. Sic *christianus*, qui semel sibi proposuit, ut suis actibus vitam aeternam appetat, vi huius propositi tamdiu omnibus bonis operibus in finem supernaturalem tendit, quamdiu id peccato gravi non revocaverit (P 408). — Quo sensu omnes actus meritorii ex caritate qua *forma omnium virtutum* procedere debeant, in tractatu de caritate examinatur (cf. P VIII pr. 46). Haec statui posse videntur (v. *Ber.* 991 ss): Non soli actus ab habitu caritatis *eliciti* sunt de condigno meritorii praemii substantialis, ut Bannez voluit, sed etiam actus aliarum virtutum infusarum, qui utique *aliquam relationem ad caritatem* habere debent¹. Ex una parte *sola habitualis* relatio, quae consistit in hoc, quod operans instructus sit habitu gratiae et caritatis, non sufficit. Ex altera parte non requiritur *actuale imperium* caritatis ante quemlibet actum. Sententia Augustinensium, multorum Thomistarum et aliorum, ut S. Bonaventurae (*In 2 d. 41 a. 1 q. 3*), B. Bellarmini (*De iustif.* l. 5 c. 15), qui exigunt, ut virtute actus caritatis, *saepius* v. g. quotidie *elicendi*, actus ceterarum virtutum fiant, hodie communius negatur. Durior videtur etiam sententia, pro qua a *Salmanticensibus* (*De merito* disp. 4 dub. 6 n. 117) allegantur Capreolus, Hispalensis et Medina, qui ad meritum postulant, ut *aliquando praecesserit* actus perfectae caritatis, quo iustus se et omnia sua ad Deum propter se dilectum retulerit; si ita esset, homo ante usum rationis baptizatus vel attritus tantum per sacramentum iustificatus nihil de condigno mereri posset, antequam actum perfectae caritatis eliciisset. Quare Suarez cum plurimis Iesuitis aliisque theologis censet *omnes actus* bonos iustorum a *virtutibus infusis elicitos* eam relationem ad caritatem, quae ad meritum requiritur, habere « *ex vi suae bonitatis* et connaturalis ponderis seu relationis in illum finem », idque *sine alia relatione* extrinsecus per actum caritatis efficienda. Salmanticenses (l. c. n. 117 ss) tamquam sententiam probabiliorum defendunt: « *hominem existentem in gratia prius etiam, quam actum caritatis formalem eliciat, mereri per omnes suos actus moraliter bonos vitam aeternam de condigno, adeoque pro nullo casu admittendum esse in illo actum bonum, qui meritorius non sit* » (n. 117); pro hac sententia ab

¹ Cf. inter propositiones damnatas Quesnelli pr. 55: « *Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit* »; pr. 56: « *Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat* » (Dz 1405 s).

ipsis citantur Caietanus, Ferrariensis, Soto et alii (n. 118). Secundum hanc igitur opinionem nulla omnino in iustis invenirentur opera « *steriliter bona* » (cf. supra n. 108, 7) ¹.

727. Varias hae controversias ostendere videntur: a) Theoretice sententiae theologorum magis magisque in hoc convergunt, ut condiciones ad merendum requisitae *sat facile verificentur* in homine iusto honeste operante. — b) Practice tamen *valde commendandum* est fidelibus, ut « *bonam intentionem* » frequenter renovent, i. e. ut motivum caritatis perfectae fide nixae necnon aliarum virtutum, ut oboedientiae, gratitudinis, poenitentiae, explicite sibi proponant. Hac enim praxi, licet ad habendum aliquod meritum non sit necessaria, saltem certo certius *meritum valde augetur*.

Alia quaestio a theologis discussa est haec: Habetne iustus per actus entitative naturales, v. g. per opera externa, quatenus imperantur actu voluntatis supernaturali et meritorio, aliquod meritum supernaturale proprium et distinctum a merito actus interni a voluntate eliciti? Plerique theologi hoc negant (cf. *Ber.* 996 1001).

728. **Conditioes ad meritum de congruo** fere sunt eadem. Ex scholio 1 (n. 716—718) apparent hae differentiae: a) *Non exigitur status gratiae* (et consequenter influxus caritatis) ad sibimetipsi aliquid de congruo merendum. — b) Iustus potest *etiam aliis* multa de congruo mereri. — c) *Promissio Dei* ad solum meritum de congruo *infallibile* requiritur (cf. P 428 fin.; *Ber.* 1014; *Lah.* th. 53).

¹ In decreto tridentino prius sermo erat de « *caritatis affectu* », qui ad opera meritoria requireretur; sed d. 2 Ian. 1547 loco huius termini substituta est phrasid: « operibus, quae *in Deo* sunt facta » (*Rivière* 752 s).

729. Appendix. De gratiis gratis datis (cf. P 7 434—447; Ber. 18—33). Gratia gratis data, prout nunc intellegitur a theologis (cf. n. 5, 11), est gratia supernaturalis quidem, licet non intrinsecus ordinis divini, quae per se non confertur eo fine, ut Deo supernaturaliter gratum faciat sive hominem recipientem sive opus eius, aliis verbis: ut eum sive formaliter sive dispositive iustificet et sanctificet, sed quae datur proxime et per se *ad utilitatem aliorum*. His gratiis adnumerari possunt ordinaria munera ecclesiastica cum potestate ordinis, iurisdictionis, authentici et infallibilis magisterii, de quibus in tractatibus de Ecclesia et de sacramento ordinis agitur. Sed praecipue hic intelleguntur ea charismata extraordinaria, de quibus in evangeliiis, Actibus Apostolorum et epistulis paulinis frequenter est sermo. Enumerantur 1 Cor 12, 8 ss. Theologi in tractatu de gratia inquirere solent, cuius naturae haec dona sint, utrum sint habitualia an actualia, quid singula dona significant, quomodo in systema logicum redigi possint etc. Cf. S. Thom., *S. th.* 1, 2 q. 111 a. 1 4 5. Sed haec materia melius relinquitur exegetis (v. commentarios in 1 Cor 12—14) et mysticis. Atque sic nostro tractatui finem imponimus, gratias agentes Deo Optimo Maximo.

INDEX SCRIPTURISTICUS

(Numeri sunt marginales; n indicat notas in calce paginarum; crasioribus typis indicantur numeri, ubi textus aliquatenus explicatur.)

Gen
 1, 26: 248 269, 3; 412
 2, 7: 280
 7, 4: 351
 15, 6: 320
 25, 23: 561

Ex
 7 ss: 667
 9, 12: 7

Dent
 30, 11 ss: 7 178 545
 32, 4: 401

2 Sam
 12, 13: 351

3 Reg
 8, 58: 186 559

1 Paral
 21, 8: 351

2 Paral
 6, 36: 166
 33, 11 ss: 97

Tob
 12, 9: 333

Esth
 13, 9; 14, 13; 15, 11:
 559

Iob
 1, 8: 483
 4, 18: 166 n
 32, 8: 501

Ps
 12, 4: 501
 17, 29: 501
 18, 9: 312

22, 6: 513
 26, 1: 501
 31, 1 s: 352
 33, 6: 501
 33, 9: 186
 33, 16; 39, 18: 178
 50, 3 4 9: 351
 50, 12: 7
 50, 13: 568
 58, 11: 513
 61, 13: 706 g
 81, 6: 248 269,3 281
 102, 3: 186
 102, 12: 351
 118: 313
 118, 32 34: 501
 118, 35: 559
 118, 36 38: 186
 118, 120: 186 616
 129, 3: 352
 142, 2: 166
 144, 15: 432

Prov
 1, 20 ss: 678
 1, 24: 544
 3, 21 ss: 178
 4, 18: 485
 8, 35: 214 n 217
 11, 18: 706 a
 17, 15: 313
 19, 17: 706 e
 21, 1: 222 641
 24, 16: 166 n

Eccle
 7, 21: 166
 9, 1: 338

Cant
 4, 8: 56

Sap
 2: 667
 2, 23: 248 269, 3
 4, 11-14: 568

5, 16: 706 a
 7, 11: 457
 8, 7: 367 457
 8, 21: 147
 11, 21: 696
 11, 24-12, 18: 678
 12, 1: 186 501
 16, 25: 5, 4

Eccle
 1, 16 27: 616
 2, 8-10: 397 n
 2, 10: 501
 2, 12: 178
 4, 12: 501
 5, 5: 338
 15, 14 ss: 178 545
 591
 18, 22: 485 n
 19, 1: 487 n
 21, 1: 97
 27, 9: 178
 31, 8 ss: 545 724
 34, 19: 178

Is
 1, 16 ss: 351 678
 5, 1-7: 543 586
 614
 5, 8 ss: 667
 6, 9 s: 7 561 667
 11, 1-3: 432 459
 501
 28, 12: 544
 30, 26: 351
 40, 10: 706 a
 43, 25: 351
 49, 15 s: 178
 53, 12: 351
 54, 13: 497
 65, 1: 230, 3
 65, 2: 544 562 b
 65, 12: 544

Ier
 7, 13: 544
 31, 31 ss: 7 497 559

32, 40: 568 616
 33, 8: 351
 35, 15: 678

Thren
 5, 21: 221

Bar
 2, 31 ss: 559

Ezech
 11, 19 s: 7 559
 18, 21: 334
 18, 23: 678
 18, 24: 471
 18, 30: 97
 33, 11: 678
 33, 12 s: 467
 33, 14 ss: 678
 36, 25: 351
 36, 26 ss: 7 559

Dan
 4, 24: 97 333

Mich
 7, 18 s: 351 355

Zach
 1, 3: 66 221 239
 2, 8: 178

Mal
 1, 2 s: 561

Matth
 4, 17: 334 336
 5-7: 425
 5, 2: 724
 5, 12: 706 a
 5, 45: 425 432
 5, 46: 3
 5, 48: 418
 6, 1: 312 724
 6, 12: 166 471

6, 13: 147 176
 6, 26 ss: 425
 6, 32: 717
 7, 7: 66
 7, 22 s: 479
 9, 12: 351
 10, 22: 336
 11, 20 ss: 8 **544**
586 696
 11, 25: 186 497 501
 11, 28-30: 178 186
 678
 13, 24 ss 47 ss: 479
 13, 49: 312
 16, 17: 8 64 186 497
 501
 16, 27: 706 g
 19, 17: 336 724
 20, 1 ss: 8 696
706 a 707
 22, 3: 186
 22, 11 ss: 479
 22, 14: **559**
 23, 24: 471
 23, 37 s: 8 **544**
586 681
 25, 1 ss: 479 655
 25, 14 ss: 696
 25, 34 ss: 706 f h
 26, 24: 467
 26, 41: **147** 176
 28, 19: 678

Mare

1, 15: 334
 2, 17: 186
 11, 25: 166
 16, 15 s: 336 s 678
 16, 20: 512

Luc

1, 28: 483
 1, 30: 3
 1, 79: 501
 2, 34: 552
 2, 40: 3
 6, 32: 3
 6, 41: 471
 7, 47: **333 n**
 10, 29: 313
 10, 30 ss: 351
 11, 4: 166
 13, 3: 334
 15: 678
 17, 5: 485
 17, 7-10: 8 712 **721**
 18, 1: 568
 19, 10: 678

19, 12 ss: 696 **707**
 20, 35: 706 d
 21, 36: 568
 22, 29: 269, 2
 23, 43: 8

Io

1 ss: 8
 1, 4 ss: 270 e
 1, 9: 232 501 678
 1, 12 s: 269,1 380,2
 411 433
 1, 14: 4
 1, 14-17: 5,7; 432
 1, 29: **351** 678
 3, 5 s: 8 216 336
380,2 411
 3, 8: 696
 3, 16 s: 678
 3, 36: 270 d
 4, 14: 380, 6; 434
 712
 4, 42: 678
 5, 29: 706 h
 6, 29: 65
 6, 44 s: **64** 186 336
497 501 522
 6, 56 ss: 380, 4 6
 6, 65 s: 64 497
 7, 38 s: 380, 6
 8, 12: 270 e 678
 10, 10: 380, 6
 10, 26-29: **568**
 11, 48: 351
 12, 37 ss: 667
 14, 2: 483
 14, 15 ss **448**
 14, 23: **448** 451 475
 15, 1 ss (5): **40** **63**
 178 216 336 **380,**
2 4; 432 723 s
 15, 22 ss: 544
 17, 2 s: 270 d
 17, 11: 568
 17, 12: 467
 17, 21 ss: 418 432
 20, 31: 337

Act

2, 38: 333
 3, 19: 351
 4, 28: 655
 6, 8: 8 186
 7, 51: 544
 9, 1: 234
 15, 10: 145
 16, 14: 186 497 501
 16, 31: 66
 17, 27 29: 409

17, 31: **65**
 26, 22: 511
 28, 25 ss: 667

Rom

1 ss: 9 145 **201**
 1 s: **96**
 1, 8: 65
 1, 16 ss: **317 s** **321**
 327 n **337** 562
 2, 4 ss: 318 544 561
 706 g h
 2, 12 ss: **96** 100 123
 145 319 352
 3, 5: 318
 3, 9: 43
 3, 20 ss: 202 316 n
 318 s 353
 3, 23 ss: 191 n 201, 3
 4; 336
 3, 27: 63 n 712
 3, 28 ss: 202 319
 333 s
 4, 2 ss: 191 n 201,1 4
 202 312 314 **320**
334 s **337** **715,**
1
 4, 7: 352
 4, 17 ss: 202 337
 4, 24: 337
 5 ss: 3 143 427
 5, 1 ss: 3 202 319
 333 397
 5, 5: 380 n **382** 393
 448
 5, 8: 201, 3
 5, 9: 319
 5, 10: 438
 5, 12 ss: 43 145 201,
 2; 316 s 318 354
 358 432 677
 5, 19: 318 **350**
 5, 21: 438
 6, 3 ss: 351 354 380,
 4; 438
 7: **143-146** 201,2
 7,24: 336 n
 8, 1: 104 **358**
 8, 9 ss: 380 n 427
448 s
 8, 14: 477
 8, 14 ss: 269, 1 2
 270 c 380,2; 418
 426 **427** 432
 8, 18: 707
 8, 21 s: 270 h 380, 2
 8, 23: **270 b c**
 8, 24: 336 n

8, 26: 37 n **44** 186
 418 511
 8, 28 ss: 186 380, 2
 427 432 522 563
 568 **655**
 8, 31 ss: 338
 8, 33: 352
 9-11: **560-562** 696
 9, 4: **426**
 9, 6-24: **560-562**
 564 655
 9, 8: 380, 2
 9, 10 ss: 57 201, 5
 9, 17 ss: 667
 9, 30 ss: 202 318
 715, 1
 10, 3: 318
 10, 9: 337
 10, 12 s: 336 n 677
 10, 16 ss: 562
 10, 18: 201, 5
 10, 20 s: 201, 5; 230,
 3; 544
 11, 5 7: 559
 11, 6: 191 n 201
 715, 1
 11, 17 ss: 380, 4; 432
 467
 11, 32: 677
 11, 33 ss: 644
 11, 35: **65**
 12, 3 ss: 696
 13, 14: 380, 4
 14, 17: 186
 14, 23: **107**

1 Cor

1, 27: 559
 2, 6 ss: **271**
 2, 7: 655
 2, 9: 283
 2, 10 ss: 380 n
 3, 4: 281
 3, 6 s: 9 **41** **44**
497
 3, 8: 706 a g 707
 3, 10 ss: **471**
 3, 16 s: 9 448
 4, 4: 319 338
 4, 7: 28 57 **65** 642
 712
 6, 9 s: 471
 6, 11: 319 **351**
 6, 15: 432 448
 6, 19: 9 448
 7, 19: 336
 9, 16 ss: **721**
 9, 24 s: 706 b

9, 26: 176
 9, 27: 467
 10, 1-14: **177**
 10, 12 s: 147 s
 11, 29: 552
 12-14: 5, 11; 9 696
 729
 12, 13: 448 s
 12, 27: 432
 13, 1 ss: 335 475
 13, 2: 479
 13, 8: 270 f 381, 2
 482
 13, 13: 270 f 363
381, 2; 397 n

14, 14 s: **380, 5**
 15, 10: **44**
 15, 41: 483
 15, 45: 280
 15, 48 s: 432
 15, 56: 145

2 Cor

1 ss: 41
 1, 21: 448
 1, 22: 270 a 380,
 5 6
 3, 5: 9 **41** 63 216
 297 501
 4, 6: 186 501
 4, 7: 381
 4, 15 ss: 485
 4, 17: 706 f 707
 5, 5: 270 a 397
 5, 7: **417**
 5, 10: 706 h 723
 5, 14 s: 677
 5, 17: 43 354 380, 3
 433
 5, 19: 352 677
 6, 1: **544**
 6, 13: 706 c
 6, 14: 439
 6, 16: 448
 9, 6: 270 h 706 g
 9, 8 ss: 485
 10, 15: 485
 11, 14: 176
 12, 9: 381
 13, 13: 393

Gal

1, 16: 201, 5
 2, 16 ss: 202 319
 2, 20: 380, 4; **448 n**
 3, 8: 202 333
 3, 11: 319 353
 3, 18 ss: 427

3, 22 ss: 43 202 354
 380, 4
 4, 4 ss: 269, 1 2 **427**
 4, 6: 380 n 448 s
 4, 19: 418
 5, 4: 3 467
 5, 5 s: **335 s** 397
 5, 16: 380 n
 5, 19 ss: 471
 5, 22: 186 501
 6, 7 ss: 270 h 706 g
 723
 6, 15: 43 354 380, 3
 433

Eph

1 ss: 9 644
 1, 3 ss: **428** 559
 655
 1, 5: 269, 1
 1, 6: 201, 3
 1, 13 s: 269, 2; **270 a**
 380, 5 6; 427 s 449
 1, 15: 397
 1, 18: 186 269, 2
 397 501
 1, 19: 65
 2, 1 ss: **43 63**
201, 2 6; 216
 297 432
 2, 8 s: **63 n** 715, 1
 2, 10: 354 380, 3;
 381 563
 2, 21: **448 n**
 3, 16 ss: **381**
 3, 17: **448 n**

4, 7: 696
 4, 15 s: 485
 4, 21 ss: **354**
 4, 24: 318 380, 4
 4, 30: 380, 5 6
 5, 1: 380, 2
 5, 5: 269, 2
 5, 8: 270 e 380, 6
 438
 5, 14: 66 186 501
 511 522
 5, 18: 448
 5, 25 ss: 336 351
 5, 30: 432
 6, 10: 381, 1
 6, 10 ss: **147 176**
 6, 23: 393

Phil

1, 6: 9 44 63 216
 222 563 568

1, 9: 485
 1, 21: 380, 4
 1, 29: 65
 2, 12 s: 9 **42** 63
 297 338 512 563
 706 f
 3, 6 s: **123**
 3, 9: 317 s 333 353
 3, 12 s: 485
 3, 14: 706 b
 4, 13: 186

Col

1, 10 s: 485
 1, 12 s: 270 e **428**
 432
 1, 29: 381, 1
 2, 12: 65
 2, 14: **355**
 3, 10: 380, 4
 3, 23 ss: 269, 2; 706 c

1 Thess

1, 1: 380, 4
 1, 3: 381, 2; 397
 1, 4: 559
 4, 1: 485
 4, 8: 448
 5, 8: 381, 2; 397

2 Thess

1, 5: 706 d
 2, 12: 559
 2, 16: 186 501

1 Tim

1, 12: 186
 1, 13: **234**
 1, 15: **677**
 1, 18: 176
 1, 19: 480
 2, 1 ss (4): 9 146
 201, 5; 238 547 671
675 s 680-682

4, 1: 480
 4, 10: **677**
 6, 11: 397
 6, 12: 176
 6, 16: 270 e

2 Tim

1, 6: **511**
 1, 7: 186 381 457
 501
 1, 9: 201, 6

1, 14: 448
 2, 3 ss: 176 706 b
 2, 18: 480
 4, 7 s: **706 b e** 707
 721 723

Tit

2, 2: 397
 2, 11: **201, 5**
 3, 4 ss: 9 201, 6
 269, 1; 319 **336**
354 380, 2

Hebr

1, 3: 351
 4, 16: 511
 6, 4 ss: 381, 1; 467
 6, 10 ss: **706 e** 707
 9, 15: 269, 2
 9, 28: 351
 10, 22 ss: 381, 2; 397
 10, 35: 706 c
 10, 38: 337
 11: 9 **337** 506 663
 11, 1: 270 g
 11, 6: **107** 692
706 e
 11, 9 s: **270 g**
 11, 26: 706 c

Iac

1, 2: 176
 1, 12: 176 475 706 b
 707
 1, 14: 176
 1, 15: 471
 1, 17: 44
 1, 18: 269, 1; **380,**
2 3; 433
 2, 5: 559
 2, 14 ss: 9 **333-**
336 506 512 663
 3, 2: **166** 471

1 Petr

1, 1: 559
 1, 3 s: 269, 1; 380, 2
 410, 3
 1, 17: 410, 3
 1, 23: 380, 2; 410, 3
 2, 2: 410, 3
 2, 3: 186 501
 2, 9: 559
 2, 24: 351
 3, 18: 312

5, 8 s: 147 176
5, 10: 186 568

2 Petr

1, 1 ss (4): 9 248
269, 3; 380, 1;
407 408-410 413

418 457

1, 5: 366

1, 10: 178 **338** 559

717

1, 13: **511**

3, 1: **511**

3, 7: 408

3, 9: **677**

3, 15: **408**

3, 16: 9 334

3, 18: 485

1 Io

1, 5 7: 270 e

1, 8 ss: **166 n** 168

2, 2: 678

2, 15 s: 77 408

2, 20: 448 501

2, 25: 270 d

2, 27 s: 448 501

2, 29: 380, 2

3, 1 ss (9): 8 269, 1

270 e 380, 2 6

411 417 **418** 429

433 712

3, 14: 475

4, 7: 186 380, 2; 475

501

4, 16: 475

5, 1: 380, 2

5, 3: 178

5, 4: 380, 2

5, 18: 380, 2

2 Io

7: 176

Apocal

2, 10: 178 706 b

3, 4: 706 d

3, 11: 178 467

3, 20: 8 186 501 522

545

3, 21 s: 269, 2; 432

7, 14 s: **706 f**

21, 2: 270 h

21, 8: 47i

21, 23 s: 270 e

21, 27: 418

22, 5: 270 e 432

22, 11: 313 **485**

22, 12: 706 a g

INDEX NOMINUM ET RERUM

(Numeri sunt marginales; n remittit ad notas in calce positas; crassioribus typis insigniuntur loci principales.)

- Abraham** exemplar iustificationis ex fide 314 **320** 663 (v. *Rom 4; Iac 2*).
- Acceptatio personarum** 59 696.
- Actus: salutaris th. 1** (34); naturaliter honestus **th. 3 s**; supernaturalis **th. 10** (293); specificatio 308; intensus et remissus 486 d 716; indeliberatus et deliberatus **th. 18 s** (505 s 524 528); externus 34 a 705 726.
- Adam, K. 444.**
- Adamus** v. *Iustitia orig.; Peccatum orig.*
- Adiutorium sine quo non et quo** 80 87 541 b **548** 555 n 586 **660** 669 e (v. *Augustinus, De corr. et grat.; Iansenius; Angeli*).
- Adoptio th. 9** (269 s 289) **th. 15** (421 426 ss).
- Adrianus VI:** 538 n.
- Aegidius Rom. O. S. Aug.** 14 87 **225** 241 302 500 649 n.
- Aequalitas arithmetica et geometrica** 700 711-713.
- Alanus ab Insulis (Lille)** 196 n 363 702.
- Alarcon, Did. de, S. J.** 453 a.
- Albeda (Alveda), I. Gonzalez de, O. P.** 405 521 n 576 **606**.
- Albertini, G., O. P.** 585 596 606.
- Albertus Magnus O. P.** 13 253 391 n 486 549 n 604 684.
- Alès, Adh. d', S. J.** 547 577 603 645 649 655 682 688.
- Alexander VII:** 115.
- Alexander VIII:** 93-95 122 130 542 673.
- Alexander ab Alexandria O. F. M.** 649 n.
- Alexander Halensis O. F. M.:** meritum **197 n**; dispositio **218** 236 **237** 340; elevatio 250 **282**; informatio per gratiam **385**; gratia et virtus 391 n; libertas 551; voluntas salvifica 684.
- Alexander, Natalis (Noël Alexandre), O. P.** 576 669 n.
- Alfonsus de Ligorio C. SS. R.:** peccata venialia 168; efficacia gratiae 538 576 **th. 23** (610 ss 618 ss) 660.
- Alliaco (Ally), Petrus de** 208.
- Allo, B., O. P.** 655.
- Alvarez, Did., O. P.** 16 296 342 505 **574-576** **th. 22** (589 591 n 595) 598 **670** 685.
- Alypius** 25 101.
- Alzog, J. B.** 108,6.
- Ambrosiaster** 49 382 483 679 690.
- Ambrosius:** necessitas gratiae **49** 67 148 167 179; deificatio 279; iustificatio 336 339 n 355; virtutes 367; dona S. Spiritus 460; meritum 708 716; 253 279 383 430 655 679.
- Amicitia cum Deo** 422 424 439 **440 s th. 16** (453).
- Amor Dei naturalis** 77 81 122 **133** 219 ss (cf. *Caritas*); amor sui 119 153.
- Amort, Eus.** 371 d **389, 2**.
- Anastasius Sinaita** 690.
- Angeli** 162 255 **263** 269,3 275 280 282 315 n 346 415 492 505 n 540 551 556 586 591 **660** 669 e (v. *Adiutorium*).
- Annatus, Fr., S. J.** 79 115.
- Anselmus Cantuariensis** 11; status primi hominis 250 **260** 282; triplex cursus 258; iustitia 312; habitus 363 **385**; baptismus parvulorum 371 n; gratia et liberum arbitrium **54** 538 **551**; per-severantia **181** 184 **570**.
- Aphraates Syrus** 450 472.
- Aquaviva, Claud., Gen. S. J.** 575 s 650 **657 s**.
- Arausicanum II concilium** 10 32; necessitas gratiae **37** 40-42 59 **61** 65 112 141 173 **175** 186 188; gratuita **199** **215** 230; can. 18: **199 n** 705; can. 22: **107** 109 725; supernaturalitas 297 299; gr. actualis **496** **502** 506 513 522 528 536; gr. sufficiens et efficax 542 **558** 586 619; praedestinatio 672.
- Arauxo, Franc., O. P.** 576 606.
- Arelatensis synodus** 30 **672**.
- Ariani** 249 274.
- Aristoteles et aristotelica philosophia** **12** **110** 113 151 191 n 219 ss (**221**) **225** **305 n** 308 364 **367** **389,4** 461 494 549 n 551 602 604 711 725 n.
- Arminius et Arminiani** 35 669 n.
- Arnaldus (Arnauld d'Andilly), Ant.** 79.
- Arnobius** 49 546 679.
- Arra** **270 a** 330,5 427 s 448,1 453 b.
- Arriaga, Rod. de, S. J.** 168 439 648.
- Arrúbal, Petr. de, S. J.** 521 575.
- Ascoli, Hier. Berneri, card. de, O. P.** 575.
- Astráin, Ant., S. J.** 152 243 s 573 ss 645 ss.

- Athanasius 10; necessitas gratiae 45 48; deificatio 247 249 **274** 278 383 412 414 430; Spiritus S. 450 472.
- Athenagoras 273 n.
- Attritio 92; cf. th. 11.
- Atzberger, L., 247 274 307.
- Aufhauser, J. B. 45 180.
- Augustana Confessio eiusque Apologia v. *Melanchthon*.
- Augustinenses 14 16 **87 90 95** 108 **th. 4** 138 **206 g 264** 267 280 371 b 494 510 538 576 586 **th. 23** 623 625 645 648 684 692 726.
- Augustinus passim; vita et opera 10 **20-25 27 s**; auctoritas **111 116**; iunior semipelagiane sentiens 28 57 172 **204** 214 236 622; cognoscit absolutam praeventiam et gratuitatem gratiae **204** (v. infra *Ad Simpl.*); senior rigidus docet **57 s** 172 236 **548 s 622 ss 680 ss 690**; necessitas gratiae **50 52 63 68 149** 156 **167** 179 s; opera peccatorum et infidelium **99 ss 107 ss**; triplex caritas 101; amor Dei et sui 153; perfecta iustitia et peccata necessitatis 167 **169**; causalitas moralis gratiae 186 625; gratia Adami et angelorum 249 **280 s** (v. *Adiutorium*); gratuita 191 n **204** 236; potentia oboedientialis **258**; Manichaei et Pelagiani **260 n**; ordo supernaturalis 270 **280 s** 299; fides et opera 99 336 **339 n** 479; iustificatio **339** 352n 355 s; gratia habitualis **383**; virtutes infusae 368 384; theologicae **398**; caritas 382 391 393 498 **510** 725; fides mortua 99 479 709; Spiritus S. inhabitans **450**; amissio iustitiae 472 475 479 s; gr. actualis 498 s **502** 505 s **508 522**; divisiones 511 ss 599; gr. sufficiens et efficax 186 538 **547 ss 556 564 586**, 3 591,3 607 616 **622 ss 641**; conceptus libertatis **548**; perseverantia 172 555 n 556 568 n **569** 571 n **660** 715 717 (cf. *Adiutorium*; infra *De corr. et grat.*); voluntas Dei salvifica 57 s 236 **547** 663 670 n **680 ss**; electio sive praedestinatio **644** 681 690; meritum 99 196 n 339,1 **709 s** 715,1 3 717 723 ss.
- Eius *exegesis*: Rom 2, 14 ss: 96 n 100; Rom 5, 5: 382; Rom 7: 143; Rom 9,10 ss: 57 (v. *Ad Simpl.*); 1 Cor 4,7: 57 65 (v. *Ad Simpl.*) 2 Cor 3, 5: 63 n; 1 Tim 2, 4: 547 **680 ss**; Prov. 8, 35: 214 n 217; Sap 8, 21: 147.
- De diversis quaestionibus ad Simplicianum* **28 50 56 s** 99 186 **204** 217 236 505 508 547 **564 622 ss** 680 690 709; *Confessiones* 28 50 101 147 186 616,3; *Serm.* 166: **281**; *Serm.* 349: **101** 124; *Epist.* 102 q. 2: 28 57 **690**; *Epist.* 194 (*ad Sixtum*): 28 57 99 196 n 204 339,1 450 498 548 680 709 723; *Epist.* 217 (*ad Vitalem*): 28 68 **204 c** 548 681; *Enchiridion* **398** 548 564 681; *Contra Iulianum* 4,3: 96 n **107 ss**; *De spir. et litt.* 27 s, 48 s: 96 n **100** 109 124 149; 33 s, 57 ss: **547** 666 680 685; *De corr. et grat.* c. 10-12 (v. *Adiutorium*): 28 57 80 172 n **548** 569 **660**.
- Augustinus Triumphus O. Erem. S. Aug. 649 n.
- Aurelius Adeodatus (pseudonymus) 621 n.
- Aurelius Carthaginensis 22.
- Avitus Viennensis 32.
- Baconthorp, J., O. Carm. 387.
- Baius, Mich., et Baiani 16 **71-78** 80 90 93 s 96 n 107 108,1 114 118 122 129 162 169 172 194 251 253 260 **262 ss** 280 290 365 371 378 407 445 464 b 470 489 494 **496** 541 705 715,1 723.
- Bainvel, J. V., S. J. 247 307 688.
- Balmes, J. 694 n.
- Bañez, Dom., O. P. 16 **241** 400,1 486 d 519 534 n **574 s th. 22** 670 n 726.
- Bañesiani v. *Thomistae*; de nomine **579 n**.
- Bardenhewer, O. 277 n.
- Barnabae Epistula 273 356 450.
- Bartmann, B. 247 311 **317** 333 336 531.
- Basilius M.: necessitas gratiae 45 **48** 67 98 148 **180** 188 203; deificatio 249 **275** 450; virtutes 383 s 480; meritum 708.
- Bastida, Ferd. de la 306 **575 s**.
- Bäuerle, Mich. v. Neukirch, O. M. Cap. **621 n**.
- Baur, Ludw. 247-249 **273 n 274 n** 278.
- Becanus, Mart., S. J. 260 371 c 521 649 **719**.
- Beccaria, Hippol., Min. Gen. O. P. 565 575.
- Becdelièvre, A. de 79.
- Beck, J. T. 358 n.
- Beckx, P., Gen. S. J. 658.
- Beguardi et Beguinae 164 250 **260 b** 262 **464** 466 484 s.
- Bellarminus, Rob., card. S. J. 15 s 71 108,7 152 156 c 286 336 372 389,4 391 512 531 713 n 714 717; Congruismus 538 **574 s** 625 n 628 643 **648 653 657**.
- Bellelli, Fulg., O. S. Aug. 16 87 (v. *Augustinenses*).
- Benedictus XII: 397 482.
- Benedictus XIII (O. P.) 576.
- Benedictus XIV: 87 115 264 n 576.
- Beneficium materiale et formale **552** 566 c 571; specialius **th. 21 619** 635 s **643** 654 657 s.
- Benz, K. 317.

- Beraza, Blas., S. J. passim; v. initia thesium; definitio gratiae 6; Augustinus de operibus infidelium 107 109; sequelae peccati origin. **160**; peccata venialia 165; perseverantia **174**; dispositio **212** 230; ordo supernat. 247 294; gr. sanctificans et virtutes 348 n 372 380 389, 5 432 n 436 **439** 460; gr. actualis 519 521 530 ss; Augustinus de gr. sufficiente 549 n; de gr. efficaci 564 n; praedeterminatio moralis 606; conde-terminatio 609; praedestinatio et praedefinitio 648 ss; voluntas salvifica 671; meritum 704 714 ss 721 ss **726**.
- Bergier, N. 692.
- Bernardus Claravallensis 11 **54** 250 282 339, 4 413 499 511 538 551 724.
- Bernardus de Gannato O. P. 500.
- Berruyer, I. J., S. J. 692.
- Berti, Laur., O. S. Aug. 16 87 **119** 130 **607** s (v. *Augustinenses*).
- Bertrams, Herm. 379 380 n.
- Beyschlag, W. 380 n.
- Biel, Gabr., 138 208 226 500 670 (v. *Occamistae*).
- Bigg, Ch. 409 n.
- Billot, Lud., S. J.: natura lapsa 134 s 139 159 170 s; instinctus S. Spiritus **174** 458 **461** 477; obiectum supernaturale **304** n 305 n 307 n; virtutes infusae 366 369 388 397 456 n; gr. actualis 517 th. 19 (522 n) 531 533 535 s; perseverantia 553 555 n; praedestinatio **648**; voluntas salvifica **661** 688 **694**.
- Billuart, Car. Ren., O. P. 345 422 444 d 500 n 505 576 **589** 595 716 n.
- Bittremieux, J. 686.
- Blic, J. de, S. J. 107.
- Bonaventura card. O. F. M. 13; de Augustino 100 108, 6 113; necessitas gratiae 54 127 130 136 g **150** 172 184; gratuitas 208 **218** 237; supernat. elevatio 250 253 **282** 302 n 305 441; gr. creata et increata **385** 391 **400** n 414 435 441 451 s 456 486; dona S. Spiritus 460 464 c n; gr. actualis **499** 513; libertas 551; voluntas salvif. 684; meritum 700 n 711 n **716** s 719 726.
- Bonfrère, J., S. J. 336.
- Bonifacius I: 25 111.
- Bonifacius II confirmat *Arausicanum* II: 32 61 112 299 725.
- Bonnefoy, J.-Fr., O. F. M. 458 460 464 c n.
- Bornhäuser, K. 247 274 **278** 412.
- Bossuet, J. Bén. 692.
- Bovio, J. Ant. 575.
- Bozitzkovic, G., O. F. M. 237 n 391 n 499 n.
- Bradwardine, Thom., 538 **669**.
- Bremond, H. 79.
- Brière, Yves de la, S. J.: de Iansenio **79-83**.
- Brisbois, Ed., S. J. 285 n.
- Brogie, Guy de, S. J.: de Thoma 285 n 286 s 309 n.
- Bruckner, A., 20 25 n.
- Bucceroni, Ian., S. J. 245.
- Bulgakov, Mac. 260.
- Burgundio, Ioannes, Pisanus 253.
- Butzer (Bucer), Mart. 348 **359** s 483.
- Caelestinus I: 29 60 112 (cf. *Indiculus*).
- Caelestius **21-26** 35 197 199 260 a n 297 (cf. *Pelagiani*).
- Caesarius Arelatensis 32 60 679.
- Caietanus, Thom. de Vio, card. O. P. 105 171 n 223 n **227** **241** 382 **400** 436 531 536.
- Callistus I: 339 n.
- Calonne, de 610.
- Calvinus et Calvinistae 114 314 324 327 348 **464** 541 598 **669** n **702** n (v. *Dordracena synodus; Infralapsarii*).
- Cano, Melch., O. P. 296 371.
- Capéran, L.: salus infidelium 236 n 679 684 686 **688** ss.
- Cappuyens, M., O. S. B. 30 n.
- Capreolus, I., O. P. 118 n **151** n 237 294 456 489 **500** 536 606 n 726.
- Carisiacense concilium 11 236 513 550 669 n **672**.
- Caritas: et amor Dei naturalis 77 81 87 th. **3**; imperfecta 93 122; deificat 250 282; disponit: th. 11; forma fidei: th. 11 343; infusa: th. **13** **391-394** **397** ss; amissio: th. **17** (473 475); non unica gratia 494 d 508 **510**; et meritum **725** ss (cf. *Amicitia; Amor; Rom* 5, 5; 1 *Cor* 13).
- Carolus V imperator 331.
- Carreyre, J. 79.
- Carthaginense concilium a. 411: **22** 167; a. 416: 24 140 167; a. 418: 10 24 36 40 141 166 s 186 470 502 508 s.
- Casajoana, Val., S. J. 372 521.
- Caspari, C. P. 26 n 464 n.
- Cassianus, I. 27-29 57 67 **167** **197** n 230.
- Castelein, A., S. J. 688.
- Castitas 147 175 177.
- Catechismus Romanus (Tridentinus) 376 401 457.
- Catharinus, Ambr., O. P. 331 391.
- Cavallera, F., S. J. 446 459.
- Cavellus, H., O. F. M. 609.
- Cercia, Raph., S. J. 648.
- Cervino card. (Marcellus II) 328 n 361.
- Ceulemans 661.
- Charismata 3 5, 11 696 **729**.
- Christus pro omnibus mortuus 669 **672** ss 677 s 683; et nostra merita 697 **712**.

- Cirtenses 124 (cf. *Polemo*).
 Cladder, H., S. J. 425 n.
 Claeys-Bonnaert, P., S. J. 688 694.
 Clemens I Romanus 10 46 272 s 339 679.
 Clemens V: 373 (v. *Vienn.*).
 Clemens VIII: 115 **575**.
 Clemens XI: 84 s 576 (v. *Quesnellus*).
 Clemens XII: 576.
 Clemens Alex. 45 47 98 273 339 430 460
 502 690.
 Clemens, Fr. 17 252.
 Cobos, Christoph. de los, S. J. 575.
 Cochlaeus, Ioannes 541 n 551 n 711.
 Collius, Franc. 691.
 Coloniense concilium (1860): 160 424.
 Colonienses theologi **359 ss** 711.
 Communio Sanctorum 718.
 Compendium theol. veritatis 227.
 Concupiscentia 5,6 25 74 s 81 s 87 **90** 93
 119 130 136 s **143-146** 153 169 185
 280 702 (cf. *Caritas; Protestantas; Aug-*
ustinus etc.).
 Concursus Dei 521 529.
 Condamin, Alb., S. J.: de Isaia 459 561.
 Condemnatio 576 595 **th. 23** (609 617).
 Confirmatio in gratia **572** 715, 3 717 n;
 — sacramentum 444 449 461.
 Congregationes de Auxiliis 16 115 152 244
 294 306 538 558 **565 575** 619.
 Congrua cogitatio 120 131 157 n (v. *Vaz-*
quez); vocatio (apud Augustinum) 564
622 ss 628.
 Congruismus 538 565 624 s **628** 643
645 ss 657 s.
 Coninck, Aeg. de, S. J. 251 260 **306** 400, 1
486 b.
 Consortium divinae naturae 269 **th. 14**
 (404 414-419); eucharisticum 276 410, 4
 414.
 Constantiense concilium 92 672 (v. *Wi-*
cleff, Hus).
 Contarini, Gasp., card. **359-361**.
 Contarini, Iulius 361 **704** 711.
 Contenson, Vinc., O. P. 345 556 n 670.
 Contingentia a Deo cognita 631 s.
 Contritio disponit: *th.* 11.
 Cooper-Marsdin, A. C. 27.
 Cornely, Rud., S. J. explicans S. Paulum:
 passim, praesertim 41 65 143-146 177
 271 380 n 381 427 s **560 s** 655.
 Cornoldi, J. M., S. J. 621 n.
 Coronel, Greg. Nuñez, O. S. Aug. 575.
 Creatio nova per gratiam 43 354 413 (cf.
Eph 2, 1 ss; 2 *Cor* 5, 17; *Gal* 3, 22).
 Gremers, V., S. J. 247 274.
 Cruz, Ant. de la, 174 n.
 Cuervo, M., O. P. 285 n.
 Cupiditas v. *Concupiscentia*.
 Curiel, I. Alf. **405** 409 n. 439.
 Cyprianus: necessitas gratiae **49 67 148**
 167 186 188; iustificatio 355 n 356 383;
 perseverantia 569 n; meritum **708 n**
 716.
 Cyrillus Alexandrinus: necessitas gratiae
 45 53 65 149 169 179; deificatio 10 247
 253 **276** 278 300; gr. habitualis 356
 363 **383** 412 414 430 435; gr. increata
450 n; voluntas salvifica 679 690; me-
 ritum 708.
 Cyrillus Hierosolymitanus 67 203 356 **383**
 410,4 430 450 708.
Daemones v. Diabolus.
 Damnati 482 667 686.
 Daniel, Gabr., S. J. 576.
 David, Em. 252 **304-307** 725.
 Debitum v. *Indebitum*.
 Dechamps, Steph., S. J. 16 79 115 286.
 Deificatio per gratiam 247 ss **th. 9** (273 ss
 281 ss) **th. 14** (cf. *th.* 13 16).
 Deissmann, A. 315 n 380 n.
 Delaye, E., S. J. 270 442.
 Delectatio victrix (gratia magna): apud
 Iansenium **81 s** 538 541 s; Augustinus
 548 s 564 624; Augustinenses **607 616**;
 Sorbonicos 611 620.
 Deman, Th. 221 n.
 Demetrius virgo 22.
 Deneffe, Ang., S. J. **253**.
 Denifle, H., O. P.: de Luthero, Scholasticis,
 exegetis 70 **109 n** 152 n 197 n 226
242 311 314 **321 n** 387 489 702 n.
 Desiderium naturale visionis Dei: apud
 Augustinenses 87; Thomam 247 250 **283**
285; alios theologos 286 s.
 Desperatio 464 c 481.
 Deza, Did., Hispalensis O. P. 118 n **151 n**
 227 **294, 726**.
 Diabolus et daemones: causa tentationum
 136 147 176 541; quam fidem habeant
 309 s 334; obdurati 667 686.
 Dibelius, M. 315 n.
 Dicastillo, I., S. J. 306.
 Didache 273.
 Didymus Alex. 450.
 Dieckmann, Aug. 316 n 702 n.
 Diekamp, Franz 400 518 s 531 578 590
 684 n.
 Dionysius Pseudo-Areopagita 12 249 s **253**
277 283 300 383 430 435.
 Dionysius Carthusianus 13 **487** 500 **536**.
 Diospolitanum concilium 23 s 36 140 167
 197 199 494.
 Discretio a Deo facienda **th. 21** (562 c
 565) 619 c **642** 645 ss (cf. 1 *Cor* 4, 7;
Augustinus, Ad Simpl.; Beneficium speci-
cialius; Semipelagiani).

- Dispositio 156 a **th. 8** (211-213 230) 290
302 **th. 11 342 343 ss** 364 389, 4 590
598 714,1.
- Distributio gratiae: **sect. VI** (659 696 et
loci *ibid.* allati).
- Dittrich, Franz 359.
- Dobschütz, E. v. **315 n.**
- Dölger, Franz Jos. 380 n 424 n.
- Döllinger, Ign. 339 n.
- Dominium Dei in actus liberos 35 d 564
641.
- Dordracena synodus calvinistica 464 541
669 n.
- Dorsaz, P. A., C. SS. R. 432 442.
- Driedo, I. 500 670 n.
- Dubitatio an destruat fidem 464 c 480.
- Dummermuth, A. M., O. P. 18 **577 600 n**
601.
- Dunin-Borkowski, St. v., S. J. 688.
- Duperron, Dav., card. 575.
- Duplessis d'Argentré, Ch. 610.
- Durandus, Guil. de S. Porciano, O. P. 14
138 214 **226** 260 k 294 391 400, 2 456
464 c 480 670 **702.**
- Duval, Andr. 610.
- Duvoisin, J.-B. 692.
- Eck, Ioannes** 360 **500 711.**
- Effectus formalis 404 419.
- Ehrhard, R. P. 247 287.
- Ehrle, Fr., card. S. J. 373 n.
- Ehses, St.: acta Trid. **174 n 376 387**
392 396 496 n 704 n 714,1 716 n; de
Gropper 359.
- Ekardus (Eckehardus), O. P. 250 407 705.
- Eleutherius, Theod., v. Meyer, *Liv. de.*
- Elevatio supernaturalis 5,6 55 **254 ss**
520-530 531 ss.
- Emanatistae 260.
- Ephesinum concilium 26 36.
- Ephraem 180 502 **546.**
- Epiphanius 412 445.
- Erasmus Roterodamensis 114 541 691.
- Erber, Ant., S. J. 389 n 519.
- Erice v. *Herice.*
- Ernst, Joh. 20 99 n 104 n **107 ss 510 725.**
- Eschweiler, Karl 285 n.
- Esparza, Mart., S. J. 391 405.
- Estius, Guil. 143 177 574 670 n.
- Eucharistia v. *Consortium.*
- Euchitae 348 n.
- Eulogius Caesariensis 23.
- Eutropius et Paulus episcopi 22.
- Everling, O. 315 n.
- Experientia: gratiae 453 g 493 b 615; in-
firmitatis humanae 153.
- Extraordinariae: illustrationes 493 b; gr.
gratis datae 729; viae salutis **688 ss.**
- Faber, Phil., O. M. Conv. 609.
- „Faciendi...” **th. 8 II** (213 219 231 ss)
668 691 716.
- Faller, O., S. J. 247 412 n 426 n.
- Faure, J. B., S. J. 510 547 n 682.
- Faustus Reicensis 27 **30 s 67 669 n.**
- Feckes, Karl 7 n 208 214 n 226 500.
- Feder, A., S. J. 30 n.
- Feine, P. 316 319 380 n.
- Feldner, Gund., O. P. 621 n.
- Felix III: 32 60.
- Feller, F. X. de, olim. S. J. 692.
- Fides: est donum gratiae, etiam eius in-
itium **th. 2** (56) 201, 5; *iustificat* non
de condigno 202,2 715,1; sed de con-
gruo 202,2 716,1; acquisita 69 294 s
305 309 s 331; obiectum supernaturale?
309 s; disponit f. dogmatica, non fidu-
cialis sive specialis 314 **th. 11** (326 s
329 s); certitudo fidei 330-332; f. *habi-*
tualis infusa **th. 13;** virtus theologica
368 381,2 397 ss; in intellectu 395;
quando infundatur **400 s;** quomodo
amittitur **th. 17** (463 479 s) 482; anti-
cipatio visionis 270 g 417; informis et
formata 464 c (v. *Caritas*); implicita
691; late dicta 108,5 692 s 695; *nece-*
sitas ad honeste agendum? 75 **th. 3**
107 ss 155 s; ad salutem 688 ss **695;**
ad meritum **724 ss.**
- Finis ultimus 1 55 75 87 106 n 119 127
129 s 259 386 416 436 598 648 656
712 **724 ss** (cf. *Gloria; Vita aeterna*).
- Fischer, Ant., card. 691 693.
- Fishacre, Rich. 371 n.
- Flacius Illyr. 260.
- Florentinum conc. pro Armenis 445; pro
Graecis 704; pro Iacobitis 705.
- Florus 25.
- Fonck, L., S. J. 706 n.
- Fonseca, Petrus, S. J. **574 n.**
- Fontaine, Iac. de la, S. J. 84.
- Formula Concordiae Protestantium 314
324 s 348 541 669 n.
- Francolini B., S. J. 298.
- Franzelin, I. B. card. S. J. 442 645 649
661 665 682.
- Frassen, Claud., O. F. M. 391.
- Frayssinous, D. de 692.
- Frey, J.-B. 379 s 561.
- Frins, V., S. J. 18 **577 600.**
- Fröbes, Jos., S. J. 389 n 493 n.
- Froget, B., O. P. 442 444 d 458.
- Frohschammer, Jak. 252 265.
- Frutsaert, R., S. J. 311 317.
- Fulgentius Ruspensis 27 **31 53 65 68 101**
149 205 502 683.
- Futuribilia v. *Scientia media.*

Galtier, P., S. J. 442 **453 a n c.**
 Gardeil, A., O. P. 260 285 294 n 295 n 402
 442 444 e **453 b c g** 458.
 Garnier, J.; S. J. 20.
 Garrigou-Lagrange, Reg., O. P. 245 n 285 n
 294 n **295 n** 304 ss **310** 458 577 **590**
 603.
 Gasser, V. 266 n.
 Gaugusch, L. 335.
 Gaume, J.-J., 458.
 Gayraud, Hippol. 577.
 Gazier, Aug. 79.
 Gelasius I et Decretum Gelasianum 26 112.
 Gemmel, J., S. J. 693 n.
 Generatio 248 **330**, **2 411 433** (cf. Io
 3, 5; 1 Io 3, 9).
 Gennadius Massiliensis 30.
 Gerhard, Joh. 260.
 Gerson, Ioannes 464.
 Geyer, Bern. 577.
 Gibbon, Aug., O. S. A. 519.
 Gietmann, G., S. J. 577.
 Girard Iansenista 541.
 Gloria per gratiam inchoata **270** 300
416 s; quae dona maneant in gloria
 482; obiectum meriti **th. 26 714** (v.
Finis ultimus; Visio).
 Glueck, N. 2 4.
 Gnostici 10 35 46 249 273 412.
 Godescalcus et eius adversarii 11 112 236
 550 556 **669 n** 672 (v. *Caristacense;*
Valentinum).
 Gonet, I. B., O. P. 168 345 405 593 598
 670 n.
 Gonzalez v. *Albeda*.
 Gormaz, I. B., S. J. 439.
 Gotti, Lud., card. O. P. 168.
 Göttler, Jos. 340 n.
 Goudin, Ant., O. P. 345 500 n 595 598.
 Grabmann, M. 247 388 402 405 n 432.
 Graeci Patres 10; necessitas gratiae 45-48
 53; opera gentilium 98; de Rom 7: 143;
 de Rom 8, 28 ss: 655; gratuita 203 214;
 deificatio **273-278**; iustificatio 339, **2**
 355 n 356; caritas 393; S. Spiritus **450**
 476; libertas 538 546; gr. efficax 564;
 perseverantia 569; voluntas salvifica
 236 679; salus mortuis oblata **690**;
 meritum 708.
 Granado, Iac., S. J. 287 294 306 400 521
 534 n.
 Granderath, Th., S. J. 247 266 450 n 453 n
455.
 Gratia (v. *Conspicuum*): nomen 2 4;
 usus bibl. 3; divisiones 5; definitiones
 6; gr. naturalis 5,4 254; gr. Christi
 entitative naturalis 117 120 131 155 s
 232 294 b 296 669 (cf. *Congrua cogita-*
tio; Vazquez; Schiffini); gratis data 218

237 499 **729** (v. *Charismata*); gr.
 externa **5,7** 117 155 492 s 540; sanans,
 moraliter adiuvens 5,6 **th. 5** (135)
155 s th. 6 186 189 249; infallibilis
 efficaciae 187 (cf. *th. 21 24*); elevans,
 dans vires physicas 5,6 **188 s th. 9**
10 19 (528); cf. *th. 1 2 13 18*); in-
 creata 5,8 **th. 16**; gr. Veteris Testa-
 menti 7 444 446 451 **663**; gr. patriae
 5,9 (v. *Gloria*).

Gr. *sanctificans* (habitualis) 5,12 **370**; an
 necessaria ad vitanda peccata 156 c;
 entitative supernaturalis **th. 9 10** (293
 300); — existentia **th. 13**; effectus
 formales **th. 14 15**; quale ens **389**;
 opposita peccato mortali **418 th. 17**;
 quod delet **th. 12 437 ss**; compossi-
 bilis cum veniali **th. 17** (cf. 163 ss);
 relatio ad gr. incretam **455 476**; ad
 caritatem **391 ss 475**; ad fidem 463 c
479; ad spem 463 c **481**; ad virtutes
 morales **478**; ad dona S. Spiritus
477; amissio **th. 17**; augmentum
484 ss; an diminutio **487**; princi-
 pium meriti de condigno **th. 26** (712)
 723, 2; obiectum meriti **th. 26 715 ss**.

Gr. *actualis* 5,12 **sect. IV**; nomen 489
 499 s; existentia **th. 18**; natura **501 ss**
th. 19; qui actus 510; entitative su-
 pernaturalis **th. 10** (293 302); im-
 mediate a Deo 493 b **507 ss**; per eleva-
 tionem externam 520 **524 ss**; princi-
 pium actus salutaris 521 **528** (cf. *th. 1*);
 qua ratione iustus necessaria **531 ss**;
 obiectum meriti 714 716 718 720; divi-
 siones 5,14 **511 ss** 598 s.

Gr. *sufficiens* ad perseverantiam **th. 6**;
 ad iustificationem **th. 8II th. 20** 562 b
th. 25; proxime et remote 540 b 668;
 absolute et relative 541 b 608; pure
 540 b; est verum beneficium 552, 2 (cf.
Beneficium); est vere sufficiens **th. 20**;
 negatur a Iansenio 82 s 172 e 175 541 b
 542; neglegitur ab Augustino seniore
 172 c 548 s 625 680 ss; destruitur prae-
 determinatione physica 586 ss; et morali
 614; nimis urgetur a Semipelagianis
 556; et Sorbonicis 611 b c 619; ser-
 vatur a Molinistis **639,1**; aegre a
 Congruistis 653; omnibus datur **th. 6II**
th. 25 688 ss.

Gr. *efficax* 58 201,5 540 b **th. 21-24**
 beneficium specialius (v. *Beneficium*
speciale) 554 571; etiam in Molinismo
643 654; non in Semipelagianismo 58
 556 a; neque in Syncretismo 556 d
 619 b c; efficax non interne **th. 20**
22 s; sed externe **th. 24**; obiectum
 meriti 715,3 716 c 717 a 718 b 720,2.

- Gratuitas gratiae sect. II*; nomen et conceptus 6 **191 s**; gr. gratiae mere sanantissimi **157-161**; potestatis perseverandi 185; gratiae salutaris pro peccatore personali 193 s **th. 7 8**; gr. supernaturalis pro omni creatura 72 193 s **th. 9 290 s**; etiam possibili 260 k 289 (v. *Ripalda*); iustificationis 201 s 335 715, 1; gr. efficacis et doni perseverantiae 201, 5 **th. 21** 643 654 715,3 720; praedestinationis completae 644 **646 ss**; gratuitati non obstant leges gratiae distribuendae 696; neque doctrina de merito 712.
- Graveson, Hyac., O. P. 589 595.
 Gregorius I, Magnus 143 **156 e** 205 **339, 4 355 384** 398 400, 1 457 690 **709 s**.
 Gregorius XVI: 17.
 Gregorius Ariminensis O. S. Aug. 14 **87** 118 n 444 670 n.
 Gregorius Nazianzenus **45 48 98** 167 236 **356** 679 690.
 Gregorius Nyssenus 45 **48** 253 **275 339** 430 **546**.
 Grisar, Hartm., S. J. 70 314 s 327 n 702 n (v. *Luther*).
 Gropper, I. **360** 362.
 Grosseteste, Rob. 253.
 Gspann, J. Chr. 531.
 Guibert, Jos. de, S. J. 346 n 686.
 Guillelmus Antisiodorensis (Auxerre) 340 n.
 Guillelmus Parisiensis (Alvernus) 196 n 282 294 702.
 Guillelmus a S. Theoderico (St. Thierry) 371 n.
 Guillermin, H., O. P. 577 605 s.
 Gulik, W. van 359.
 Gunkel, H. 315 n.
 Günther, Ant. 17 252 260.
 Guttherlet, Const. (Heinrich-Guth.) 307 **457 n** 519 **693 ss** 725.
- Habert**, Is. 16 45 79 108 115 180 546 n 592 610.
 Habitus: definitio et divisiones **367**; infusi 364 **th. 13**; entitative supernaturales **th. 10** (293 301); et dispositio 389, 4; in altera vita 482; augmentum **484-486**; an diminutio 487 (cf. *Virtus*).
 Hadrianus I: 672.
 Hadrumetini monachi 28 660 (cf. *Aug. De corr. et gr.*).
 Hahn, Seb. 669.
 Haidacher, Seb. 355.
 Harent, St., S. J. 332 n 336 688.
 Häring, Th. 316.
 Harnack, Ad. v. 247 s **272 n 278 339 n** 355 379 **397 n** 409 n 412 **425 n 429**.
 Haunoldus, Chr., S. J. 649.
- Hefner, Jos., de Tridentino s. 6: 174 n 327 **328 nn 331 s** 340 s **359 ss** 364 376 387 391 692.
 Heiler, Fr. 693 n.
 Heim, K., de Alexandro Hal. 237 385.
 Heitmüller, W. 315 n.
 Henao, G., S. J. 576 642 658.
 Henricus Gandav. 237 253 456 500.
 Henricus Gorcumensis **538 n**.
 Henriquez, H., S. J. 57 n.
 Hentrich, W., S. J. **521 n 574 n**.
 Heraclius 339 n.
 Hereditas 269, 2 **th. 15** (421 **426** 433 s) 433 706 c.
 Hergenröther-Kirsch 359.
 Herice (Erica), Val. de, S. J. 260 649.
 Hermas 450.
 Hermes, Georg 17 39 62 252 260 365 371.
 Heros et Lazarus episcopi 23.
 Herrmann, I., C. SS. R. 519 **th. 23** (605 610 s 618 s).
 Hervaeus Burdigalensis (Bourgdiem) O.S.B. 143.
 Hervaeus Natalis, O. P. 670.
 Hervé, J. M. 716 n.
 Hesychius Salonicitanus 690 n.
 Hieronymus 23 s **98** 111 s **149** 167 179 339 n 464 468 483 543 n 547 708 710 724.
 Hierosolymitana synodus 23 111.
 Hilarius adversarius Semipelagianorum eiusque *Epist.* 226 ad Augustinum **28 59 s** 65 111 **172 n 197 n 556 n** 568 n.
 Hilarius Pictaviensis (Poitiers) 49 179 450 690.
 Hilarius Siculus 22.
 Hild, Jos. 84.
 Hildebertus Cenomanensis (Lavardinensis) 340 n.
 Hilt, Franz 45.
 Hinemarum Remensis 550 556 b 672.
 Hirscher, J. B. 260 464.
 Hoch, Alex. 27.
 Holsten, C. 380 n.
 Holtum, Gr. v., O. S. B. 458 577.
 Holtzmann, H. J. 315 n 316 319 380 n.
 Holzmeister, U., S. J. 706 n.
 Honoratus 22.
 Honorius imperator 24.
 Hoppe, Th. 560.
 Hormisdas: ad Possessorem **31** 60 112 567.
 Huarte, Gabr., S. J. 158 n 496 n 499 n 577.
 Huby, J., S. J. 693 n.
 Hugo a S. Charo (S. Cher) O. P. 649 n.
 Hugo a S. Victore 11 253 282 371 n 460 691 (cf. *Summa Sententiarum*).
 Hugon, Ed., O. P. 118 n 531 590 597 605 s **684 n** 694.

- Humanistae 364 691.
 Hümmer, Fr. K. 45.
 Hünermann, Fr. **228 n** 359 376 489
496 n 500.
 Huppert, Phil. 682.
 Hurtado, Gasp. 575.
 Hurtado de Mendoza, Petrus, S. J. 400, 1
 534 n.
 Hurter, Hugo, S. J. 108,8 **405** 435 661
688 695.
 Hus, Ioannes 14 92 669 672.
 Hypnognosticon sive Hypomnesticon 30 101
 105 541 n.
- Iacobus** Apost. de fide et operibus: **th. 11**
 (333 ss).
 Jacquin, M., O. P. **57 n** 622 ss 682 s.
 Jansen, F. X., S. J. 71 691 n.
 Jansen, J. L., C. SS. R. 605 610.
 Iansenistae 16 58 **90 ss** 107 s **114** 118
 129 132 n 194 232 251 262 281 494 496
 510 541 s 552 608 625 **673 s** 692 (v.
Alex. VIII; Quesnel; Pistorienses).
 Iansenius, Corn. 16 **79-83** 90 114 172 175
 177 260 538 **th. 20** (541 b 542) 589 669
 673 705. — *Quinque propositiones*
damnatae **81-83**; pr. 1: 172 175 **542**;
 pr. 2: 496 **542**; pr. 3: 598 n 625 705
 724; pr. 4: 496; pr. 5: **673**.
 Janssen, J. 339 n.
 Janssens, Laur., O. S. B. 260 i 538 n 590
 600 607 n 614 n.
 Jedin, Hub. 541 n 551 n.
 Jeiler, I., O. F. M. 577.
 Jenkins, F. D. 316 n.
 Ignatius Antiochenus 10 46 272 **273** 383
 450 **708** 710.
 Ignatius de Loyola: Liber Exercitiorum
 spiritualium 186 n 453 c 493 n.
 Ihmels, L. 355 n.
 Illuminatio sive illustratio intellectus:
th. 18 (493 501 s 504 ss).
 « Illuminationis » aetas 17 252 692.
 Imago Dei 100 106 124 149 248 **th. 14**
 (404 c 415). (cf. *Strucker*).
 Immortalitas 273 ss **278** 280 **412** (cf.
Vita aeterna).
 Impeccantia 22 137 149 **163 ss** 418.
 Impetratio 196 291 697 717 (v. *Oratio*).
 Impotentia salutariter agendi: **th. 1**
 (34 c) **th. 2** 188; vitandi peccata
th. 5 (135 c 154) **163 ss th. 6** 186;
 resistendi gratiae? 187 **th. 20B** 572
591 ss 598 n **th. 23**.
 Incarnatio: et deificatio sive adoptio
 273 ss 430 ss.
 Indebitum naturae, operibus 72 157 ss
th. 7 8 251 254 ss **th. 9** (283 n)
 (v. *Gratuitas*).
- Indiculus sic dictus Caelestini 10 **29 37**
 40 42 **60 112 116 141 173 199** 215
 496 502 **508** 522 536 **558** 683 705.
 Infallibilitas gratiae 187 **554** 583 607 613
 617 s 619 c **635 638**.
 Infideles: opera **th. 3**; gr. sufficiens
th. 25 688 ss (v. *Fides*); positivi et
 negativi 667.
 Infralapsarii 556 591 608 669 dn e (cf.
Adiutorium).
 Inhabitatio v. *Spiritus Sanctus*.
 Initium fidei: **th. 2** (v. *Fides*).
 Innocentius I: 22-24 140 s 263.
 Innocentius III: 373 457.
 Innocentius X: **542** (v. *Iansenius 5*
 prop.) 576.
 Innocentius XI: 692 (v. *Molinos*).
 Innocentius XII: 115 576.
 Inspiratio voluntatis: **th. 18** (493 501 s
 504 ss 508 s).
 Intentio bona **128 ss 724 ss**.
 Ioannes Bapt. 168.
 Ioannes Chrysostomus 10 **48 67 98 148**
179 s 203 253 **275** 339,2 **355 s**
 383 s 430 450 **546 666** 679 690.
 Ioannes Damascenus 12 **53** 247 250
277 s 430 **453 a 546** 551 552 n
666 685 690.
 Ioannes Evang.: vita et generatio ex
 Deo 269 s **380,2** 411 429; lux 270 e;
 inhabitatio 448; universalismus 678.
 Ioannes Hierosolymitanus 23.
 Ioannes Sarracenus O. S. B. 253.
 Ioannes a S. Thoma O. P. 16 287 306
 345 453 g 590 670.
 Joret, D., O. P. 458.
 Iosephus S. 168.
 Iosephus Flavius 409.
 Iovinianus **339 n 464** 468 472 **483 s**
 (cf. *Hieronymus*).
 Irenaeus **10** 47 188 247 **273** 278 356 383
412 n 414 450 **546**.
 Isidorus Pelusiota **236**.
 Jud, Rup., O. S. B. v. *Rottmanner*.
 Iudaizantes 35.
 Iuliana, mater Demetriadis 22.
 Iulianus Aclanensis **25 s 35 107-110**
 162 197 **260 n** 297 **508** 641 (v. *Pe-*
lagiani).
 Iulianus Pomerius 109.
 Jülicher, A. 316.
 Jungmann, B., S. J. 18.
 Jungmann, J. A., S. J. 10 n.
 Iustinus **47** 98 273 355 708.
 Iustitia, iustificatio v. *Conspectum* (sec-
 tio III); — conceptus et divisiones
313 s 700 713; apud Protestantés
314 ss; usus biblicus **316-321**; ius-
 titia originalis secundum theologos

- catholicos et heterodoxos **72 s 80**
87 260 262 s 274 280 282 505 n;
 imputata an inhaerens? 314 320
th. 12 13; adaequate et formaliter
 sumpta 370 396 463; eius causa for-
 malis 387 **396**; duplex 348 **359 ss**
 455; imperfecta et perfecta 22 ss 77
169 347 393 721; incerta 327 **331 s**;
 inaequalis **483**; augmenti capax
484 ss th. 26; amissibilis **th. 17**.
 Iustitia meriti 192 196 b 200 ss 700 712
713 (cf. *Gratis*).
- Katschthaler, I.**, card. 610.
 Kattenbusch, Ferd. 464 n.
 Kaup, J., O. F. M. 391 n.
 Kautzsch, E. 56.
 Kilber, Henr., S. J. v. *Wirceburgenses*.
 Kirfel, H., C. SS. R. 285 n.
 Kirn, O. 326.
 Klasen, Franz 20.
 Klein, Jos. 54 n 208 500.
 Kleutgen, Jos., S. J. 17 108 247 252 260 n
 286.
 Knabenbauer, Ios., S. J. explicans S.
 Script.: passim; praesertim 40 270
333 n 425 n 428 448 459 559
 675 706 n 721.
 Knoll, Albertus a Bulsano, O. M. Cap.
 610 694.
 Koch, Ant. 27 **111 ss** 683.
 Koch, Hugo 273 n.
 Köhler, W. 691 n.
 Kolb, K. 27 111 n 622 ss 690.
 Kolde, Th. 242.
 Kolipinski, St. J. 6 442 458 461.
 Konings, M., O. S. Crucis 531.
 Kranich, A. 247.
 Krogh-Tonning, K. 311 **315** 464 702 n.
 Kühl, E. 316.
 Kuhn, Joh. Ev. v. 17 77 n 252 **260 h 365**
 371 a n d e.
 Kunze, Joh. 348.
- Lacome, P.**, O. P. **310 n**.
 Laemmer, Hugo 500.
 Lagrange, M.-I., O. P. 311 **316 ss 333**
 336 426 s 655.
 Lahousse, Gust., S. J. v. initia the-
 sium; 18 40 135 c 152 296 307 n 348 n
 521 525 **528 530 s 660 721**.
 Lainez, Iac., Gen. S. J. 361 391.
 La Mothe le Vayer, Fr. 692.
 Landgraf, Art. 282 n 340 n 363 n 371 n
 391 n 715 724 n **725 n**.
 Lane, N. de la 541.
 Lang, A. 669 n.
 Lang, Andrew 693.
 Lanversin, Fern., S. J. 630 n.
- Lapide, Corn. a, S. J. 143.
 Laporta, G., O. S. B. 285 n.
 Laporte, Jean 79.
 Larrivé, M., O. P. 694.
 Lateranense concilium IV: 672 705.
 Laurentius, Augustini amicus 25 398.
 Laxenaire, J. 688.
 Laxismus 692 695.
 Le Bachelet, X.-M., S. J. **71 ss 87 262 n**
 496 625 n **657 s 688 705 n**.
 Le Blanc, Aug. v. *Serry*.
 Le Comte, L., S. J. 692.
 Ledesma, Petrus, O. P. 16 572 670.
 Ledóchowski, Wlod., Gen. S. J. 307 n.
 Le Gobien, Ch., S. J. 692.
 Lehmkuhl, Aug., S. J. 725.
 Lemonnier, R., O. P. 63 n 311 317 ss
 335 ss.
 Lemos, Thom. de, O. P. 16 **244 294**
521 n 575 s 579 589 591 n 598 670.
 Le Moyné, Alf. 610.
 Lennerz, H., S. J. 364.
 Leo I: 26 29 40 53 112 **149** 167 188 205
279 356.
 Leo IX: 513.
 Leo X damnans Lutherum 15 328 349
 702 723.
 Leo XIII: 407 **446** 453 b 459 621 673.
 Lepsius, J. 278.
 Lercher, L., S. J. 648 714.
 Lessius (Leys), Leon., S. J. adversarius
 Baii 16 77 n; « Facienti » 214 235
 244 s; gr. creata et increata 371 n 391
405 422 434 a 444 452 455; gr. actua-
 lis 521; efficax 556 n 574 576 649
657 s.
 Lex naturalis: **th. 5** (135 e); mosaica
 144 s 201,2 (cf. *Vetus Test.*).
 Libertas: conceptus 12 548 s **592**; exag-
 geratur a Pelagianis 35 137 494; a
 Semipelagianis 556; defenditur a Pa-
 tribus, praesertim Graecis 538 **546**;
 minus clare ab Augustino seniore
547 ss; paulatim distinctius cognoscitur
 549 604 625; negatur a Protestan-
 tibus **541**; a Baio 75; a Iansenio 80 ss
 538 **541 s** (v. *Iansenius pr. 2-4*); a
 Quesnello 542; servatur in natura
 lapsa et sub gr. efficaci **th. 20**; de-
 struitur praedeterminatione physica
th. 22 (591 ss) 598; etiam ex mente
 S. Thomae 551 **600 ss**; et praedeter-
 minatione morali 187 **th. 23** (613 s);
 non per necessitatem moralem late
 dictam 135 c 154; nec per necessita-
 tem consequentem 135 c 154 187 **595**
 639, 3; ad merendum requisita **724, 3**
 (v. *Iansenius pr. 3*).
 Lietzmann, Hans 316.

- Limbourg, M., S. J. 389 n **486 n** 518 525
 577 th. **22**.
 Limbus parvulorum 159 s n 284 694;
 etiam adulatorum? 691 s 694 s.
 Lingens, Em., S. J. **174 n** 252 307 531
 536 **725**.
 Linsenmann, F. X. 71 77 n 114 359.
 Lippert, P., S. J. 247.
 Liturgia v. *Praxis Ecclesiae*.
 Logos 98 274 690.
 Loofs, Fr. 20 315 n.
 Lorca, Petr. de, O. Cist. 400, 1.
 Löscher, V. E. 315 n.
 Lossada, L., S. J. 304 389 n.
 Lottin, O., O. S. B. 458 461 n.
 Lovanienses theologi 115 **122** 262 n 574.
 Lucidus praedestinianus 30 669 **672**.
 Lugdunensis synodus 30.
 Lugo, I. de, card. S. J. 251 294 296 306
 400, 2 432 n 519 534 n 714, 1.
 Luthardt, Chr. E. 541 a 564 n 669 n.
 Luther, M. 114 197 n **242** 260 d; — de
 iustificatione **314 s** **320 s** **327 n**
 328 341 348 355 n 360 **364** **464 n**
 483; — 494 c 500 **541** 669 **702 n** 723.
 Lux, lumen 270 e 405 n 493 (v. *Illumi-*
natio).
 Luzerne, C. G. de la 692.
 Lychetus, Fr., O. F. M. Obs. 400.
 Lydda v. *Diospolis*.
- Macedoniani** 249.
 Madruzzo, Lud. card. **575**.
 Mahé, Jos., S. J. 247 450 n.
 Maior (John Mayr) 260 k.
 Malevanski, S. 260 i.
 Malleville, G. de 692.
 Manichaei 10 25 28 46 57 249 **260 an**
 280 547.
 Mannens, P. 198 n 649 n 656 **685 s**.
 Manzoni, C. 519.
 Marcellinus comes 22.
 Marchetti, O., S. J. 725 n.
 Maria B. V.: immunis a peccato 165 167;
 praedestinata 650 653.
 Marín-Sola, Fr., O. P. 18 231 n 243 245 n
 505 n 521 n 556 n 577 605 610 684 n
 716 n.
 Marinus, I., S. J. 648.
 Marsilius de Inghen 208 500.
 Martin, Conr. 378.
 Martin, R.-M., O. P. 285 n 577 694.
 Martinet, Ant. 610.
 Martinus Legionensis 371 n.
 Masi, C. 307.
 Massilienses 28 s (v. *Semipelagiani*).
 Mastrius, Barth., O. M. Conv. 16 576
609 617.
 Matulewicz, G. 247 260 i.
- Mauguin, Gilb. 669 n.
 Maurini, congregatio O. S. B. 20.
 Mausbach, Jos. 20 108,5 n **510** 688.
 Maximus Confessor 249 **277** 383 690.
 Mayr, Ant., S. J. 439 648.
 Mayr, John v. *Maior*.
 Mazzella, Cam., card. S. J. v. initia
 thesium; — 114 s 152 **159** **174**
 213 307 **370** 439 480 486 511 521 531
 552 596 644 713.
 Mazzochi, Laur., O. Serv. B. M. V. 387.
 Medina, Barth. de, O. P. **228** 241 287
 296 345 371 c 400, 1 436 439 456 431
 726.
 Meersch, Ios. van der 6 18 198 n **291 s**
 307 456 n 491 516 518 s **531** 648.
 Meffert, Franz 611.
 Melancthon, Phil., eiusque Confessio
 Augustana 90 314 324-327 348 360 464 n
 489 n 669 n **702 n**.
 Mendive, Ios., S. J. 307 n 439 521.
 Mercator, Marius 26.
 Mercier, Al., O. P. 310.
 Meritum: conceptus et divisiones **196**
 697 **699 s** **711 ss**; nullum sine gra-
 tia th. **7** **290** **720** 724; de congruo
 196 700 **716-719**; de condigno 196
 270 h th. **26** (700 711 ss) 714 s 722 ss;
 digni 700; condionate futurum? 59
642 720; per actus remissos? 486 d;
 proprium operum externorum? 727;
 praedefinitum **647 ss**; error Baii **73**
 263 705; Protestantium 702 721; obie-
 cta **714 ss**; condiciones **721 ss**; me-
 rita Christi 697 **712**.
 Merk, Aug., S. J. 21 n.
 Meschler, Mor., S. J. 458 461 n.
 Methodistae 669 n.
 Meyer, Alb. de, 79.
 Meyer, Livinus de, S. J. (Theod. Eleu-
 therius) 244 574 n 576.
 Milevitanum concilium 24 140 167.
 Minges, Parth., O. F. M. de Scoto 54 183
 208 570.
 Miranda, Barth., O. P. 392.
 Mitterer, A. **458 s**.
 Mitzka, F., S. J. **218 n** 400 n.
 Modernistae 268 326 n.
 Moguntina synodus (1549): 376.
 Molina, Lud., S. J. passim; — historia
 16 538 **573 ss**; falso incriminatus 214
243 ss **295** 505 n 556 n **565** 628
 633; — vires naturae lapsae 133 138
152; « Facienti » **243**; supernatura-
 litas 251 260 k 294 b **295** 304 **306**;
 ultima dispositio 345; fides et spes
 400, 1; gr. actualis 500 505 n **509** 516
521 **525** 531 533 s n; gr. efficax 556 n

- 565** 570 **573 ss th. 24**; concordia cum Suárez **628**; discrepantia **628** **645 ss** 657 s; praedestinatio **649**.
 Molinismus purus 565 572 643 **645 ss** **654**.
 Molinistae 16 152 243 ss 512 516 620 (cf. *Congregationes de Aux.*).
 Molinos, Mich. de 405 407 464 466 705.
 Monse, F. X. 247 s 270 358 n 379 s.
 Montalte, Louis de (Pascal) 79.
 Monte, I. M. del, (Iulius III) 331 361.
 Montemayor, Prud. de, S. J. 574.
 Moraines, Ant. (Ioannes Martinonus S. J.) 108, 6.
 Moralis influxus 186 s 591 n 608 n.
 Morgott, Franz 505 n 573.
 Morinus, I., C. Orat. 364 **371**.
 Morlais, M. 260 n.
 Mors opportuna 555 568 571.
 Motivum distinctum ab obiecto formali 304 n; supernaturale v. *Obiectum*.
 Mulard, R., O. P. 285 n.
 Müllendorf, Jul., S. J. **725**.
 Müller, E. F. Karl, scripta confessionum « reformatarum » 70 314 464 541 669 n 702 n; de praedestinatione 669.
 Müller, J. T., libri symbolici Lutherano- rum 70 314 324 ss 348 541 669 n 702 n.
 Muncunill, I., S. J. 493.
 Mysteria gentilium 247 s **272 n** 426 n; revelata 265 s 271; ordinis supernaturalis 287 299; libertatis? 597 611 a; electionis 644.
 Mystici 77 n 250 405 407 444 711 (cf. *Dionysius*, *Ps.* -; *Ekardus*; *Pantheismus*).
 Natura et naturalis: conceptus **254**; apud Baium 72; Athanasium 274 n; Augustinum 280; — n. humana 153 162; originaliter instituta (v. *Institia* originalis); lapsa: eius vires **th. 3-6** (cf. *Libertas*); eius exigentiae **157** ad **161** (cf. *Peccatum* originale); n. pura 110 158 162 168 436 (cf. *Gratia naturalis*; *Protestantes*; *Baius*; *Iansenius*).
 Necessitas: conceptus et divisiones **34 c** 121 154 171 n 186-189 **595** 624 (cf. *Libertas*; *Impotentia*; *Iansenius pr. 3*); nec. gratiae: **sect. I** (v. *Conceptum*); peccandi **th. 5 s** **163 ss** **169**.
 Neoplatonici 101 108 249 510 (cf. *Platonici*).
 Nestorius 26 276.
 Neveut, E., C. M. 156 n 197 n 499 n.
 Nicole, Pierre (Paulus Irenaeus) 541.
 Nieremberg, Eus., S. J. 247.
 Noggler, Gottfried a Graun, O. M. Cap. 694.
 Nominales v. *Occamistae*.
 Noort, G. van 198 n 519 714.
 Noris, Henr., card. O. S. Aug. 16 20 **87** 115 **119** 130 264 n 576 (cf. *Augustinenses*).
 Novatianus 430 450.
 Nutritus in silvis 239 686 691.
 Obduratio 185 b 552 **561** 641 n **th. 25** (667).
 Obiectum formale supernaturale 251 s **304 ss** 399 **725 ss**.
 Oboedientialis potentia **257 s** 283 518 **525**.
 Occam (Ockham), Guil., O. F. M. et Occamistae (Nominales) 14 214 **226** 229 251 294 **364** 387 400, 2 434 b 438 **441** 456 464 b 489 494 500 669 c.
 Occam, Nicolaus 226.
 Occasionalistae 641.
 Odium sensu latiore 561.
 Oecumenius 690.
 Olcese, P. 458.
 Olivi, Petrus Ioannis, O. F. M. 371 e 373-457 649 n.
 Ontologismus 252.
 Oratio: impiorum 93; necessaria 147 161 s 586 611 b 717 n; ex gratia **th. 7** **291**; a S. Alfonso urgetur 611 b 619; pro omnibus facienda 675 s 687 (cf. *Impetratio*; *Praxis Ecclesiae*).
 Ordo: naturae (v. *Natura*); supernaturalis **th. 9** (259 266 s); supra- et infralapsarius 566 **660** 669 n (cf. *Infralapsarii*; *Adiutorium*; *Angeli*); intentionis et executionis 648 s 656.
 Origenes **47** 67 179 236 249 253 **273** 339, 2 383 412 460 690.
 Orosius 23.
 Oswald, Joh. H. 444 449.
 Ovidius 145 n.
 Oviedo, Franc. de, S. J. 294 391 402 405-439.
 Pacheco, Fr., card. 331.
 Padilla, Ant. de, S. J. 574.
 Pallavicino, Sforza, card. S. J. 376.
 Palmieri, Dom., S. J. v. initia thesium; — **5** 41 186 ss 196 c 211 235-247 **269 n** **287 s** 291 307 n **389, 5** **493** 497 504 511 516 n **519** 547 682.
 Paltz, Joh. v. 500 691 n.
 Paluszczak, P., O. P. 403.
 Panger, M. 519.
 Pantheismus Mysticorum etc. 250 260 405-407 410 641.
 Papadopoulos-Kerameus, A. 355.
 Paquier, J. 79.
 Particularismus v. *Voluntas salvifica*.

- Partz de Pressy, Fr. J. de 692.
 Parvuli: effectus baptismi 364 371 373
 377 s 401 457; donum perseverantiae
 555 571 n; voluntas salvifica 59 **661 s**
 687, 2 (cf. *Limbus*).
 Pascal, Bl. 79.
 Passaglia, Car., S. J. 108, 8 236 n 666 675
679.
 Pastor, L. v. 339 n 359 573.
 Paulinus diaconus mediolanensis 22 24.
 Paulinus Nolanus 24 28 140.
 Paulus Apost.: gratia **3 9**; homo lapsus
143 ss; gratuitas **200 ss**; iustitia Dei
 et iustificatio **316 ss 333 ss**; fides
 iustificans **335 ss**; renovatio 350 **354**
 380, 2-4; S. Spiritus **380, 5 n**; adoptio
 380, 2 **426 ss**; V. T. 663; voluntas sal-
 vifica 675 ss; meritum 706.
 Paulus V: 115 152 558, 3 **565 575 s**
 625 n 657 (cf. *Congregationes de Au-*
willis).
 Peccatores: opera **th. 3**; obdurati **th.**
25.
 Peccatum: *originale* eiusque sequelae 74
 81 88 90 131 **153 ss** 169 **th. 7 8**
 (238 ss) 589 614 661 s 669 670 c n (cf.
Natura lapsa; Adiutorium; Augustinus
senior etc.); « peccata » infidelium sen-
 su Augustini **107 ss** — « p. necessi-
 tatis » **169**; *mortale* quid sit 463 b;
 sine gratia non diu vitatur: **th. 5 6**;
 impedit multas gratias 231, 2; non om-
 nes: **th. 25**; destruit gr. habituales:
th. 17; quomodo 474 n; deletur iusti-
 ficazione: **th. 12**; quomodo **436 ss**;
 actuale et habituale 347 439 474; *ve-*
niale quid sit 463 b; an vitari possit
163 ss; impedit gratias 171 n; non
 destruit statum gratiae: **th. 17** (470 ad
 474); nec minuit 487.
 Pecci, Jos. card. 577 **621**.
 Pegna (Peña), Fr., Acta 576.
 Pègues, Th., O. P. 670 n.
 Pelagiani **21-26 35 137 164 172 197**
260 n 297 464 n 472 **494** 507 s 547
 663 (v. *Caelestius; Iulianus*).
 Pelagius **20-24** 150 s 197 199 297 339 n
 494 (v. *Pelagiani; Diospolitani*).
 Pell, G. A. 45 274.
 Pelster, Fr., S. J. 222.
 Perez, Ant., O. S. B. 287.
 Perez, Ant., S. J. 649.
 Perriot, Mgr. 458.
 Perrone, I., S. J. 108 531 661.
 Perseverantia: conceptus **555**; potestas:
th. 6 543; actualis 80 83 **th. 21 611**
 619 d 643 653 s 657 660 715 717 (cf.
Adiutorium; Augustinus).
 Pesch, Chr., S. J. passim; v. *initia*
thesium et *inter alia* 20 ss 107 s
 156 c 169 287 304 n 341 s 389 400 414
 452 460 534 573 ss 661 663 679 682
 688 693 712 714 724 726 729.
 Petavius, D., S. J. 16 20 79 115 371 n
 372 405 444 450 452 455 494 s 649.
 Petrus Chrysologus 249 279 564.
 Petrus Lombardus, Magister 11 102 237
 282 368; S. Spiritus et caritas **371 s**
 386 444; **385 398 400 451 460 499**
 551 599.
 Petrus Pictaviensis 340 n.
 Petrus a Tarantasia (Tarentasia) O. P.
 (Innocentius V) 227 649 n.
 Pfeleiderer, O. 380 n.
 Pflug, Jul. 360 362.
 Pfülf, O., S. J. 682.
 Philastrius Brixiensis 690.
 Philautia 119.
 Philippus Grevius 363 n 391 n.
 Philippus a SS. Trin., O. Carm. 453 g.
 Philo Alexandrinus 409.
 Philosophia 12 s 98 249 252 364 489
 (cf. *Aristoteles; Plato; Neoplatonici;*
Stoici).
 Piccirelli, I. M., S. J. 645 661 665 670 n.
 Piccolomini, Fr., Gen. S. J. 576 658.
 Pies, P. 661 688 694 n.
 Pietistae 669 n.
 Pighius (Pighe), Alb. **360 371 c**.
 Pignataro, Fel., S. J. 531.
 Pinard de la Boullaye, H., S. J. **295 n**
 296 304 310.
 Pistoriensis synodus 16 **86 93 101 122**
 161 251 262 **496**.
 Pistorius v. Nidda 360.
 Pius V: 16 251 262 (v. *Baius*).
 Pius VI v. *Pistoriensis synodus*.
 Pius IX: 17 253 **265 289 673 695** (v.
Vaticanum concilium).
 Pius X: 268.
 Plassmann, H. E. 577.
 Platel, Iac., S. J. 505 n 650.
 Plato 274 367.
 Platonici 101 130 409 510 (v. *Neopla-*
tonici).
 Pletl, G. 442 458 s.
 Plotinus 510 (v. *Neoplatonici*).
 Plutarchus 367.
 Pneuma **280 n** (v. *Spiritus S.*).
 Poenitentia: **th. 11** (328 340) **349**.
 Pohle, Jos. 247 259 307 531.
 Polemo 101 108, 5 124.
 Polycarpus 398.
 Poncius, I., O. F. M. 609.
 Pontius diaconus carthag. 49 203.
 Portalié, E., S. J. 20 87 120 n 464 n 547
622 ss 644 s 660.

- Possessor v. *Hormisdas*.
 Potentia antecedens et consequens (virtutis et futuritionis) 117 131 s 135 572 624 639 (cf. *Impotentia; Libertas; Necessitas*); — Dei absoluta et ordinata 87 (cf. 436 ss).
 Prado, Norb. del, O. P. 18 105 **228** 245 **345** **505** n 519 **521** n 565 n 577 **598** s.
 Praedefinitio 530 628 **647** ss **657** s.
 Praedestinatio 30 58 236 464 **669** (v. nomina n. 669 allata).
 Praedestinatio 1 17 77 n 80 83 87 115 s 611 c 619 d 643 s **645** ss 720.
 « Praedestinatus » liber 26 n 669 n.
 Praedeterminatio physica 519 th. **22** (580 ss) 598 **600** ss; moralis 576 th. **23**.
 Praedilectio divina 560 ss 654 (cf. *Beneficium specialius; Praedestinatio*).
 Praepositus (Le Prévost), I., S. J. 649 658.
 Praesumptio (peccatum) 464 s 481.
 Prat, F., S. J.: de S. Paulo 42 63 n **143** ss 311 **317** 336 **379** s 427 561 655.
 Praxis et preces Ecclesiae 50 60 **142** 199 329 397 n 407 **424** 447 459 502 **558** **567** **674**.
 Preuschen, E. 2.
 Pribilla, M., S. J. **464** n.
 Privilegium 163.
 Propositum Dei 58 201, 5 **561** 646 655.
 Prosper Tiro 27 ss 32 60 68 101 109 n 111 186 199 n 205 217 230, 3 502 508 522 569 616, 2 679 683 710; — eius ad Augustinum *Epist.* 225: 28 **59** **172** n **556** n.
 Protestantes **15** 58 90 92 108, 1 114 118 143 175 194 251 281 **314** s **324** ss **339** n **348** 355 n 364 405 441 **464** n 483 ss 489 494 538 **541** **669** n 690 s **702** 721 (v. th. 3 9 11 17 20 25 26; *Luther; Calvinus* etc.).
 Providentia Dei 486 b 619 a **640** 661 686 s 688 ss 696 (cf. « *Facienti* »; *Nutritus*).
 Prudentius Tricassinus 669 n.
 Prumbs, Ant., de Tridentino 376 391.
 Prümmer, K., S. J. 690 n.
 Pulchritudo gratiae 356 **435**; universi 670 685.
 Purgatorium 482 723.
 Quesnel, Pasch. 16 **84** s 90 b **93** s 122 251 262 s 328 466 481 494 496 542 **673** 726 n.
 Quietistae v. *Molinos*.
 Quilliet, H. 626 645 698.
 Rabanus Maurus 550 556 b 672.
 Rademacher, A. 247 s 269 s 379 429.
 Ramirez, Vinc., S. J. 648.
 Rationalistae 17 35 39 252 260 n 315 (v. « *Illuminatio* »).
 Raus, J. B., C. SS. R. **579** n 605 610.
 Raymond, L., O. P. 458.
 Regeneratio 43 269 s **380**, 2 407 411 429 (cf. *Ioannes Ev.*).
 Reginaldus, Ant., O. P. 576.
 Régnon, Th. de, S. J. **521** n 552 n 577 645 656 **657** n.
 Reinhard, W. 63 n 379 **380**, 4 5 n.
 Reitzenstein, R. 248 **272** **397** n 409 n.
 Religio, virtus moralis 399.
 Remissio peccatorum 77 th. **12** **436** ss (cf. *Peccatum mortale*).
 Renovatio interna: th. **12**.
 Reparatio post lapsum obiectum meriti 715 717.
 Reprobatio antecedens 561 648 s 653 669 s (cf. *Praedestinatio*).
 Resuscitatio per gratiam 43 63 188 351 e.
 Revelatio externa supernaturalis 1 265 s 309 323 724; interna 686 691 **693** 695; primitiva **693** 695.
 Reville, J. 315 n.
 Ricardus (= Dechamps) 79.
 Ricci, Scip. 86.
 Richardus Fishacre 371 n.
 Richardus a Mediavilla **227**.
 Rigorismus 692.
 Ripa, Raph. de, O. P. 575.
 Ripalda, I. Martinez de, S. J. passim; — omnes actus honesti supernaturales 108 th. 4 (121 132) 138 244 670 n; dispositio 230, 2; substantia supernaturalis 260 **289**; entitativa supernaturalitas 251 **294** s; obiectum formale supernaturale 304 306; consortium divinae naturae 405 413 **416** **418**; adoptio 422 434 c; inhabitatio 444 455; amissio virtutum 464 n 478 s; augmentum 486 c; fides late dicta **692**; meritum 704 711 714 717 724; — 16 71 156 286 291 389 n 391 400 ss 512 520 s 533 s n 670 n.
 Rispolis, I. M. de, O. P. 595.
 Ritschl, Albr. 278.
 Ritter, Gerh. 500.
 Rivière, J. **339** nn 340 342 348 n 697 ss 702 n **704** n 708 711 **715** ss 726 n.
 Rohling, Aug. 610.
 Roles, H. 383 n.
 Romeis, Cap., O. F. M. 688.
 Rosmini-Serbatì, Ant. 252 349.
 Rottmanner, Odilo, O. S. B. 547 549 n 682.
 Rousseau, J.-J. 692.
 Rousselot, P., S. J. 281 n 294 n.

- Rückert, H. 328 n 359 391.
 Rufus Thessalonicensis 25.
 Ruiz de Montoya, Did., S. J. 453 a 512
 521 648.
 Russi theologi moderni 260.
 Rütter, Th. 45.
- Sabatier, A.** 358 n.
 Salgueiro, Trindade 111 547 n 564 n 622.
 Sallustius 101.
 Salmanticenses O. Carm. discalc. 16 231 n
232 245 304 ss 309 n 310 422 436
 444 d 457 486 d 505 670 n 686 **726**.
 Salmeron, Alf., S. J. 361 391 648.
 San, Lud. de, S. J. **661 s** 665 s 670 682.
 Sanctificatio **th. 12** (348) 418 435 (cf.
Gratia sanctificans).
 Sanday and Headlam 316.
 Sanfelice, Thom. 361.
 Santeler, Jos., S. J. **649 n**.
 Sardagna, Car., S. J. 391 650.
 Satisfactio 697 699.
 Schäfer, Al. 270 b 560 s.
 Schäzler, Const. v. 17 247 252 260 n 286
371 n 387 577.
 Schanz, Paul 682 688 s n.
 Schauf, W. 96 143 270 d 380, 5 n.
 Scheeben, M. J.: sequelae peccati origi-
 nalis **160 n**; ordo supernaturalis 247
 252 259 **260 n** 277 279 282 n 286 288;
 gratia sanctificans et inhabitatio **405 n**
 432 n 435 442 **453 f 455**; gr. actualis
 488 s 491 493 n 502 **505 n** 518 s; —
 17 307 371 457 n.
 Schell, Herm. 464 b.
 Schiesl, Jos. 464 n.
 Schiffini, S., S. J. v. initia thesium;
 — cogitatio congrua 120 n 126; seque-
 lae peccati originalis **160**; superna-
 turalitas 287 295 n **296 301 n 304 n**
 307 n; fides et spes infusae 400 s **486**;
 confirmatio in gratia **572**; infideles
 670 n; meritum de congruo **719**; —
 18 439 457 510 521.
 Schill, A. 79 84.
 Schmid, Al. v. 260 285 s.
 Schmid, Franz: sequelae peccati origina-
 lis **159 n**; supernaturalitas **th. 10**
 (292 296 301 n) **307 s** 725; viae salutis
 extraordinariae **688 ss**.
 Schmid, Fr. Georg: sequelae peccati ori-
 ginalis **160**.
 Schmidt, Wilh., S. V. D.: revelatio pri-
 mitiva **693**.
 Schneemann, G., S. J. 18 538 n 565 573
577 580 n 600 657.
 Schneider, Arthur 549 n.
 Schneider, C. M. 505 n 577.
- Scholastici veteres: meritum de congruo
 et dispositio ad gratiam 54 69 197 d n
 214 **218 ss** 237 ss 556; gratiam intel-
 legunt habitualement 12 54 138 172 229
 364 489; naturam abstracte sumunt
 110; dona indebita 282 ss 294; habitus
 364 368 385 ss 391 400; effectus forma-
 les gratiae 441; gr. actualis 489 494
 499 s; universalismus 670 684.
- Schoell, Eug. 45 180.
 Scholz, Ant. 442.
 Schrader, Clem., S. J. 17.
 Schrörs, H. 669 n.
 Schubert, Hans v. 26 n 669 n.
 Schultes, R. M., O. P. 577.
 Schultz, H. 708 n.
 Scientia Dei media 135 c 154 574 576 583
 595 s 604 608 ss 621 623 **th. 24** (630 s)
 648, 3 649 654 657 s.
 Scorraille, R. de, S. J. 573 ss 645 ss 651.
 Scotistae 14 16 227 251 287 294 **331 364**
391 ss 400, 2 405 **422 436 s** 456 486 a
 538 574 n 576 595 **609 617**.
 Scotus, I. Duns, O. F. M. 14 54 n 138
183 203 226 286 s 294 305 331 391
 400, 2 **422 434 b 441 456 460 486 a**
 500 536 **570 574 n** 717.
 Scotus, I., Eriugena 253.
 Scythici monachi 31.
 Seitz, Ant. 688.
- Semipelagiani: historia **27 ss** 37; nomen
 57 n; occasio erroris **57 s** 204 c 548;
 doctrina 53 59 111 **172 197** 199 230
 494 507 **556 568 n** 619 s 673 (v. *Aug-
 ustinus; Cassianus; Hilarius; Prosper;
 Indulcius; Arausicanum* etc.).
 Semirationalistae 252 **260 h 265** 365
 371 d e.
- Seripando, H., O. S. Aug. 174 n **359 ss**
 396.
- Serra, M., O. P. 345 500 n.
 Serry, I. H., O. P. 576.
 Sestili, I. 260 285 n 287.
 Seyssel, Cl. de 691.
 Sfondrati, Cael., card. O. S. B. 692.
 Sibyllae 690 n.
 Siemer, L., O. P. 458.
 Signa rationis **635 s 648 s**.
 Silvester Maurus, S. J. 439 648.
 Silvestris, Franc. de, Ferrar. O. P. 287.
 Simar, Hub. 380 n.
 Simon Tornacensis 340 n.
 Simplicianus Mediolanensis 28 (v. *Aug-
 ustinus, Ad Simpl.*).
 Sirmondus, Iac., S. J. 669 n.
 Sixtus III: 24 26 (v. *Augustinus, Epist.*
 194).
 Smedt, Ch. de, S. J. 247.

Societas Iesu: Congregatio generalis VII etc. 658.

Sociniani 35.

Söderblom, N. 693 n.

Sommerlath, E. 316 n 380, 5 n.

Sorbonici 538 556 d 576 **th. 23** (610) 618 691 s (cf. *Tournely*).

Sotó, Dom. de., O. P. 15 108, 7 **223 n** **228** 241 286 s 296 331 345 371 c **400**, **3** 531 692 **719** 726.

Souter, Al. 21 n.

Species impressae supernaturales? 534 n.

Spes: dispositio 328 n; virtus theologica infusa 368 **th. 13** **397 ss** **400 s**; amissio 463 c **481**.

Spiritus Sanctus: sanctificans et inhabitans 270 a b 273 ss 354 356 **371 a** 374 375 b **380, 5** 382 s 385 389, 2 **th. 16** 472 476; movens 174 f 496 502 (cf. *th. 18* 19); dona **458 ss** 477 499.

Sponsa Dei vel Christi 282 440 s 453 f.

Stapleton, Th. 15 371.

Stattler, Ben., olim S. J. 17 256 260 365 **371**.

Staudenmaier, Fr. A. 412 n.

Stephanus de Langton 340 n.

Steyaert, M. 71.

Stiglmayr, J., S. J. 12 n 277 n.

Stockums, W. 661.

Stoici 35 98 137 367 409 464 n.

Stoll, Fr. 247 273 n.

Sträter, Herm. 45 273 s 412.

Straub, Ant. S. J. **174 n** **661 s** 688 693.

Struggl, M., O. Serv. B. M. V. 405 521 533.

Strucker, Arn. 247 273 n 412.

Stuffer, I. B., S. J. 18 221 n 223 n 285 n 328 n 343 ss **499 n** 565 n **577 600 ss** 621 n.

Suarez, Fr., S. J. passim; — necessitas gratiae 54 71 118 n 139 152 **159** 171 n 174; de Augustino 108, 2 115 624; gratuitas 214 **215 n** **228** 234 **244** 246; obiectum formale supernaturale 251 294 296 304 306 308 ss 726; ultima dispositio 345; accidens 389, 5; virtutes 391 398 400 402 456 486; consortium **405**; adoptio **422**; remissio peccati **439**; inhabitatio **453 c** 455; dona 460; gr. actualis 509 **516** 519 **521 525 528**; *Congruismus* 538 572 575 s 600 **624 628 648 657**; voluntas salvifica 661 692; meritum 711 **713 s** 717 **726**.

Summa Sententiarum (Hugoni a S. Victore adscripta) 460 499.

Supererogatoria opera 721.

Supernaturale 5, 4 34 b 72 117 171 n 188 s 192 ss 245 s **sect. II art. II**: historia

248 ss; historica vocis **253**; conceptus **254 ss**; supernaturale quoad finem 156; dona simpliciter supernat. **th. 9**; entitative **th. 10**; obiectum seu motivum **304 ss 724 ss** (cf. *Elevatio*; *Indebitum*; *Natura*).

Svietlov, P. J. 260.

Sylvius (du Bois), Fr. 345 **481**.

Synave, P., O. P. 603.

Syncretistae 538 566 577 **610 621** (v. *Sorbonici*).

Synergismus 324.

Synoptici: de gratia 3 8 425 678.

Tagliavia, Petrus 376.

Taille, M. de la, S. J. 630 n.

Tanner, Ad., S. J. 391 439 505 n 521 533 648.

Tanqueray, A. 442.

Tapper, R. 138 152 371.

Tatianus 273 450.

Temporalia obiectum meriti 717.

Tentatio: **th. 5** (136 147) **th. 6** (176 s).

Tepe, B., S. J. 439 521 531 714, 1.

Terrien, J.-B., S. J. **424 n** 442 452 519 531.

Tertullianus **49 98** 253 355 n 424 n 430 480 564 **666 708**.

Theiner, Aug. 174 n 376 387 392 396.

Theodoretus 180.

Theodorus Mopsuestenus 25.

Theodosius imperator 26.

Theophilus Antiochenus 273 708 710.

Thieme, K. 702 n.

Thomas Aqu. passim; — conspectus **13**; necessitas gratiae 40 54 **69 103 ss** 108, 3 s 109 n 113 **125 s** 130 133 136 143 151 152 n 156 c **168**; gratuitas 196 c **206 s 219 ss** 229 **238 ss**; supernaturalitas 247 250 **253** 254 **258** 270 276 282 n **283 ss** 288 294 300 **305 n** 308; iustificatio 331 **340 343 ss 357**; gr. sanctificans **386** 389, 4 s 391 394 **413** 415 s **431 ss** 436 441; virtutes infusae 368 391 393 ss 400 456 s 473 477 ss 485 ss; inhabitatio **451 ss**; dona **461**; gr. actualis 489 **499 n** 512 s **536**; gr. operans 512 **598 s**; libertas **551**; perseverantia 172 d **182 ss 555** 570; confirmatio 572; termini « gr. sufficiens et efficax » 538 n; efficacia gratiae **565** 579 585 **600 ss** 606 n; praedestinatio **649 n**; vol. salvifica 240 687 **684 ss** 694; meritum 700 **711** 715 717 **724 s**; gr. gratis datae 5, 11 729; in decursu vitae profect **13** 69 138 **151 n** 172 d **182 s** 197 n **219 ss 238 ss** 302 n **346 499** 684 s.

- Thomassinus, Lud., C. Orat. 16 405 444
606.
- Thomistae: primum instans usus ratio-
nis 159 232 241 245; « Facienti » 214
227 241 245; supernaturalitas 251 s 294
304 ss; incertitudo iustificationis
331; ultima dispositio **345** 598 714, 1;
gratia et virtutes 364 **391 ss** 400 405
416 422 436 439 **456 s** 486; gr. actua-
lis 499 n **500 n** 505 516 **th. 19** (519
522 s 525) 530 533 535; aliqui Infra-
lapsarii 556 c 581; confirmatio in gra-
tia 572; rectius *Bañeziani* dicti **579 n**;
praedeterminatio physica 538 565
574 **ss th. 22** (580 ss) 598 s; « pie
recedunt » a systemate 595 fg 598 623
625; praedeterminatio moralis 606 608;
praedefinitio et praedestinatio 580
648; voluntas salvifica **670 684 n**
692; meritum 716 b 726.
- Timasius et Iacobus 22.
- Timor 92 **328 n** 340.
- Titius, A. 316 319.
- Tobac, Ed. 143 ss 311 **317** 319 335.
- Toletus, Fr., card. S. J. 287 382 574 n
649 670 n.
- Torres (Turrianus), Franc., S. J. 296 400.
- Tournely, Hon. 16 84 108, 3 s 286 610.
- Toussaint, C. 317.
- Touzard, M. 458.
- Tridentinum concilium passim — 15;
necessitas gratiae **38** 40 62 **92** 136 141
165 s 173 ss n 177 186 188; gratui-
tas 199 **215** 228 231; supernaturalitas
251 297 s 300 s; iustificatio 316 322
328 ss 346 **349 361 s** 364 372 **374 ss**
382 387 **392 396 s** 401 407 424 428
437 s 445 450 455 **466 470** 474
477 **479 s 483 485 s**; gr. actualis
489 **496** 500 502 505 507 511 514 517
530 536 (174 n); sufficiens et efficax
542 558 **586 591** 598 619 b; donum
perseverantiae **567** 715, 3 b; voluntas
salvifica 672 692; meritum **703 s** 712
715 s n 723; — *sess. 5*: 109 185 **349**
377 424 437; *sess. 14*: 92 215 328 **349**
445 450 470 474 477 489 **496** 712.
- Triller, G. 621.
- Trinitas inhabitans: **th. 16** (443 448, 2
450 n 451).
- Trithemius 691.
- Turbantius 25.
- Ude, I. 577.**
- Ueberweg-Praechter 367.
- Ulloa, I. de, S. J. 649.
- Umberg, J. B., S. J. **449** 458 s **461.**
- Universalismus v. *Voluntas salvifica.*
- Urbanus VIII: 576.
- Vacant, J.-M.-A. 266 n.
- Val, Hon. del, O. S. Aug. 519.
- Valentia, Gr. de, S. J. 16 **244** 260 k 287
372 391 400, 1 **521 n** 572 **574 n** 575.
- Valentina synodus semipelagiana 32.
- Valentinum concilium 11 236 470 542 586
669 n 672.
- Valentinus abbas hadrumetinus 23.
- Valerius comes 25.
- Vaticanum concilium 17 35 **39 62** 92 130
132 175 247 252 s **266** 271 289 298 s
301 309 407 479 n 511 517 542 **591**; —
schema propositum 17 **39 246** 252 s
267 297 **372 378 407 536.**
- Vauchop, Rob. Ven., archiep. armacanus
328 n.
- Vazquez, Gabr., S. J. cogitatio congrua
th. 4 (120 131) 138 142 156 157 n
294 b 295 n; 16 57 n 115 152 287 371 c
387 400, 1 439 444 **453 a** 460 486
494 f 521 572 575 649 700 **713 s** 723 n.
- Vega, Andr. de, O. F. M. 15 109 n 168
228 328 n 331 372 376 400, 2 **494 e**
495 **536** 598 692 714, 1.
- Verwey, Joh. 549.
- Vetus Testamentum v. *Gratia Veteris*
Testamenti; *Lex*; — *typus* 562.
- Victorinus, Marius 49 203.
- Viennense concilium 165 262 466 485 (v.
Beguardi); 364 371 e 373 401 457 (v.
Olivii; *Parvuli*: *effectus baptismi*).
- Villada, P., S. J. de gratia sanctificante
389 n 403 405 414 418 s 420 432 n 434
435 436 ss 440.
- Villecourt card. 610.
- Vincentius, I., O. P. 371 c **389, 5 405 b**
413 416 c.
- Vincentius Lerinensis 28 s 53 67.
- Virtus: definitio et divisiones **366 ss**; in-
fusa 367 370 386 390 402 479 n 482
484 ss; theologica 368 **th. 13** 395
397 ss; moralis **456 s 478**; amissio
th. 17; naturalis **th. 3 4 107 ss**
th. 7 s (cf. *Habitus*).
- Visio Dei: *th. 9* **416 s** 529 n 704 (cf.
Finis ultimus; *Gloria*).
- Vita aeterna 270 d 273 ss 380 **412** (cf.
Gloria).
- Vita, Ios. de, O. P. 606.
- Vitalis v. *Augustinus*, *Epist.* 217.
- Vitelleschi, M., Generalis S. J. 576 658.
- Viva, Dom., S. J. 79 84 294 b 444 b 455
521 533 534 n 650 714, 1.
- Vivificatio v. *Resuscitatio*.
- Vocatio: Liber de Voc. omn. gentium 30
68 **149** 186 **205** 217 236 **502 683**
690 709.
- Vömel, R. 2.
- Vogtland, Fr. 380 n.

Voluntas salvifica Dei 1; circa iustos **th.**
611 th. 20 (v. *Iansenius pr. 1*) 664;
 in ordine supralapsario **660** (cf.
Adiutorium); circa parvulos **661 s**;
 circa peccatores et infideles 664 **th.**
25 (676) **688 ss**; in variis systematis
 83 245 556 584 611 c 614 a 639, 2 653
 669 s 680 ss 685 s.

Vooght, P. de 499 n.

Wagner, Ant. 577.

Walther, Wilh. 211 n 702 n.

Weber, E. 560.

Weber, Val. 560 s.

Weigl, Ed.: de Cyrillo Alex. 45 149 167
 179 247 **276** 278 **450 n** 708.

Weinel, H. 315 n.

Weiss, Alb. M., O. P. 321 n.

Weizsäcker, K. 381 n.

Wendt, H. H. 380 n.

Wetter, Gillis P. **2 s 316 n.**

Wicleff, I. 14 114 464 669 672.

Wilmers, W., S. J. **160.**

Wimpina, Conr. 500 711.

Wirceburgenses (Kilber) S. J. 17 84 286
 308 n **394 n** 405 464 b 521 650 661
 670 n.

Wirth, K. H. 708 n.

Wittig, Jos. **464 b.**

Wittmann, M. 549 n.

Wörter, Fr. 20 27 45 546 n 683.

Wrede, W. 315 n 316.

Wrzol, L. 27.

Xenocrates 101.

Ysambert, Nic. 610.

Zaccaria, Fr. A., S. J. 16 71 660 669 n.

Zahn, Ad. 315 n.

Zahn, Th. 316.

Zeno 367 (v. *Stoici*).

Zigliara, Th. M., card. O. P. 595.

Zigon, Fr. **499 n** 577 **598 sn** **600 ss**
 660.

Zimmer, H. 21 n.

Zorell, Fr., S. J., Novi Testamenti lexicon
 graecum: passim; praesertim 2 42
 96 270 319 350 s 358 404 408 426 428
 511 561 706 721.

Zosimus 24 s 36 141.

Zumel, Fr., O. B. V. a Merc. 296 521
 670 c.

Zwingli, U., et Zwingliani 314 669 691
 702 n.

Zychlinski, A. 402.

CORRIGENDA

Pag. 2 lin. 5: loco Lc 1, 30 lege Lc 1, 28; cf. 1, 30.

Pag. 25 lin. 5: loco Dz 1797 lege Dz 1791.

Pag. 39 n. 65 lin. 5 ab infra: loco Colossensibus lege Philippensibus.

Pag. 41 n. 70 lin. 2 ab infra: loco G. F. lege E. F.

Pag. 47 lin. 5: loco Baius lege Iansenius.

Pag. 125 lin. 7 ad infra: loco dictione lege dicione.

Pag. 131 lin. 1: loco Gal 3, 28 lege Rom 3, 28.

